
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
7 G
4

TRACTATVS
DE
SCRVPVLIS,
ET EORVM REMEDIIS.



TRACTATVS
DE SCRVPVLIS,
ET EORVM REMEDIIS,

Tùm in vniuersum, tùm speciatim circa particulares materias.

EX OPERE VARIORVM MORALIVM

R.P.D. IOANNIS ANGELI BOSSII
Ex Clericis Regul. Barnabitis S. Pauli proximè in lucem edendo desumptus, & seorsim ad communiorem, & commodiorem Confessariorum, & Pœnitentium vsum in huiusmodi parua forma typis excussus.

Materiæ præcipuæ in Tractatu explicatæ post Dedicatoriam indicantur; ex quibus, & subsequenti indice eiusdem Tractatus vtilitatem Lector agnoscet.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M. DC. XXXXVII.

Apud Paulum Baleonium.





Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D.

IOANNI BAPTISTÆ SFONDRATO

SACRÆ TICINENSIS ECCLESIÆ Episcopo, Principi, &c.





AXIMA profectò sunt omnia, quæcumque in *Te, Illustrissime, & Reuerendissime Antistes*, conspiciuntur; origo excelsa ex Sfondratorum prosapia, ex qua longa serie magni prodiere Heroes, strenuissimi, atque inuictissimi Duces, peritia æquè, ac fortitudine militari conspicui, sapientissimi Iurisconsulti, qui insigni, & Iuris prudentia, & rerum publicarum administrandarum cognitione floruerunt; ex quibus nonnulli, primos in Mediolanensi Republica obtinuerunt honores; alij priùs summa cum laude perfuncti supremis Patriæ muneribus, purpura cohonestati, stellarum instar, Catholicæ Ecclesiæ cœlum exornarunt; alius ad culmen summę orbis vniuersi celsitudinis euectus Christi vicęs in terris gessit, vniuersamque Christianam

ſtianam Rempublicam ſapientiſſimè, atquè Sanctiſſimè adminiſtrauit, Sanctiſſimiſque legibus communiuit. Munera à *Te* adminiſtrata præclariſſima, qui primùm Romana in luce verſatus, Abbatia inſignitus, ſummorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. cubicularius, vtriuſquè ſignaturæ Referendarius, Reatis, Tiferni, Cameſtium, Spoleti, Firmi, nec non maritimarum in Campania Prouinciarum Pontificio nomine Præfectus, poſtea ſupra præcelſum iſtud Papienſe candelabrum es poſitus, veri, vigilantiſſimiquè Paſtoris (abſit dicto inuidia) exemplar, & idea ſucceſſiuis futurus. Nequè certè leue tuæ eximiæ prudentiæ, doctrinæ, integritatis, & authoritatis argumentum, quod à ſupremo, ſimulquè ſapientiſſimo Pontifice creatus fuiſti Epiſcopus inclytæ Papienſis ciuitatis; quæ, quemadmodum turrium eminet altitudine, ita ſplendidiſſima nobilitate ciuium, florentiſſima Academia, litteratorum in quauis facultate peritorum ingenti copia, præclariſſimi Cleri numeroſitate, Religioſorum vtriuſque ſexus cætuum multitudine, & Metropolis inſignijs, atquè priuilegijs; ampliſſima diſtrictu, & oppidis vtriquè iuriſdictioni ſubiectis, olim Regum ſedes, armipotens, ac ſerie ſæculorum antiquiſſima; Vnde illi nomen, ſecunda Roma; & pluribus, ac illuſtrioribus aucta titulis, quàm quibus Vlpianus in l. 1. D. de cenſibus ſuam ornat Tyrum. Quæ cum ita certiſſimè ſe habeant, haud dubium, *Ampliſſimè Præſul*, quin Dominationi Tuæ, tuiſquè meritis impar munus paruus tractatus; & de minimis. Titulus operis, atquè adeo munuſculi paruitatem denunciat: Quid enim ſcrupulo, lapillouè minus? Hinc verè vereor, ne quis

nimiæ

nimiæ me coarguat audaciæ, & mihi nescio quam impudentiæ notam inurat, quod *Illustrissimam, & Reuerendissimam Dominationem* tuam, & ad excelsa, sublimia comparatam, summaquè omnia commeritam, & maioribus in ista Pastorali cura negotijs ad Reipublicæ istius bonum, incolumitatemquè spectantibus, occupatam, puerilibus hisce crepundijs interpellem: nam hoc pacto, & dignitatis, ac meritorum tanti viri haud condignam habere existimationem, & in publicum peccare bonum censebor. Verùm, si quid hìc à me peccatum erit, veniam mihi spondet innata illa, ac cuivis nota beneuolentia, humanitas, ac comitas Tua; qua neminem, etiam qualibet de causa ad *Te* accedentem, à vultu Tuo repellis; sed vnumquemque, & beneuolè excipis venientem, & modestè audis loquentem, comiter dimittis abeuntem; quibus humanitatis argumentis amorem apud omnis generis, ac status homines, tam Sacros, quàm profanos, summos æquè, atquè infimos Tibi conciliasti; vt cum *Te*, & placidam vultus serenitatem, verborum lenitatem, & decentem exterioris hominis compositionem, ac Pastoralem pro commisso grege sollicitudinem respiciunt, Angelum cœlo delapsum videre sibi videantur; fateanturque B. Episcopi Alexandri Sauli (cui sicut peculiari vinculo coniunctus, ita es morum probitate, & virtutibus Pastoris proprijs simillimus) dignum successorem. Iisdem itaque humanitatis Tuæ argumentis ego motus, cum litterario hoc ex varijs Doctoribus Sacris, & Christianæ, ac religiosæ perfectionis Magistris, veluti è Theologiæ, & doctrinæ asceticę scrinijs de prompto munusculo, ad *Illustrissimam Dominationem*

Tuam supplex accedere præsumpsi. Et quidem quia paruulus iste meus fœtus litterarius, dum recens prodit in lucem, ad *Te*, me etiam inuito patrocinij inueniendi ergo approperare, & vltrò in sinum Tuum conuolare gestit. Et si multæ aliæ, & non contemnendæ rationes sunt, ob quas meritò iudicaui munusculum hoc Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Dominationi Tuæ offerendum: Impellit ad hanc oblationem, quod primo intuitu alicui potest videri efficax ab eiusmodi ausu retrahendi argumentum. Fateor quidem scrupulum ad humanæ mentis circa agenda affectionem exprimendam translatum denotare nesciò quem Conscientiæ morbum, pusillanimitatem horrorem, perturbationem, & vacillationem quandam animi facillimè hæsitantis. Qua solùm inspecta ratione temeritatis nota haud carere videbor, permittens opus de Scrupulis, scrupulosaue conscientia prodire in vulgus, illius Mæcenatis sub fide, cuius mens integra omninò, & sana; quem nulla scrupulorum nubes obnubilat, nulla pusillanimitas perturbat; frontem cuius nullus corrugat horror; in quo serena omnia, & quacumque de re agenda, vel omittenda sanum iudicium. Verùm nec sua, & certè maxima laude, scrupuli vacant, quando rectam, & timentem conscientiam prodant, nil magis, quam peccatum horrentem, quamquè culpa quælibet, quantumuis minima, eiusuè timor affligit; sicut scrupulus, à quo metaphoricè scrupulus, etsi minimus lapillus in calceo existens pedem pungit: quæ præcipua scrupuli significatio, nec tantùm inducta recenti vsu, sed iam olim vsurpata ab ipsa scriptura 1. Reg. 25. vbi Abigail Dauidi, *Non erit*, inquit, *tibi in*

ſingultum, *& in ſcrupulum cordis*; *quod effuderis ſanguinem innoxium*; Et Cicerone, qui pro ſext. Roſcio, *Hunc mihi ex animo ſcrupulum euelle*, *qui me dies*, *noctesquè ſtimulat*, *ac pungit*. Quem igitur alium tractatui de Conſcientia ſcrupuloſa decebat quærere Patronum, niſi *Te Integerrime Præſul*, qui ab ineunte ætate Dei timorem didiciſti, alienus ſemper à vitijs, qui nihil duxiſti antiquius, quàm honeſtam, ſanctamquè viuere vitam, in quo perpetui conſcientiæ candoris ſplendor elucet, omniumquè virtutum decus emicat. Ad hæc tractatum conſcientialem à Collegis, ab amicis domeſticis, & externis, quibus periculi faciendi cauſa copiam feci, à cenſeribus per ſuperiores deputatis, ab ipſis ſuperioribus approbatum vti publica luce non indignum, & communi animarum, conſcientiarumvè componendarum commodo profuturum, cui par erat deferre potiùs, quàm Antiſtiti? Cuius vtiquè partes ſunt omnium ſubditorum conſcientiarum quieti, tranquillitatiquè conſulere; ſi quæ ſcabioſæ; perſanare; timoratas; & anxias adiuuare; dubias firmare; nutantes conſtabilire; turbatas componere; nubilas ſerenare; à rectitudinis ſemita aberrantes edocere, coarguere, increpare. Quæ munera *Tu* ita probè exequeris, vt vniuerſas ſolliciti Paſtoris partes perfectiſſimè expleas; cum & mores populi tui Ticinenſis corruptos emendes, euerſos componas, præficiendis animarum Præfectis interiori homini reformando accomodatis ſtudium, operamquè omnem impendas, eoſquè in vrbe, & toto diſtrictu cùm propria adhortatione, tùm aliorum piorum, & prudentum virorum opera, vt animarum ſuæ curæ commiſſa-

missarum iuuandarum muneri sedulò incumbant, vrgeas, & Temetipsum præbeas absolutum Sanctimoniæ, Christianæque perfectionis exemplar, ad cuius similitudinem se se populus tuus omnis informet; vt Deo desponsata Ticinensis Ecclesia residens ad riuas aquarum, instar columbæ, quæ lactè fuit lota, candidior euadat, nec habeat, quo cælestem sponsum, ne in vno quidem crine colli sui, offendat. Accedit, eo consilio munusculi huiusce literarij oblatione Tibi occurrere me, vt quantùm *Dominationi Tuæ Illustrissimæ* debeat Congregatio mea vniuersa, tùm priuatis, tùm communibus meritis nobis memoria foueri sempiterna, vel leui argumento intelligas: Quippequi præcipuo erga nos sensu dudum affectus Ticinense Collegium singulari patrocinio, nunquam interpellatis honoris muneribus, familiari consuetudine Tibi obstringis: indè arbitros tuæ conscientiæ aduocas; indè grauioribus rebus deliberandis Consiliarios; indè ministros in sortem Pastoralis sollicitudinis deligis; indè alios discutiendis Christianæ fidei dogmatibus, visitandis, atquè recognoscendis tuo nomine tuæ Diæcesis remotioribus Parochijs alios singulari beneuolentia destinas. Quæ quis (nisi fortè impudens, & hebeti ingenio) non fatebitur manifestissima tui erga Congregationis Patres amoris præcipui indicia? Postremò quid non ego præcæteris de tua in me propensione efferam? Me primùm, quem anteà nondum noueras, aut certè vel solo nomine audieras, vrbanitatis officium pro mei muneris obligatione, & meo in Te debito persoluentem, quàm sereno supercilio gratulabundus excepisti, & exinde eadem officia pluriès

repe-

repetentem non minùs humaniter admisisti, & amplexus es; nec non honorificè habuisti; Disceptationes meas morales Te lætanter perlegisse sincerè significasti, easque, & me singulari præconio commendasti; alijsque, atquè alijs beneficentiæ argumentis, quæ non debentur immerito, cumulasti. Tot igitur nominibus *Illustrissime, & Reuerendissime Antistites* tractatus meus sit tuus, & tuum esse, & manere volo, cum minùs gaudens nil dignius offerendum habeam, quod Dominationi Tuæ Amplissimæ liceat offerre. Erit ergo humanitatis tuæ oculo, qui cuncta placidè dispicit, ac bona, malaquè serenus explorat, animum hunc meum benignè admittere, munusculo arrisisse, Episcopalis auctoritatis calculo comprobare, protectione fouere, potestate defendere, fidenti animo deuouentem clementer amplecti, & pluris animum dantis, quàm dati pretium æstimare. Vale.

Mediolani Kalendis Martij M. DC. XXXXVII.

Illustrissimæ, ac Reuerendissimæ Dominationis tuæ

Humillimus, & Deditissimus in Christo seruus

D. Ioannes Angelus Bossius.

† 6 F A-

FACVLTAS
ADMOD. R. P. GENERALIS
Tractatum imprimendi.

CVM *opus, cui titulus est*, Tractatus de Scrupulis, & eorum remedijs, *à R. P. D. Io: Angelo Bossio Assistente nostro compositum duo nostræ Congregationis Theologi recognouerint, atque in lucem dari posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur; si & ijs, quibus competit, ita placuerit. Datum Mediolani in Collegio nostro SS. Apostolorum Pauli, & Barnabæ die* 13. *Decembris* 1646.

D. Baptista Cribellus Præsb. Generalis.

Locus Sigilli.

MA-

MATERIÆ, DE QVIBVS vel ex instituto, vel paulò latiùs in tractatu agitur, iuxta ordinem alphabeticum indicantur.

omni

tiæ

Scru-

FINIS.

I N-

INDEX

PARAGRAPHORVM,

Et præcipuarum difficultatum cuiusque paragraphi iuxta seriem tractatus.

carnis

Dele-

habita

Dele-

habita

FINIS.





TRACTATVS DE SCRVPVLIS, ET EORVM REMEDIIS.

SVMMARIVM §. PRIMI.

§. PRIMVS.

Vtrum liceat agere contra conſcientiam ſcrupuloſam,ſeu contra ſcrupulum, & perſeuerante, & minimè depoſito, Vbi quid ſit propriè ſcrupulus; Quibus indicijs, quis dignoſcatur ſcrupuloſus, quæ vtilitates, & damna ſcrupulorum, quæ ſcrupulorum ſigna, & cauſæ.

1 IMPRIMIS hic prænotandos cenſui doctores, qui de ſcrupulis,eorum cauſis,& remedijs præcipuè agunt; & ſunt Gerſon 3.p. ſum. tractat. de remedijs contra puſillanimitatem alphab. 69. lit. Q. & de diuerſis Debol.tentat.alphab.70.lit.Q.D.Antoninus in ſum.

p.1.tit.3.c.10.§.9.& 10.Siluester, & alij summistæ. V. scrupulosus. Caieta. Verbo scrupulosorum medicina, Ludouicus Granatensis tractat. de diuotione p.2. cap.3. §.3. Nauar.in man.cap.27.n.279.282. & duobus sequentibus. Bartholomæus Medina 1. 2. q.19. art. 6. fine. Corduba lib.3. quæstionarij q.12. & 13. Rodriquez in sum.p.2. cap.53.in secunda edit.& to.3.qq.reg.quæst.66.Valentia tom.2.disp. 2.quæst. 14.p.4.dub.5.Vasquez 1.2.disp.67. cap.1. & 2. Salas ibid.trac.8.disp.vnica sec.29.Petrus Binsfeldius de tentationib. cap. 6. Alphonsus Cabrera in tract. de scrupulis, Sanchez lib.1. sum. cap.10. num. 79. & seqq. Sayrus lib.1. clau.cap.14.Portel V. scrupulus; Villalobos p.1. sum.trac. 1.diffic.27.Becanus in sum.Theologiæ trac.1.cap.4.quæst. 10.Ioannes Sancius in selectis,disp.41.Reginaldus in praxi fori pœnit.lib.2.à num.105. ad 141. & lib.13.à num.106. ad 124.Filliucius to.2.trac.21.cap.4.num.175. & seqq. Bonacina de præceptis d. 2. q. 4. p. 8. Layman lib.1. trac.1. cap.6.Azorius p.1.lib.2.cap.20. Gordonus lib.1. quæst.9.n. 36.Martinus Bresserus de conscientia lib.6. per totum, Iacobus Aluarez de vita spirituali to.2.lib.1.partis tertiæ cap. 12.§.5.& alij à Ioanne Sancio,& Sala relati.

Quid sit scrupulus.

2 PRæterea præmittendum quid sit scrupulus, propriè,& strictè sumptus; Et quibusdam placuit scrupulum prout distinguitur ab assensu certo, & erroneo, & opinatiuo, & à dubio non includere iudicium determinatum circa aliquam partem contradictionis; Sed consistere in prima operatione, & nil aliud esse quam alicuius leuis rationis, seu argumenti, quod aliquid sit peccatum, appræhensio contra id, quod vel certò, vel probabiliter fuit antea iudicatum non esse peccatum, vel de quo antea absque vllo assensu circa alteram partem contradictionis dubitatum est, an esset peccatum. *Ita Nauarrus d. cap.27. n. 279. & in cap.nouit. de iudicijs in rub.num.43.& de pœnitentia dist.7.cap. si quis autem num.16.*quibus in locis scrupulum à scientia,fide,

de, opinione, & dubio sic distinguit; Quod scientia est iudicium certum, & euidens de re; Fides est cognitio, qua ob reuelationem firmiter iudicamus ita esse id, quod non videmus; Opinio est cognitio, qua iudicamus aliquid esse, vel non esse, quid non videmus, nec firmiter credimus ita esse, sed cum formidine, vt contrarium sit verum. Dubitatio est cognitio duarum rerum contradictoriarum neutrum earum iudicando veram, scilicet cum suspensione intellectus neutri præbentis assensum determinatum; Scrupulus verò est solum quoddam argumentum, seu quædam apparentia contra quatuor prædicta, scilicet vel contra id quod quis scit, vel credit, vel opinatur, vel dubitat esse; ex quibus infert Nauarrus quatuor priora esse sibi mutuo contraria, nec posse esse, in eodem subiecto, seu in eadem persona, eodem respectu; at verò scrupulum, quia non est iudicium, sed potius apparentia, & argumentum contra iudicium, vel pro iudicio cum quolibet aliorum quatuor esse posse: idem omninò quod Nauarrus aiunt *Rodriquez d.quæst.66.art.1. Reginaldus d.lib.3.nu.*107. & indicat *Iacobus Aluarez dis.5. paulo ante vers.esse remedia*, & idem quod Nauarrus approbat *Gordanus d.n.36*.vbi habet, quod ille scrupulosam conscientiam habere dicitur, qui licet practicè iudicet licere sibi aliquid facere, tamen speculatiuè dubius est, cum aliqua animi anxietate, ne iure liceat, vel vt ait Nauarrus cap.27. quæ aduersus id, quod iudicat habet argumenta. Clare etiam approbat *Sancius lib.2. de mat. disput.41.num.2.* definiens scrupulum, quod sit apparentia aliqua contra id, quod aliquis credit, vel opinatur, vel dubitat. Ita etiam sentit Salas d. sect.29. vbi initio dicit primo sumi minus propriè scrupulum pro remorsu, idest cognitione mordente, & pungente peccati præsenti, vt *primo Regum 25.non sit tibi hoc in scrupulum cordis, quod effuderis sanguinem innoxium*. Secundo sumi propriè, & strictè pro leui ratione se offerente contra honestatem actus futuri suadens actum fore malum, siuè actu id credat, vel de eo dubitet, vel non. Quare num.292. contra alios ibi à se allegatos id negantes ait scrupulum esse posse cum con-

ſcientia certa de honeſtate actus: Item ait, non eſſe vniuerſaliter verum, quod alij dixerunt, nempe ſcrupulum non eſſe cum dubio ſtrictè ſumpto, ſeu ſuſpenſione animi, ſed cum iudicio certo, vel probabili de honeſtate actus: Neque etiam verum eſſe dictum nonnullorum aliorum, ſcilicet ſcrupulum eſſe, adhærere parti minus certæ
4 damnanti actum. Ita quoque expreſsè ſentit *Martinus Breſſerus d lib.6. cap.1.nu.2.* vbi ait ſcrupulum formalem, & propriè, & ſtrictè ſumptum prout diſtinguitur à ſcientia, fide, opinione, & dubio, non eſſe errorem, aut iudicium, ſed ſolam apprehenſionem, ſeu ſuſpicionem appræhenſiuam peccati, quatenus habet adiunctam, & in voluntate excitat eius formidinem, & horrorem; rationem autem argumenti apparentem, ob quam appræhenſio excitatur, ait dici ſcrupulum obiectiuum probat tum quia hæc appræhenſio præſertim vehemens nota eſt excitare in voluntate formidinem, & horrorem peccati, atque ita animum affligere inſtar ſcrupuli, ſeu lapilli qui ori calceo pedem pungit, ac affligit; Vnde metaphoricè ſcrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa, quæ ſimiliter animnm, ſeu conſcientiam affligit, ſtimulat, ac pungit; ac proindè non eſt ratio, quin debeat dici conſcientia ſcrupuloſa, ſeu ſcrupulus: Tum quia patimur ſcrupulos etiam circa veritates fidei licet in ſe, & nobis certiſſimas: quibus iudicio non poſſumus diſſentire, & ſi vellemus; Vt ergo illorum falſitatem tantum appræhendimus, non iudicamus; ita etiam ſæpè actus vel obiecti malitiam. Vnde etiam idem Breſſerus ait, ſcrupulum poſſe eſſe cum conſcientia certa de honeſtate, vel veritate obiecti, vel cum conſcientia ſtrictè dubia. Addit Breſſerus nu.5. ſcrupulum latè ſumptum ſignificare etiam iudicium, ſeu opinionem, ac ſuſpicionem de obiecti malitia abſque ſufficienti fundamento, quia iudicium, & opinio magis eſt nata affligere, & turbare animum, quam appræhenſio; ac proinde quando non nititur fundamento, merito vocatur communiter à doctoribus ſcrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa. Ita pariter videtur ſentire *Layman d.cap.6.n.1.* dicens ſcrupulum eſſe inani ratione

tione

tione nixam appræhensionem, ex qua oritur timor peccatum alicubi esse, vbi non est.

5 Alij vero magis communiter indicant scrupulum propriè esse actum secundæ operationis, nempe iudicium quoddam de malitia actus, vel obiecti ex leui ratione, seu ex prędicta appræhensione leuis rationis proueniens; Definiunt enim scrupulum, vt in opere varior. moralium tit. 1. num. 3. dictum est, esse leuem quandam suspicionem, seu existimationem ortam ex leuibus rationibus, ac fundamentis, qua quis credit, seu iudicat esse peccatum, quod re vera non est. Hanc definitionem in terminis tradunt *Vasquez d. cap. 2. n. 8. Sayrus d. cap. 14. nu. 1. Ioannes Sancius d. disp. 41. n. 1. Bonacina d q. 4. p. 6. n. 3. Filliucius d. cap. 4. nu. 175. Petrus Binsfeldius de tentationibus cap. 6. Et prius tradiderunt post Albertum in lib. de quatuor coguis D. Antoninus d. §. 9. & Syluester dicto V. scrupulus n. 1.* definientes scrupulum, quod sit motio ad vnam partium contradictionis ex coniecturis, seu medijs leuib. & multum debilibus, quæ etiam dicitur suspicio, & pusillanimitas spiritus. Et suspicionem trepidam prouenientem ex nimio timorę cadendi in via Domini, appellat scrupulum etiam *Gerson tit. de regulis moralibus littera C. qui est primus titulus p. 2. idem quod D. Antoninus, & Syluester habet Azorius d. cap. 20. q. 1. & 2.* vbi dicit, quod scrupulosus animus est, qui in quæstione ad actionem pertinente, adhæret vni parti motus ex leuib. dumtaxat coniecturis, & argumentis: *Iacobus Aluarez etiam d. §. 5.* dicit quod scrupuli sunt cogitationes quædam leuissimis rationibus, & ferè nullis fundamentis innixæ, quibus iudicamus peccatum aliquid siue graue, siue leue pro qualitate scrupuli actionibus nostris inesse. Demum alijs omissis *Villalobos d. orat. 1. diffi. 1. n. 3. & Sanchez d. lib. 2. de matri. allegata disp. 41. dicto nu. 2.* sine approbant definitionem D. Antonini aientis scrupulum esse assensum ex leuibus coniecturis, vel etiam iuxta *Cordubam lib. 3. quæstionarij* quæst. 2. ex magnis parum existimatis ab habente scrupulum. Idem *Sanchez lib. 1. sum. cap. 9. num. 1.* approbat præallegatam definitionem scrupuli datam à Vasquez

scilicet quod sit leuis quædam suspicio aut existimatio ex leuibus orta rationibus, & fundamentis, quaquis credit aliquid esse peccatum, quod re vera non est, & si postea addat, id intelligendum non de vera suspicione, aut credulitate, quæ assensum producat (quia sic esset opinio) aut vtriusque partis assensum excludat (quia sic esset dubium) sed quando (inquit) est vehemens appræhensio ex leui fundamento assensum partis contrariæ non excludens titubare aliquantulum cogit. Quæ tamen declaratio repugnat dicto eiusdem Sanchez, quod habet d.disp.41. nu.2. & expressis verbis, seu definitioni *D. Antonini Vasquez*, & aliorum doctorum expresse dicentium esse credulitatem, adhæsionem, & motionem intellectus erga vna partem contradictionis (scilicet aliquid esse peccatum) ex leuibus fundamentis; & scrupulum esse credulitatem, scilicet leuem assensum ex leui causa, ac proinde temerarium, & contemnendum dixit sum. *Pontifex in cap. inquisitione de sent. excommunicationis*, & ait etiam *Glosa ibid. verbo leui, & temeraria*.

Addunt tamen *Vasquez & Azorius & innuunt aliqui alij* ex præallegatis doctoribus præsertim *Becanus, Manuel, Bonacina, & Villalobos*, aliquando posse contingere scrupulum absque determinato assensu cum solo dubio cum aliquid sit peccatum, ita vt, ob leuem rationem, vel etiam absque vllo fundamento, quis omnino hæsitet, non sine molestia, an peccatum sit, nec nè nulli parti assentiens; sed communiter nihilominus doctores volunt scrupulum tunc contingere, quando quis assentitur vni parti, & ibi non quiescit, sed vexatur anxietate, & perturbatione ob suspicionem, & formidinem, seu credulitatem de altera parte opposita conceptam ex leuibus rationibus, & etiam aliquando sine vlla ratione, & rectè aiunt Sanchez, & Azorius. Quare iuxta hanc sententiam appræhensio malitiæ actus, vel obiecti ex leui ratione, seu fundamento erit scrupulus inchoatiuè, formaliter verò, & completè scrupulus est iudicium, seu assensus, aut credulitas ad illam appræhensionem sequens; huiusmodi enim iudicium, seu assensus, quo

credi-

creditur esse aliquid peccatum, est quod præcipuè pungit animum, & excitat in voluntate timorem, perturbationem, & anxietatem, & perplexitatem; & iuxta hanc eandem sententiam distinguitur scrupulus ab opinione, & dubio, & etiam à scientia: tum quia assensus scrupulosus excitat, & habet in voluntate annexam solicitudinem terrorem, seu timorem, & anxietatem, tum quia non innititur rationabili fundamento, sed leui imò (vt dixi) aliquando concipitur sine vlla ratione.

6 Vnde etiam ad discernendum an iudicium, seu assensus, vel etiam dubium sit scrupulus, non est attendenda firmitas iudicij, seu assensus aut dubij se tenens ex parte subiecti, seu assentientis, seu quæ est in ipso assensu, seu iudicio, aut dubio, sed attendenda est causa, vnde iudicium, seu assensus orituri, siquidem nihil refert sit ne iudicium intensum, & ex parte subiecti, seu iudicantis, firmum, an remissum; modo non nitatur rationabili, & sufficienti fundamento. Sed leui ratione; semper enim manebit scrupulus, vt rectè post *Sot. 4. d. 27. q. 1. a. 3. vers tunc ergo notauit Sanchez d. dis. 41. n. 3.* & repetit *d. cap. 9. nu. 2.* Hac autem sententia retenta scrupulus circa veritates fidei non erit sola appræhensio, sed iudicium, seu assensus, vel quod ob dictam appræhensionem dubitauerit circa fidei veritatem, vel eam non crediderit, vt oportet, & ex fidei præcepto quilibet fidelis tenetur.

7 Cæterum seu dicamus scrupulum esse ipsam appræhensionem siue dubitationem siue (quod communiter à doctoribus asseritur) iudicium, seu assensus, aut credulitas aliquid esse peccatum rationabili, vel etiam omni fundamento carens; Talis appræhensio, seu consensus, vt dubitatio dicitur scrupulus, quia animo, seu intellectui insidens molestiam, inquietudinem, & anxietatem in voluntate parit sumpta metaphora à scrupo, cuius diminutiuum est scrupulus; scilicet quod sicut scruptus, seu lapillus, qui in calceo latet pungit pedem, & molestiam ambulanti infert; Ita scrupulus pungit conscientiam, seu animum, & molestiam in eo parit.

8 Ex dictis autem patet certum esse scrupulum posse consistere cum iudicio non solum probabili, & opinatiuo, sed etiam certo, & etiam cum dubio de re apposita, si pro scrupulo sumitur sola apprȩhensio malitiȩ actus, vel obiecti, ex leui, vel nullo fundamento orta. Si verò scrupulus propriè sit solum assensus, seu iudicium de malitia actus, vel obiecti, vel dubium ex leui, vel nullo fundamento ortum, certum est etiam esse posse cum opposito assensu, seu iudicio determinato de honestate obiecti; Vt si quis iudicet sibi licere comedere carnes in Quadragesima, quia non leui morbo laboret, & quia Medicus peritus, ac etiam confessarius dixerunt; & tamen quia necessitas non est euidens, contrariȩ parti etiam leuiter assentitur, vel de ea hȩsitat, seu dubitat cum molestia, & afflictione, motus solum leui fundamento, vel nullam rationem assentiendi, vel dubitandi habens.

9 Ex dictis quoque, cum scrupulus sit assensus, seu iudicium, leui nullo fundamento innixus, inferri potest, ordinariè conscientiam scrupulosam iudicatiuam de malitia actus vel obiecti esse etiam erroneam, & si non semper, quia aliquando potest quid credi absque sufficienti fundamento ea parte credentis, quod sufficit ad scrupulum iuxta Doctores; & tamen à parte rei esse verum; quo casu dabitur conscientia scrupulosa, sed vera.

Agere contra scrupulum qualiter liceat.

PRædictis igitur præmissis deueniendo ad difficultatem, an contra conscientiam scrupulosam, seu contra scrupulum; eo non deposito, sed permanente, liceat agere v.g. si quis existimaret motionem manus, vel oculorum ad cœlum eleuationem peccatum esse, vel non licere sibi comedere carnes in Quadragesima, quarum esum Medicus peritus ei dixit esse licitum ratione infirmitatis, qua laborat; vel se numquam rectè confiteri, aut semper sacrilegè sumere Eucharistiam, non obstante quod confessioni, & communioni conuenientem præparationem con-

consueuerit præmittere, an possit huiusmodi actiones exercere non deposito scrupuloso dictamine, quod in earum exercitio insit peccatum, & præteritas confessiones non reiterare.

10 Et quibusdam visum est non posse agere, scrupulo, seu scrupuloso dictamine non deposito. Primò quia ad rectam operationem requiritur saltem probabile iudicium de illius honestate, & permanente scrupulo dictante operationem esse peccatum, non potest esse tale iudicium; ergo nisi deponatur, illicitum erit agere. Secundò, quia in *cap. inquisitioni de sent. excommunicationis*; Vbi summus Pontifex coniugi habenti scrupulum, quo dubitabat de matrimonij valore permittit vsum matrimonij, sed tamen deposito prius scrupulo, cum dicat, *conscientia leui, & temeraria prius explosa*. Tertiò ex *cap. per tuas secundo de simonia:* Vbi Innocentius Tertius dicit deponendam esse conscientiam scrupulosam à clerico sine fundamento existimante Episcopum ordinatorem esse simonianum, antequam ad ordines ab eo suscipiendos accedat, sic enim ait Pontifex, *contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne forte ædificet Gehennam, licet ex eo, quod conscientiam haberet scrupulosam in difficultatem huiusmodi sit collapsus, quam vtique non euadat, nisi deponat errorem*. Aliæ rationes ad id probandum adduci possent, quæ ponuntur, & soluuntur infra. Ita videntur tenere *Rodriquez d. cap. 53. Ludouisius Lopez 1. p. instructorij c. 3. vers. ex quo sequitur in fine, & nonnulli alij, quos Salas d. sect. 29. refert.*

11 At communis sententia est, licitum esse agere contra conscientiam scrupulosam, an aliquid sit peccatum, ea non deposita. Ita *D. Antoninus, Syluester locis citatis. Nauarrus in d. cap. si quis autem n. 64. & 65. & in sum. prælud. 9. n. 9. & to. 1. consil. 9. de empt. Vasquez d. cap. 2. n. 8. Sanchez dicto cap. 10 n. 80. Sà. V. dubium fine. Salas d. sect. 29. n. 298. Ioannes Sancius d. disp. 41. n. 7. Rodriquez d. q. 66. art. 3. Azorius, Sayrus, Filliucius, Layman, Bonacina, Iacobus Aluarez locis supra allegatis. Reginaldus d. lib. 13. nu. 122. Martinus Bresserus d. lib. 6. cap. 4. n. 26. & alij in initio allegati, & quos Salas, & Ioannes Sancius* referunt,

runt, & omnes de ſcrupulis agentes, dum præcipuum remedium aduerſus ſcrupulos volunt eſſe, ſcrupulos contemnere, & contra illos agere, vt infra explicabitur. Et quidem ſi ſcrupulus ſit ſolum apparentia, ſeu appræhenſio malitiæ ex leui argumento; probatur euidenter hæc ſententia. Quia vt ex ſupradictis patet, cum tali appræhenſione ſtare poteſt, & ſtat iudicium, tum certum, tum probabile de honeſtate actus, vel obiecti, cui ſe in operando conformans patiens, ſeu habens ſcrupulum, rectè operatur; Neque ſola ſimplex appræhenſio eſt, vel eſſe poteſt regula bene, vel male operandi, ſed ſolum iudicium, quo poſitiuè, & negatiuè de honeſtate, ſeu bonitate pronuntiatur. Suppoſito verò quod ſcrupulus ſit ex leui cauſa orta formido, ac ſuſpicio de malitia cum aliquo aſſenſu, vel cum dubitatione formali, adhuc probatur ſatis manifeſtè hæc ſententia; nam ad rectè, & honeſtè operandum non requiritur certitudo, phyſica, aut moralis de honeſtate operationis excludens omnem fortitudinem de oppoſito, ſed ſufficit iudicium prudens, & probabile eſſe honeſtam, & minimè peccaminoſam, vt ſupra in tit. 1. moral. var. num. 118. & in præcedentibus ſæpè repetitum eſt; At non obſtante ſcrupulo, ſeu aſſenſu, vel dubitatione, an actio, vel omiſſio ſit peccatum, poteſt ex principijs intrinſecis, vel extrinſecis haberi iudicium probabile, & prudens, actionem, vel omiſſionem non eſſe peccatum, ſed licitam. Ergo habens ſcrupulum conformando ſe tali iudicio in ſua operatione, vel omiſſione non peccabit. Quod autem cum ſcrupulo poſſit haberi illud iudicium probabile, iam ſupradictum eſt, & patet ex eo, quia ſcrupulus procedit ex leui fundamento, & debiliori, quam ſufficiat ad gignendam probabilem opinionem. Ergo non impedit iudicium ſaltem probabile de bonitate actionis, vel omiſſionis, imò etiam ſi fundamentum ſcrupuli gigneret opinionem probabilem adhuc eo non obſtante poſſet quis in praxi adhærere contrariæ opinioni probabili, & conſequenter multo magis ſi tale fundamentum non efficiat opinionem probabilem, ſed tantum ſcrupulum, ſeu formidoloſum

ſum

sum assensum, aut dubitationem. Ergo nō peccabit agendo contra scrupulum. Confirmatur, quia opinans ob aliqua principia intrinseca, & extrinseca aliquid esse illicitum, potest illud operari, si etiam ex alijs principijs intrinsecis, vel extrinsecis iudicet probabile illud etiam fore licitum, vt late supra agentes de opinione probabili ostensum est; imò etiam si per principia intrinseca opinaretur aliquid esse illicitum, posset illud operari, inductus authoritate, & opinione Doctorum asserentium illud licitum fore, quamuis opinionem illorum, ex iisdem intrinsecis principijs iudicet falsam, vt ostensum est supra *in tit. 1. moral. var. nu. 84. 106. & 135. & docent Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 3. n. 10. Lessius de iustitia lib. 2. cap. 41. n. 76. Salas 1. 2. tract. 8. disp. vnica sect. 8. Coninch de sacr. disp. 34. n. 84. Ioannes Sancius d. disp. 41. n. 7. & alij d. n. 84. & 135. relat.* Ergo à fortiori quis licitè aget contra scrupulum ductus auctoritate confessarij, vel aliorum virorum Doctorum assentium licitum esse, quod scrupulus dictat esse peccatum. Cum opinio Doctorum fundetur in ratione probabili, & vero scrupulus in defectu rationis, & solum vt plurimum in inanibus delirijs, & pura imaginatione. Et prædictæ rationes procedunt, ac probant etiamsi scrupulosus ignoret se esse scrupulosum, seu suum iudicium debili fundamento inniti, & leue, vel scrupulosum esse, multo magis ergo vim habebit, si hoc sciret, vel crederet, etsi tantum probabiliter; semper liceret illi agere contra scrupulos quoslibet, siue appræhensiuos, siue iudicatiuos, siue consistentes in dubitatione; Quia eo ipso quod sciret, vel crederet probabiliter, se scrupulo, & leui fundamento formidare, vel dubitare de malitia operationis, vel omissionis, posset illud contemnere, & eo non obstante habere iudicium, saltem probabile, se non peccare agendo contra scrupulum; & sic habere conscientiam rectam saltem probabilem, præsertim si confessarius, vel alter vir doctus iudicauerit esse licitum, quod scrupulus proposuit tanquam illicitum; vt tradunt *Sanchez d. cap. 10. n. 81. fine, & Ioannes Sancius d. disp. 41. n. 16.* Confirmatur præterea, quia agere contra scrupulum

lum non tantùm licet,& expedit, sed etiam aliquando est obligatorium iuxta Doctores, vt infra *num.* 31. 34. *&* 59. *ostenditur*. Denique si scrupulosis non deposito iudicio contra illud non liceat agere, concedendum foret, plures salutem consequi non posse, dum scrupulis adeo vexarentur, quod in omnibus se peccare putarent, idemque in existimantibus se confessiones inualidas semper facere, & sacrilege communicare semper; quibus certè necessarium esset perplexitatem incurrere confitendo, vel non confitendo, & Eucharistiam suscipiendo, & non suscipiendo; quia supposito, quod iudicium non deponunt, peccant confitendo, vel communicando, si verum esset scrupulosum non posse contra suum iudicium operari; non confitendo etiam,& non communicando peccaret, si tempore paschatis non confiteretur, & communicaret; Status autem perplexitatis absque culpa perplessi (qua caret scrupulosus cum inuoluntaria imaginatione iudicium scrupulosum excitante vexetur. Vnde Doctores communiter dicunt scrupulum esse infirmitatem, seu defectum naturalem, aut Crucem à Deo inflictam) admitti non potest, vt constat ex dictis supra *in tit.* 1. *mor. var. n.* 54. *&* 55. & tradunt Doctores ibidem citati, si quidem inde sequeretur admittendum statum necessarium ad peccandum, sine culpa, seu libertate quod est impossibile, eo quod peccatum intantum sit peccatum, inquantum voluntarium, & ex libertate procedens, vt dictis numeris 54. *&* 55. *tit.* 1. *mor. var.* dictum est, & docent Doctores ibidem citati, & alij, quos Ioannes Sancius d. disp. 41. num. 10. allegat.

12 Quod si scrupulus ita vehemens esset, vt impediret, vel omninò tolleret, seu aboleret iudicium, ac dictamen de honestate operationis, vel omissionis; & non sineret illo modo haberi conscientiam rectam saltem probabilem, licet esset in leui, vel nulla ratione fundatum, & cōtineret errorem, tunc non liceret agere contra talem scrupulum, sicut non licet agere contra conscientiam erroneam, ea non deposita; Nam in tali casu, nullum esset dictamen practicum, rectæ operationis, seu proponens operationem,

nem, vel omissionem sub ratione honesti, & liciti, sed solum dictamen oppositum proponens sub ratione inhonesti, & illiciti; & id constat ex dictis de conscientia erronea, & tradunt *Reginaldus d. lib. 13. nu. 103. Salas d. sect. 29. n. 297. Sanchez d. cap. 10. n. 80. fine Bresserus d. cap. 4. n. 23. Ioannes Sancius d. disp. 41. nu. 16.* Et id tantum absque dubio docere volunt *Rodriquez, Lopez, & alij Doctores*, dum dicunt esse peccatum agere contra conscientiam scrupulosam, seu contra scrupulum, nisi prius deponatur. Id etiam tantum probat textus allegatus *in cap. per tuas de simonia*, vbi dum Pontifex dicit, quod clericus ille non euadet culpam, nisi deponat errorem, intelligitur de errore excludente omninò iudicium certum, vel probabile de honestate actus. nempè quo clericus, nec verum, nec probabile existimabat licere sibi ordines ab eo Episcopo, quem sine fundamento putabat Simoniacum, accipere, prout etiam notant Salas, & Bresserus vbi supra. Puto tamen, quod vix, aut rarissimè quis scrupulosus possit ad talem statum redigi, vt omninò formare non possit iudicium saltem probabile scrupulo oppositum inductus saltem aliorum virorum peritorum iudicio, si agnoscit se scrupulosum esse: eo enim ipso, quod scit se scrupulis esse obnoxium, nouit etiã iudicium scrupuli, esse inane, & temerarium, carensque fundamento, & consequentur eo contempto, seu contra illud, se licite posse sequi in praxi aliorum peritorum iudicium.

13 Si etiam scrupulis vexatus, eo deueniret, vt vtrumque scilicet agere, vel non agere existimaret illicitum, idque absque sua culpa, tunc licitè posset, & deberet eligere eam partem, in qua sequenda minus peccatum ei omnibus consideratis appareat iuxta tradita de conscientia erronea supra *in tit. 1. mor. var. n. 54.*

14 Ex dictis manent soluta primum, & tertium argumentum ex adductis supra nu. 10. Ad secundum vero respondetur in dicto cap. inquisitioni non dici *reposita, sed explosa, quod nomen potest significare idem quod spreta, seu contempta, non deposita*, contemnitur, dum ea non obstante formatur iudi-

iudicium saltem probabile, licitum esse operari, saltem ob consilium, & authoritatem Pastoris, aut alterius Viri Docti, & Prudentis.

Regula, seu signa, ex quibus quis dignoscitur scrupulosus, seu habere conscientiam scrupulosam.

15 ADuertendum autem, quamuis vnicus actus appræhensionis, vel iudicij, aut dubitationis de malitia, actus, vel obiecti leui, vel nulli rationi innixius pariens in voluntate molestiam, & anxietatem dicatur scrupulus, nihilominus ab vno tantum actu, quis non denominatur scrupulosus, aut dicitur habere conscientiam scrupulosam, sed à pluribus. Quare tunc quis dignosci poterit, & iudicari scrupulosus, seu habere conscientiam scrupulosam, quando in certa materia, vt excommunicationis, aut voti, vel confessionis, aut in pluribus ex consuetudine, & habitu, sæpe, & frequenter appræhendit, dubitat, aut credit aliquid esse peccatum absque fundamento, vel saltem leui, & friuola aliqua ratione. Ita post *Gersonem, Antoninum, & Syluestrum locis initio paragraphi allegatis. Azorius d. cap.* 20. *q.* 13. *Vasquez d. cap.* 2. *nu.* 8. *Sanchez lib.* 1. *sum. cap.* 9. *nu.* 2. *fine Bresserus d. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 8. & alij *recentiores supra relati præsertim Iacobus Aluarez d.* §. 5. *versic. Gersoni.* Vbi ex Gersone dicto tractatu de pusillanimitate, *Dionisio Richelio lib. de remedijs tent. art.* 10. *D. Antonino, Syluestro, & alijs Theologis* latius enumerat signa, quibus quis se scrupulosum, seu scrupulis agitatum cognoscere potest. Nempè si se tristem, atra bile affectum, & vehementibus imaginationibus impugnatum videat: si eadem præter ordinem inculcet, & facilia, ac omnibus nota frequenter interroget. Si post responsum à viro prudente datum animum minimè quietum, sed mutabundum, & hærentem aduertat: si cautela extraordinaria, ac sæpè ridicula peccata, & imperfectiones vitet. Si quæ antea sciebat non esse peccata, nunc velut peccata appræhendat, vel iudicet: si de his dubitet, in quibus nullus vnquam dubitandi rationem inuenit: si post

arre-

arreptam virtutis viam se in his, in quibus quietus erat ex prudenti ratione, inquietum, & turbatum agnoscat: si tandem ea negotia, aut occupationes, quas alij sui status timoratæ conscientiæ sine vllo timore suscipiunt, ipse non sine molestia turbationis exerceat. Qui ergo prædicta omnia signa, vel aliquod illorum in se ipso denuò animaduerterit, vel post aliquod tempus quietis pullulasse depræhenderit, se scrupulis laborare, & agitari meritò existimare debet; Vt idem Aluarez concludit. Inuabit etiam ad id, cognoscere causas, ex quibus scrupuli oriuntur.

Causæ ex quibus oriuntur scrupuli.

16 CAusæ autem scrupulorum iuxta *Gersonem, D. Antoninum, Siluestrem, Nauarrum, Reginaldum, Rodriquez, Salam, Bresserum, Iacobum Aluarez locis supra nu.* 1. *relatis*, sunt sequentes, quarum aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ, & intrinsecæ aliæ se tenentes ex parte corporis, aliæ ex parte animæ.

Prima est parte corporis est corporis complexio naturalis, vel aduentitia ad timorem idonea, qualis est complexio frigida, flegmatica, & melancholica, cuius est inanes cogitationes excitare, & timorem incutere, vt apparet in fœminis præsertim vetulis, & in melancholicis. Et ratio est, quia cum in flegmaticis, & melancholicis deficiat calor, & præualeat frigus, cuius est constringere, in ipsis spiritus circa cor, constipantur, & congelantur, & consequenter cor ipsum constringitur, constitutio verò cordis, quæ vergit ad timorem, disponit imaginatiuam ad appræhendenda tristia, & mala, quæ sunt timoris obiectum; ex quo fit, vt qui sunt complexionis frigidæ, facile ominentur ibi imminere malum, vbi nullum imminet; Et sint pusillanimes, & meticulosi; sicut e contra cholerici, & sanguinei sunt magnanimi, & audaces; quia ob copiam caloris, & spiritum cor eorum dilatatur. Qua propter sicut flegmatici, & melancholici in bello corporali incursum hostium vbique timent; sic in spirituali vbique metuunt Dæmonis insi-

insidias. Constitutio etiam flegmatica, est quietis auida, & doloris impatiens, ac proindè facit, vt homo cuncta horreat, quæ aliquam præseferunt difficultatem.

17 Secunda est infirmitas capitis, per quam læditur imaginatio, vel etiam ratio, & ad hanc causam spectat morbus maniæ, seu malencholia: Mania enim iuxta *Galenum, & Anicenam à D. Antonino relatos* ex abundantia atræ bilis lædit cellulam cerebri anteriorem, & consequenter imaginationem, ac sensum communem, cuius illa cellula est sedes. Melancholia verò iuxta eosdem ratione eiusdem atræ bilis, lædit mediam cerebri cellulam, & consequenter vim æstimatiuam, (& ita etiam rationem, seu iudicium) cuius illa est sedes. Et si eadem atrabilis inficeret, ac læderet posteriorem cerebri cellulam, debilitaretur, & amittaretur memoria, cuius est eadem cellula sedes.

18 Quod autem dictum est de mania, & melancholia, idem dici potest de alijs vitiosis humoribus, quibus cum repletur cerebrum, actiones mentis impediuntur, & iudicium deprauatur. Aduertit verò *Bresserus d. lib. 6. n. 14.* vim imaginatiuam lædi non tantum melancholia, vel alijs vitiosis humoribus; sed etiam vehementi, ac frequenti imaginatione v.g. peccati in genere, vel specie; quo fiat, vt vi imaginatiuæ, sic læsæ lædatur quoque æstimatiua, ac propter turbatam imaginationem, ac phantasiam turbetur quoque iudicium, & ratio ob magnam connexionem, & sympathiam, quæ inter ea intercedit; vnde sequitur, vt scrupulosus aliquando ducatur non tàm libertate, ac ratione, quam naturali inclinatione, ac necessitate instar bruti, cum in totum hominem maxima sit potestas imaginationis ex *Gersone & alijs.*

19 Tertia est negligentia regiminis corporalis, vt si quis immoderatis vigilijs, abstinentijs, ieiunijs, & alijs exercitijs austeritatis naturam destruat, vnde fit totus debilis, phantasticus, & melancholicus, sibique ipsi (vt inquit Gerson de exercitijs debit. simplicium) Deo, & hominibus inutilis, periculosus, & grauis.

20 Ex parte animæ prima causa est ignorantia, quæ est

mater

mater ſcrupulorum, qui vt plurimum, vt ex dictis conſtat, ſunt appræhenſiones, dubia, aut iudicia erronea, quæ ex nulla, vel leui cauſa, & fundamento concipiuntur. Ignorantia igitur, qua quis aut Dei præcepta, aut eccleſiæ imprudenter intelligit, vel cauſata ex negligentia conuenientis ſtudij, aut meditationis, aut ſe Deo commendandi, vel ex ſuperbia familiari pleriſque nolentibus ſuperiores, ac prudentiores conſulere, nec parere, cum conſuluerint, ſed ſuum ſequi ſenſum, quantumuis ſtultum, quod ſæpè non contingit abſque culpa ipſis verè libera, præſertim ſub initium ſcrupulorum, antequam illi occupauerint, & læſerint cerebrum, ſcrupulos gignit.

Licet interdum (quæ eſt ſecunda cauſa) oriantur ſcrupuli ex ſcientia, meditatione, vel ingegnij acumine, quibus quis excitat difficultatem, ſed non habet ſufficientia principia, & alia requiſita, vt illam reſoluat. Sæpe etiam ſcrupuloſis obeſt lectio librorum Theologicorum, præſertim tractantium de caſibus conſcientiæ. Etenim ſicut ſtomacho iam malis humoribus infecto cibi deindè ingeſti in malos etiam, crudoſque humores conuertuntur, niſi parcè ſumpti benè digerantur; Ita contingere ſolet ijs, qui conſcientiam habent ſcrupulis infectam, nempè, vt omnes caſus in libris lecti, vel ab alijs auditi in ſcrupulos conuertantur. Quod limitandum, niſi libri ſelecti ſint, quibus proponantur remedia ſcrupulorum, qualia infra explicantur, vt conſcientiæ ſcrupuloſæ applicentur.

Tertia eſt intenſa conſideratio, cum ſollicitudine nimia cauendi omne illud, quod poteſt eſſe malum, ſeu peccatum: nam ſicut, qui in anguſta ſemita ambulans nimis attentè conſiderat profundum, in quod labi poteſt, multò magis timet lapſum, quam alioqui faceret: Ita qui nimis ſollicitus eſt de cauendo peccato, qualis cenſetur ille, qui omnia peccata venialia, & minima, quæ homo in hac vita vitare poteſt, ſolicitè conſiderat, timore magis afficitur, ſeque in agendo exponit periculo peccandi cõtra conſcientiam erroneam culpabilem. Ad hanc cauſam quoque reducitur tum nimius ardor, & indiſcretus zelus aliquorum,

qui puritatis adeo amantes ſunt, vt minimas etiam maculas perhorreſcant, & maximas reputens; tum nimius, ac inordinatus timor Dei, quem nonnulli concipiunt ea conſideratione diuinæ iuſtitiæ in puniendis peccatis; quo timore obreptus animus variarum difficultatum obiectu tamquam procella proinde agitatur, ac cum meticuloſus in tenebris inania quædam, & horrenda ſpectra ſibi videre videtur.

Quarta amor ſui immoderatus, quo homo ſe inordinatè amat; & in turbationem incurrit dum aliquid ſibi nociuum appræhendit.

Quinta ſuperbia, qua animus elatus deijcitur, etſi non in peccata, & in dubitationes, & in cogitationes pueriles, & ridiculas labi permittitur.

Sexta. Immiſericordia, vt qui alios dubitantes, anxios, & ſcrupulis agitatos contempſit eamdem perturbationem, & anxietatem experiatur.

Septima, fiducia ſui, qua quis putauit omnia vitæ ſpiritualis ſtudia eſſe facilia, videns autem difficultatibus redundare incipit ſeipſum vereri.

21 Cauſæ extrinſecæ ſunt primò ſocietas ſcrupuloſorum, & timidorum, aut aliorum ignorantium, & nimis inquirentium. Vnus enim ſcrupuloſus inficit alium, & ſimile generat ſibi ſimile. Quare etiam in delectu librorum ſpiritualium, & confeſſariorum cauendi ſunt ſcrupuloſi, & nimium ſeueri, qui æquitate in definiendis fori conſcientiæ controuerſijs vti neſciunt quando, & vbi oportet. Hoc autem quod dictum eſt de euitanda ſocietate ſcrupuloſorum, limitat *Ioannes Sancius d. diſp.* 41. *num.* 23. ſi ſcrupuloſis communicantes melancholici ſint, & parum ſcientes; nam ſi ſapientes ſint, & animo hilares, rariſſimè (inquit) eueniet ipſos infici ſcrupulis, quantumcumque cum ſcrupuloſis communicent.

Secundò Dæmon, qui permittente Deo ſcrupulis hominem infeſtat, vt à via virtutis abducat; quod præſtat Dæmon non immediatè agendo in intellectum, & voluntatem (quia non poteſt immediatè afficere, ac perturbare ſupe-

superiorem animæ partem) sed agendo proximè in partem inferiorem imaginationem, & appetitum sensitiuum, eiusque organum humores melancholicos, & phantasmata sic commouendo, vt imaginatio turbetur, & erret in rappresentandis intellectui rebus: suggerendo ea etiam, quæ nunquam in mentem antea venerunt, aut quæ videbantur omninò oblita, aut quæ præ subtilitate mens humana vix excogitare posset; excitando quoque difficultates, quas homo nequeat postea dissoluere. Excitat insuper aliquando motum quendam corporis, palpitationem cordis, & capitis, ac sensuum grauedinem, & ingerit tantas rixarum interiorum molestias, vt interiorem pacem, & suauem cordis consolationem auferat. Opportunitatem etiam tentationibus accommodatam obseruat humani generis hostis; nam cum videt hominem tranquillitate carentem, laxam suadet viuendi libertatem, in qua nihil tale reperiatur; cui verò id suadere non potest, eum ita vrget scrupulorum importunitate, vt vitam acerbam agat, angatur perpetuò, impatiens fiat, ac melancholicus; contra Deum, à quo videtur derelictus murmuret, hominum consuetudinem odiosam habeat, vitæ tædium sentiat; & tandem ad desperationem tendat, seque reprobum, & æternæ damnationi adiudicatum existimet. Quapropter solet Dæmon scrupulis præsertim aggredi recens conuersos, vt quos via lata ducere non potuit ad perditionem, ijs viam vitæ æternæ reddat nimis arctam, & horridam, atque inducat ad desperationem.

Tertiò, Deus, qui scrupulis instimulat tepidos, vt imperfectiones fugiant, aut probat feruidos, & tanquam in fornace purificat quemadmodum etiam alias afflictiones, ac tribulationes animi, vel corporis infert, vel permittit ad eundem finem, vt purget, exerceat, & humiliet.

Vtilitates, & damna scrupulorum.

22 PRædictis scrupulorum causis explicatis aduertendum scrupulosos esse duplicis generis, nam aliqui sunt li-

bertini, scilicet qui propriè conscientię curam non habent, sed peccatis dedditi sunt, & hi sunt, qui agitantur scrupulis circa præterita peccata, sed de futuris cauendis parum solliciti sunt: alij verò sunt timoratæ conscientiæ, illius curam habentes, qui non solum soliciti sunt circa præterita peccata delenda per conuenientem pænitentiam, sed etiam circa futura præcauenda.

Et primis quidem laxioris, ac liberioris conscientiæ vtiles sunt scrupuli (vt benè explicat Reginaldus d. lib. 2. nu. 105. & Bresserus d. lib. 6. nu. 19.) qui eorum conscientiam constringant, vt tandem ad mediocritatem traducantur; & ob alias rationes mox subiungendas. Ijs verò qui non habent conscientiam laxam, & vacant puritati animę, habentque propositum efficax euitandi peccata omnia saltem mortalia, & placendi Deo, ad idquè omnem opem, & studium adibent, aliquando sunt vtiles scrupuli, præsertim si sint recenter ad Deum conuersi, & incipientes; quibus non parum iuuant ad purgandam animam: introducunt enim in cognitionem peccatorum, & efficiunt, vt anima de die in diem à peccatis purior reddatur, quatenus conscientiam, & animam nimis liberam, ac effusam in vanitates instar fræni cuiusdam cohibent, & abducunt ab omni specie peccati, adeoquè relabendi periculo. Purgant etiam animum per modum cuiusdam pœnitentiæ, & satisfactionis a reliquijs, ac pænis peccatorum vitæ præteritæ; cum ea pœnitentia certè sit grauis, molesta, ac molestum quoddam purgatorium. Vtiles etiam sunt ad mortificandas, & refrænandas passiones nimis adhoc viuaces iuxta illud psalmi: *Confige timore tuo carnes meas, idest, carnalia desideria, & concupiscentias;* & valent ad radicationem, & confirmationem virtutum, iuxta illud, *Initium sapientiæ est timor Domini:* cum timor Domini nimius (vt dictum est) aliquando sit occasio scrupulorum. Denique prosunt etiam ad humilitatem, & cognitionem propriæ fragilitatis, ac cęcitatis. Quare hæc si moderata sunt, non nimis citò amputanda est scrupulosa conscientia ab eo, qui alias in viam salutis dirigit.

Si

23 Si verò (quod sæpius contingit) in tantum procedat, quod nimis magnam perturbationem mêtis, anxietatem, & tristitiam; similesque desolationes inducat, tunc remedia adhibenda, nam tempestas malorum, est permittere, vt anima hac vexatione turbetur; cum plura, ac grauia sint scrupulorum incommoda, ob quæ studiosis perfectionis, nec conscientiam laxam, & liberam habentibus vehementer obsunt, & ab intento perfectionis fine retrahunt. Primò enim quandoque faciunt, vt quod peccatum non est, fiat, & ad culpam imputetur, omne enim, quod contra conscientiam agitur, peccatum est, moraliter enim impossibile videtur vitare omnia, & non agere aliquid eorum, quæ scrupulosis sub specie, vmbraque peccati proponuntur; Vndè contingit, vt scrupulosi eodem opere peccent, quo alij merentur.

24 Secundo efficiunt, vt via virtutis, ac perfectionis ijs scrupulosis videatur nimis recta, horrida, & impossibilis, ideoq; desperatione quadam respiciant retrò, illaque relicta, reddeant ad viam latam, quæ ducit ad perditionem: Vel si viam virtutis non relinquant, valdè tamen in ea, seu profectu spirituali retardentur; dum scrupuli (quorum proprius effectus est perturbare mirum in modum quietos animos,) eis suauem spiritus dulcedinem, & pacem, ac quietem conscientiæ ad perfectionem bonorum operum valdè vtilem auferunt; ex quo fit etiam, vt ijdem scrupulosi priuentur prompta illa voluntate, ac desiderio seruiendi Deo, & cum mærore animum repleant, spiritum supprimant, & cor constringant, mentemque turbatam, & rebus per eosdem scrupulos illi præpositis addictum efficiant, reddunt hominem minus aptum ad actus amoris, ad orandum, meditandum, & contemplandum, ad aliaque virtutum exercitia perfectiora peragenda: Atque etiam ad audiendas inspirationes, & instinctus Spiritus sancti. Quo ferè modo in medijs turbis non benè audimus voces nos alloquentium: Etenim Auctor gratiæ Deus (ait Gerson de remedijs pusillanimitatis sub fine) habitare non vult in tali conscientia inquieta, & turbida, cum de eo scri-



ptum sit; *In pace factus est locus eius*. Quod scrupulosi non ita intelligant, quasi suis scrupulis, & sua conscientia Deũ ablegent, eiusque gratiam santificantem amittant; sed contra nempe, quod Deus non vult idest non desiderat, & quasi non gaudet habitare in tali conscientia, nec in illa sibi complacet. Qua propter etiam minores gratias illi communicat, neque in illa habitare potest tam perfectè, & commodè. Et hoc etiam modo intelligi debet D. Bernardus, dum de turbatione animi scrupulosa abigenda loquens *de interiori domo cap.* 11. causam reddendo, *dicit, quoniam Christus pax est, & in pace* requiescit *pacis amator, & in perturbato animo habitare non potest*.

25 Tertio scrupuli si intensi sint, sæpe adeo rationem offuscant, & turbant, vt eius lumen, vsumque tollant, scilicet circa materiam, & obiectum suum, experientia enim constat perfectè scrupulosos non plus sapere, aut rationum ab alijs præpositarum capaces esse, quàm stultos, nempe circa materiam scrupulorum, & si de alijs sapientissimè discurrant. Cum quibus proindè frustra rationibus agitur ad pellendos scrupulos. Item vna cum vehemẽti rationis perturbatione corpus sæpe adeo commouetur, & cerebrum ita agitatur, vt homo scrupulis laborans interiores, suas ineptias exteriùs prodat seque alijs ridendum exhibeat atque inconstans identidem effectus, modò susceptam actionem ob nouum aliquem scrupulum intermittat, modo ob contrariam dubitationem resumat.

Denique scrupuli ita scrupulosos pusillanimes efficiunt, vt sępe eos reddant ineptas ad docendum, ad concionandum, ad audiendum confessiones, & ad quoduis aliud opus exercendum ad Dei gloriam & proximi salutem alias agendũ; licet aliàs aptissimi, & egregijs naturę dotibus instructi; Pusillanimes enim effecti difficultatibus, occurrentibus, ita expugnantur, vt nusquam in conspectum hominum venire audeant, & aliquod ex prædictis operibus aggredi; Atque ita scrupuli non tantum in ipsis scrupulosis, sed etiam alijs impediunt profectum spiritus, ac maiorem Dei gloriam: Ex quibus patet scrupulosos ipsis scrulis

pulis incidere in incommoda, quæ eisdem cupiunt, & volunt euitare. At explicatis signis, quibus quis dignosci queat scrupulosus, declaratisque scrupulorum causis, nec non incōmodis, & damnis oportet proponere remedia, quibus expelli curarique possunt, & debent; quorum notitia est omninò necessaria ijs, quibus ijdem scrupulosi se committunt regendos; imò omnibus Pastoribus, Prælatis, & quibuscumque muneri audiendarum confessionum vacantibus; sunt autem remedia alia generalia, alia specialia, seu particularia particularium scrupulorum circa certam aliquam materiam. Primo loco proponam generalia; Deinde particularia.

SVMMARIVM §. SECVNDI.

26. ad 54 *Remedia scrupulorum generalia.*

26 *Primum agnoscere se scrupulosum.*

27 *Secūdum oratio, & inuocatio B. Virginis, & sanctorum Angelorum, & aliorum sanctorum, & meditationes de rebus latis.*

28 *Tertium, præparatio ad obtinendam diuinam gratiam per bona opera, contritionem de peccatis, confessionem sacramentalem, & sumptionem sacræ Eucharestiæ.*

29 *Quartum applicatio opportunorum medicamentorum de consilio medici.*

30 & 31. *nec varios consulat n. 32. Quintum committere se regendum prudenti, & discreto viro præsertim confessario, seu magistro spirituali, cuius iudicium, seu consilium scrupulosus quantumuis doctus omninò sequatur.*

33 & 34 *Sextum resistere scrupulis non positiuè disputando contra ipsos, sed negatiuè contemnendo, & diuertendo mentem ad alia cogitanda, vel agenda, & agendo contra id, quod dictat scrupulus.*

33 *Etiam confessarius, vel alius vir peritus a scrupuloso consultus non adducat ei rationes ad tollendos scrupulos, sed simpliciter, & absolutè dicat quid agendum, quid omittendum, & dimittat paucis verbis.*

35 *Nonnulla cauillationes scrupulosorum, & qua ratione confess*

rius, seu magister spiritualis debet refutare.

36 *Septimum non in omnibus dubijs consulere confessarium, sed regulis, vel consilijs, semel a confessariò habitis ex se vti, nec confessarius scrupulosum frequenter interrogantem admittat, sed verbis ad id appositis repellat.*

37 *Octauum, indubitatè teneat scrupulosus in moralibus ad rectè operandum satis esse duci opinione probabili, siue à se inuenta, siue à confessario proposita, licet non auferat omnem hæsitationem, vel formidinem oppositæ partis.*

38 *& sequ. Nonum, scrupulosus consilio confessarij, vel alterius viri docti nihil habeat pro peccato mortali, nisi certissimè sciat esse tale, siue agatur de præterito peccato, siue de futuro, imò nisi audeat iurare esse peccatum mortale, illudve commisisse, quin etiam aliquando etiamsi auderet iurare se commisisse, vel non fuisse confessum. idem de peccatis venialibus ibidem.*

41.42 *Decimum prudens, & benigna interpretatio legis diuinæ, & humanæ, & quod Deus vel ecclesia non intendunt obligare, vt homo appareat fatuus, & ridiculus.*

Scrupulosi ad pellendos scrupulos non debent facere gestus, vel motus corporis, exteriores maximè indecentes. ibidem.

43 *Sequantur exemplum aliorum virorum proborum putantes quod his licet, & sibi licere.*

Vndecimum recta intelligentia nonnullorũ principiorum practicorum, quæ explicantur num. 44. & pluribus sequentibus.

44 *Prudenter agit, qui bona fide procedit.*

Quis non peccat, nisi volendo rem expressè præcognitam sub ratione mali, ibidem.

Consuetudo declarat, & abrogat leges humanas. ibidem.

Censura non incurritur absque peccato mortali. ibidem.

45 *In rebus moralibus non requiritur certitudo ad benè operandum.*

46 *Scrupuloso in sui fauorem qualibet credulitas habenda est tanquam certitudo.*

47 *Regula illa, in dubijs tutior pars est eligenda, quà ratione sit intelligenda.*

48 *Scrupulosi in dubio eximuntur ab ijs obligationibus, à quibus in simili*

similì dubio non deobligantur ij, qui non laborant scrupulis.

50 *Dictum illud, qui amat periculum, peribit in illo, quomodo intelligendum.*

Aliud dictum, tene certum, & dimitte incertum, quod D. Augustino attribuitur, quomodo intelligendum ibidem.

Illud D. Gregorij Bonarum mentium est, ibi etiam agnoscere culpam, vbi non est, qualiter intelligendum ibidem.

51 *Prædicta remedia an, & qua ratione applicari possint scrupulosis liberioris conscientiæ, qui parum solliciti sunt de cauendis peccatis.*

53 *Quæ remedia ex supradictis cuique scrupuloso sint applicanda confessarij prudentis arbitrio relinquitur.*

54 *Inter labores confessarij nullus maior, quam contendere cum scrupulosis maximi tamen meriti apud Deum.*

§. SECVNDVS.

Quæ Remedia scrupulorum generalia.

26 PRimum remedium ex generalibus, quæ à doctoribus initio paragraphi relatis proponuntur & approbantur, est, vt scrupulosus cognoscat suam ægritudinem, nempe se esse scrupulosum (quod deprehendet ex signis, seu indicijs positis supra nu. 15. & ex causis scrupulorum à numero 47. traditis) & simul etiam consideret damna supra explicata ex scrupulis prouenientia.

27 Secundum, hoc cognito ante omnia, quemadmodum in alijs morbis animi, & corporis, recursus ad Deum per orationem, qua quis per Christum deprecetur se liberari ab hoc malo, a quacumque causa oriatur, licet præsertim oratio valeat ad tollendos scrupulos, prout proueniunt ex tẽtatione Diaboli, vt notauit D. Antoninus: Hoc remediũ colligunt Doctores ex illo Psalmistæ Ps. 13. *Dominum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, idest causa timendi*: Ad sanctos etiam, & præsertim ad B. Virginem tanquam ad benignissimam matrem recurrendũ per deuo-

deuotam inuocationem. Ad hoc remedium iuxta aliquos ex prædictis doctoribus spectat medicatio de gloria, alijsque, quæ animi tranquillitatem, serenitatem, ac fiduciam augere possint, quales etiam sunt sententiæ ad eundem finem aptæ & selectæ ex D. Scriptura. V. q. *Dicite pusillanimes, confortamini; & nolite timere Isa.35. venite ad me omnes, qui laborati, & onerati estis, & ego reficiam vos, iugum enim meum suaue est & onus leue Matth.*11. Scrupulosi enim iugum Christi reddunt sibi durissimum, & intollerabile. Contra vero meditationes de inferno, ac rebus, verbisq; quæ timorem, ac merorem augere possunt, scrupulosis vt omnino perniciosæ vitandæ sunt. Quare cum à D. Antonino, & nonnullis alijs rimedium scrupulorum enumeratur sacra lectio, scilicet sacræ scripturæ, & aliorum piorum librorum, & meditatio, intelligitur de lectione, & meditatione moderata eorum, quæ conscientiam ęgram, & scrupulis agitatam ad gratiam tranquillitatis suscipiendam disponunt. Quia autem ad impetrandum per orationem auxilium diuinum maxime super naturale, requiritur status gratiæ, id circo.

28 Tertium assignatur remedium præparatio animæ ad obtinendam diuinam gratiam, qua non solum opera nostra fiunt Deo accepta, & grata sed etiam interius fouetur, & roboratur animus: hæc autem præparatio fit, dum purgatur anima per dolorem, & veram contritionem, de peccatis præteritis per efficax propositum euitandi in futurum, per confessiouem sacramentalem, & per sollicitudinem cauendi omnia peccata manifesta, & certa tam mortalia, quam venialia, ex timore Dei prouenientem; nam quicumquè facit, quod in se est, secundum Theologos tali Deus non aufert gratiam, sed infallibiliter infundit, & lumen doni, sapientiæ, scientiæ, consilij, & intellectus tribuit iuxta D. Antoninum, quibus iuuari possit ad depositionem scrupulorum, & erroneæ conscientiæ. Ad hoc remedium iuxta eundem D. Antoninum, & alios spectat humilitas; cum Deus *superbis resistat, & humilibus det gratiam Iacob.*4. Quæ humilitas in duobus consistit; primò vt quis

quis diffidat de proprijs viribus, & confidat in Deo habẽs firmiter perſuaſum ſe imbecillem eſſe ad omne opus bonum inchoandum, & perficiendum, niſi gratia Dei illum præueniat, & manu ducat iuxta illud Domini *Ioannis is ſine me nihil poteſtis facere*. Secundo vt ſoli Deo optet gloriam, & honorem. Ad hoc remedium quoquè ſpectat, tum frequens vſus Sacramenti Euchariſtiæ in quo recipitur author gratiæ, & etiam pacis: tum diſcreta corporis caſtigatio, & miſericordiæ opera, quibus pariter anima ad gratiam diſponitur, & purgatur à reliquijs peccatorum.

29 Quartum remedium conſiſtit in applicatione medicamentorum de conſilio medicorum contra melancholiã, nempè atram bilem, & alios humores, ex quibus ſupra dictum eſt effici capitis debilitatem, & ſcrupulos oriri. Et ad id affert D. Antoninus illud Eccl. 38. *Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir ſapiens non abhorrebit illam*. Addit tamen, non expedire in omnibus viuere medicinaliter, præcipuè religioſis, cum ex D. Ambroſio (vt capit. contraria d.ſ. de conſecrat. refertur) *contraria ſint diuinæ conditioni præceptam medicinæ, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, vigilare non permittunt; Ab omni ſpecie meditationis abducunt*. Subdit idem D. Antoninus, quod non debet ſcrupuloſus timere vitam, ſibi obtruncare ex obſeruatione præceptorum Dei, & Eccleſiæ, vel ex obſeruatione ſuæ religionis, dummodo ex capite ſuo non addat alia magis auſtera. Ad hoc remedium ſpectat vigiliarum, abſtinentiarum, & meditationum diminutio, moderata recreatio, & lætitia.

30 Quintum remedium, & præcipuum maximè ab omnibus doctoribus approbatum, & commendatum eſt, vt ſtatim ac quis ex ſuprapoſitis indicijs, cognoſcit ſe eſse ſcrupuloſum & hac moleſtia ſpirituali ægrotum, ab alio ſe curari permittat, ſcilicet alij viro prudenti, & diſcreto ſe committat regendum, cuius iudicium ſequatur; Scrupuloſo enim quamuis docto, ac pio nullius iudicium, ac conſilium magis debet eſſe ſuſpectum, quam ſui ipſius de ſe ipſo. Et certè ſi peritiſsimus medicus infirmitate

cor-

corporale laborans non sibi ipsi medetur; sed alium medium etiam imperitiorem aduocat, a quo curetur; cur vir spiritualis etiam magnæ doctrinæ, & sanctitatis, si scrupulis agitetur, non permittet se ab alio etiam minore curari? Dixi *de se ipso*, quia de alio scrupulosus, præsertim si vir doctus sit, sępe optimè iudicat, quare vbi alium consulere nequiret, vel etiam quando posset consulere, posset suum iudicium sequi, si primo statuat, quid alteri in simili casu scrupulosoque suaderet; ac deindè applicet sibi. Quod si scrupulosi renuant se committere alterius viri docti, & discreti. V. g. Prælati, Pastoris, aut confessarij, vel alterius viri prudentis iudicio, prætextu, quod agnoscunt quidem, se esse peccatorum plenos, non autem scrupulosos, sed potius laxos, nihilominus si Prælatus, vel spiritualis Pater, aut alter vir doctus in illis animaduertens, & conspiciens signa & indicia scrupulorum supra num. 15. explicata, eos scrupulosos esse iudicet, possunt & debent se ipsos tales reputare, & permittere se regulis scrupulosorum curari, & dirigi; potius enim standum est Prælati, aut spiritualis patris, vtpotè medici, iudicio, seu dicto ex supradictis indicijs scrupulosum iudicantis, quàm iudicio, seu dicto scrupulosi vtpotè insipientis ægroti.

31 Ad hoc igitur remedium spectat acquiescere consilio, aut iudicio superioris, seu Prælati (vt *Gerson Antoninus, & omnes alij doctores supra allegati* concludunt) de quibus Christus Lu. 10. *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit,* & alibi Matth. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt scribæ, & pharisei: omnia ergo quæ dixerint vobis, seruate, & facite.* Et certè si id seruandum à quibuslibet, multò magis a scrupulosis; & si erga Scribas, & phariseos, multò magis Prælatos, confessarios, & alios viros probos, & doctos. Ad hoc facit doctrina supra hoc tit. tradita ex plurimorum sententia, quod subditus potest, & tenetur obedire contra propriam opinionem, quantumcunque iudicet opinionem Superioris præcipientis esse falsam. Quare tunc subditus operatur hoc dictamine: licet quod mihi præceptum est, agere non possim absque peccato iuxta

meum

meum iudicium, quod deponere nequeo intrinſece per rationes illud mutantes, virtute tamen obedientiæ operor, quæ quidem indemnem me conſtituit: vel operari poſſum, vt teneor, quia ſcio me non peccaturum opinionem probabilem ſuperioris ſectando. Quare ſcrupuloſus ratione obedientiæ erga Prælatum ſuperiorem, ſequi poterit illius dictamen contra proprium vrgentiori ratione; cum ſcrupuloſum iudicium non fundetur ratione probabili, probabilis vero opinio illi innitatur. Et idem dicendum de conſilio,& iudicio Patris ſpiritualis,ſeu confeſſarij; illi etenim ſicut, & Prælati dictamini acquieſcere tutò poteſt ſcrupuloſus, cum locum ſuperioris, ac Dei teneat: Vnde poſſet habere dictamen, & cognoſcere ſe abſque peccato poſſe confeſſarij opinionem, ſeu iudicium ſectari, & licet pænitens erga confeſſarium non obligetur ex voto obedientiæ, ſicut ſubditus religioſus erga ſuum ſuperiorem,ac proinde nō agat contra obedientiam,dum non paret cōfeſſario; poſſet tamē aliquando peccare contra virtutem exiſtentem aliàs ſub præcepto, & quam confeſſarius iubet exerceri ſub pænitentiæ vinculo, vt docent poſt alios *Suarez de pænit.diſput.*20.*ſent.*4. fine, & *Io:Sancius diſput.*33.*num.*8. verbi gratia ſi pænitens nollet Communicare tempore Paſchatis, aut mortis, ob ſcrupulum & confeſſarius præciperet communionem, peccaret non communicando contra religionem, non contra obedientiam; & etiam non acceptando pænitentiam ſacramentalem rationabiliter iniunctam, ſolum peccaret contra virtutem pęnitentiæ, & non obedientiæ, vt *Suarez vt ſupra,* eodem modo, quo ægrotus recuſans remedia neceſſaria ad ſalutem peccaret contra propriam caritatem, & non contra obedientiam medici præcipientis; Quare licet pęnitens agendo contra ſuum dictamen excuſari non poſsit ratione obedientiæ ſicut ſubditus, excuſatur tamen ratione virtutis religionis tempore Paſchatis, obligantis ad communionem, & etiam ratione propriæ charitatis tempore mortis; cum enim præcepta communicandi illis temporibus poſſideant ius obligandi,

di, ſcrupuloſus verò certus non ſit, an peccatum committat communicando, tenebitur confeſſarij, imò etiam alterius viri docti iudicium ſequi proprio relicto. In alijs verò communionibus, confeſſionibus, & quibuſcumque actionibus, vel omiſſionibus non exiſtentibus ſub præcepto, & ſi non tenetur ſequi conſilium confeſſarij, poterit tamen ſemper illud licitè amplecti, contra proprium dictamen ob illam rationem; Quod ſcrupuloſus ratione probabili non nitatur, ſed potius in ipſius defectu, & ignorantia: Agentem verò contra ignorans iudicium, certum eſt non peccare, dum monitus eſſet in iudicio errare. Et hoc idem ob eandem rationem aſſerendum de conſilio, ſeu iudicio cuiuslibet alterius viri docti, ac probi, quod contra proprium iudicium, ſemper tutò ſequi poterit ſcrupuloſus captiuando intellectum, & formando conſcientiam, quod liceat ſibi id agere, quod ille iudicat licere; ſicut talem cõſcientiam formare poteſt, quoties ſuperior, vel confeſſarius aliquid illi licitum eſſe dicit; quod ſcrupulus illi tanquam illicitum proponit. Et quod talem conſcientiam de recta, ſeu licita operatione formari poſſit, confirmatur magis, quia ſequendo ſuperioris, magiſtri ſpiritualis, ſeu confeſſarij, & aliorum virorum ſapientum, & proborum, conſilium, & iudicium rationabiliter agimus, & illis acquieſcendo non peccamus, etiamſi ſic ignoranter erremus, iuxta eorum conſilium operando; quia excuſamur per ignorantiam inuincibilem. imò meremur per humilitatis exercitium, dum, cum nos nobis non ſufficimus, rationabiliter confugimus ad ſapientiores, eoſque ſequimur, illorumque iudicio ſubijcientes noſtrum iudicium captiuantes intellectum, & iudicantes licere, quod illi licitum arbitrantur. Nam hic eſt ordo Hierarchicus à Deo inſtitutus in eccleſia, vt minores illuminentur per ſuperiores, ſicut fit inter Angelos ſecundum *D. Dyoniſium Gloſſam ordinem, & D. Gregorium*. Quos ad id *Rodriquez d. q. 66. a. 2. allegat.* Scrupuloſi igitur nouerint ad ſe potiſſimum ſpectare illud ſapientis monitum Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & illud Tobiæ. 4. conſilium ſemper a ſapiente perquire,* & illud *Auguſtini*

stini epist. 150. *ad Paulinum, quod cum viro docto, ac spirituali casus conscientiæ suæ communicet, & eius consilio dirigatur*, vnde Gerson. 3. p. lect. 4. de vita spirituali coroll. 8. *Vnum generale* (ait) *damus documentum credere, scilicet sapientiorum, & bonorum iudicio*, & contra communes eorum sententias, *non leuiter agere, neque sibi scrupulos anxios, & timidos formare*. Et *de consolat. Theol. lib.* 4. *pros.* 4. dicit, quod moralis certitudo sufficiens ad bonitatem actus, quo ad insipientes, & iuniores in via virtutum, acquiritur præcipuè per authoritatem maiorem. Et principalis causa instituendi religiones fuit authoritas regiminis, cui magis obedientia præstaretur, quam propriæ rationi, quæ in plurimis dubia, est valde debilis, & incerta. Confirmat hoc documentum post eundem Gerson. *D. Antoninus d.* §. 10. *supra nu.* 15. *citato* tum apparitione, & responso dato scrupuloso his verbis; *consule discretos, & acquiesce illis*; tum exemplo, & authoritate D. Bernardi, qui scrupuloso non audenti celebrare dixit; *Vade frater, & in fide mea celebres, obediuit ille simpliciter, & continuo scrupulis liberatus fuit*. Quod si scrupulosus dicat, vtinam talis esset meus Prælatus, qualis S. Bernardus, facile acquiescerem imperanti, & consulenti; nunc autem cum conspiciam mei superioris paruam sapientiam, non audeo meam conscientiam suæ fidei committere. Respondet Gerson *loco supra num.* 15. *allegato, & post eum D. Antoninus, & Rodriquez*, quod talia dicens debet cogitare, se obedire superiori, non vt homini defectibus obnoxio, sed vt Vicario Dei per illum iubentis, ac docentis, iuxta illud Lucæ præallegatum, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit*; dummodo Prælatus iubere cõtra Deum non constet apertè, & Prælatus est medicus spiritualis, cui subditus infirmus tenetur obedire, & credere in dubijs, vt latiùs probat Gerson. Et eadem est ratio de confessario circa casus conscientiæ circa penitentes, erga quos se habet tanquam iudex, & superior, ac Dei vices gerens. Et remedium hoc prædictis omnibus latius volui comprobare, quia certissimum, & securissimũ est, ac proindè scrupulósis valdè inculcandum, ac ab illis, creden-

credendum, quasi articulus fidei, quod semper absque omni peccandi periculo sibi applicaturos teneant; imò magno cum merito (vt supra indicatum est) quidquid sibi videatur, captiuando intellectum, ac iudicium suum, & acquiescendo dictis, iudicioque aliorum. Quod pariter (vt supra dixi) verum, certumque est, & si alij consulentes errarent; sibi enim errarent, non scrupulosis; qui excusarentur ignorantia inuincibili, & nihilominus prudenter, ac meritoriè illorum iudicio suum subijcerent, vt bene *Rodriquez d. art. 2.*

32 Quamuis autem cuiuslibet viri docti, & probi iudicium scrupulosus sectari possit, nihilominus expedire omninò videtur, vt vnum aliquem confessarium deligat, ac totam animam, & cōscientiam suam ei committat; neque recurrat, consulatque varios: ne varijs, ac disparatis, imò fortè contrarijs variorum consilijs magis turbetur conscientiæ quies, vt solet turbari sanitas corporis varijs variorum medicorum medicamentis. Ad hoc autem quartum remedium reuocari possunt duo sequentia remedia.

33 Sextum igitur remedium iuxta eosdem doctores supra num. 15. allegatos, est resistere scrupulis, quæ resistentia cum duobus modis fieri possit, scilicet, vel resistendo positiuè, disputando, & opponendo rationes ijs contrarias; vel negatiuè contemnendo, nec auscultando, vel aliò diuertendo, seu ad alia vtilia cogitanda, animum conuertendo; prior modus minus tutus est, illumque disuadent Doctores; est enim obnoxius nouis tricis, & scrupulis, quia (vt benè Caietanus loco supra num. 15. citato, & 2. 2. q. 83. art. 17.) sicut non expedit mouere cumulum lapidum sibi suppositorum, ne vno tacto, motoque moueantur omnes, & corruat totus cumulus, ita nec expedit mouere scrupulos disputando, ne vno scrupulo, ac ratione tacta moueantur omnes; & turmatim obruant conscientiam scrupulosam. Disputando enim scrupulosus magis se scrupulis intricabit, cum conscientia scrupulosa non sit apta mensura actionum, nisi innitatur, & conformetur conscientiæ, & authoritati alienæ. Vnde etiam *Rodriquez d. q. 66. art. 2.*

rectè

rectè admonet, vt viri docti, & confessarij periti ab scrupulosis consulti non adducant ipsis multas rationes ad eorum scrupulos tollendos; sed paucis verbis simpliciter, & absolutè illos dimittant dicendo eorum scrupulos, nullo nisi fundamento; nam si curabunt eos rationibus conuincere ex ipsis rationibus ad scrupulos nouos excitandos sument occasionem. Quare neque ab ipso scrupuloso, neque à confessario contra scrupulum contendendum est rationibus, ne scrupulus magis menti hæreat, nam cum in appræhensione, seu mentis cogitatione consistat, quanto diutius in vtramque partem adhibitis rationibus vertitur, tantò magis animo imprimitur, & confirmatur, vt maiore deinde opera opus sit ad illum reppellendum; quare tutius semper est cogitationem alio diuertere; imò expedit scrupulosum negotijs insistere; ne scrupulis vacandi tempus suppetat; vt bene Caietanus. Posteriori igitur modo expedit magis resistere scrupulis nempè, aut mentem ad alia vtilia conuertere (in quo scrupulosus periculo errandi, aut peccandi se non exponit, quia prudenter omittit cogitare, quod aut ex probabili coniectura, aut ex præscripto confessarij, aut Prælati scrupulum esse cognoscit, quod adeo verum est, vt si ex hac reiectione scrupuli aliquod peccatum in opere sequeretur, sibi tamen ad peccatum non imputabitur, vt supra dictum est) aut omninò contemnere contra illos agendo.

34 Et hoc omnes Doctores ab initio paragraphi allegati, & alij apud illos docent esse optimum, ac securissimum remedium contra scrupulos resolutè agere oppositum eius, quod scrupulus dictat, faciendo auctoritate superioris, aut confessarij, aut viri docti, si ea suppetit, vel generali aliquo principio, vel exemplo proborum, & ad hoc confirmandum *Gerson D. Antoninus, Rodriquez, & nonnulli alij in allegatis doctoribus*, adducunt illud Gregorij in moralibus; vbi ait, quod Diabolus assimilatur myrmicaleoni, quod animal dicitur leo formicarum; nam formicis, quæ minutissimæ sunt, discurrentibus insidiatur, & eas occidit, sed alia animalia grandiuscula eum conculant ambulando, &

perimunt: ſic Diabolus inueſtigat complexionem hominum,& quos videt parui cordis, ſeu puſillanimes, & ſcrupuloſos aggreditur, vt ſcrupulis, & vitijs occidat; ſed à fortioribus, & magnis ſpes, & vigore rationis, Diabolus ipſe proſternitur, & abigitur contemnendo, & contra ſcrupulos agendo; ita ex *D.Greg. Antoninus, & alij*: Quare ſi ſcrupulus aliquid faciendum proponit, vel dictet, ſcrupuloſus non faciat; ſi verò e contra aliquid omittendum eſſe decernat, non omittat. Recitauit horas canonicas,& ſcrupulus dicit, vt iterum recitet, quia voluntariè diſtractus pronuntiauit, aut hæc,& illa prætermiſit, non recitet iterum: confeſſus eſt peccata ſua mediocri diligentia ad arbitrium confeſſarij, & ſcrupulus illi importunè ſuggerit reiterandam eſſe confeſſionem, vel illud peccatum amplius eſſe declarandum, vel talem circunſtantiam omiſſam eſſe dicendam, nihil horum omninò faciat; ſed ac ſi nihil tale feciſſet penitus omittat. Suggerit Diabolus, quod hæreticus eſt,& excommunicatus, ac proindè debet a tremendo Euchareſtiæ ſacramento abſtinere, illum contemnat, & fidenter ac ſecurè ad ſacramentum accedat. Aduertunt autem ex doctoribus ſupra eodem. n. 15. relatis, Valentia *d.p.4.quæſt.vltima Sanchez d.cap.* 10. *n.*83. *Ioannes Sancius d. diſp.*41.*n.*3. Et nonnulli alij, non ſolum eſſe optimum conſilium agere contra ſcrupulos, ſed etiam præceptum, quotieſcumque ex ſcrupulis retraheretur à confeſſione, vel communione, ſub præcepto,& ſimiliter quando graue,& notabile dãnum ex ſcrupulis,& anxietate pateretur. Tunc enim teneretur ſcrupuloſus exterius ſe diuertere alijs confabulando, & læta videndo, conſilijs confeſſarij acquieſcendo, & alijs modis ſcrupulos contemnendo, quamuis tamen ſi his adhibitis internam quietem non acquirat, ad culpam ei non imputabitur; vt loco citato ait Ioannes Sancius.

35 Quod ſi ſcrupuloſus dicat, ſi ago contra ſcrupulum, amo periculum, ergo in illo peribo iuxta illud eccl. 3. Reſpondetur eum non amare periculum, quia nulla probabili ratione ſecundum ſententiam magiſtri ſpritualis, ſed

leui,

leui, vel ridiculo ſcrupulo ducitur. Quare agendo contra illum ſcrupulus peribit, ſcrupuloſus autem ita operans nullo modo peccabit. Si iterum dicat in dubijs tutiorem partem eſſe eligendam; ipſe non dubitat propriè, cum habeat opinionem probabilem ſcrupulo oppoſitam fundatam in iudicio, ſeu authoritate confeſſarij, & præterea verè non habet dubiũ, quia non dubitat prudenti, ac rationabili fundamento innixus, ſed nullo, vel leuiſſimo, ſoloque ſcrupulo crucietur. Quare tutior pars, eſt contra ſcrupulum agere; quia ſic ſe moleſtiſſima tentatione defendit. ſi pergat ſcrupuloſus & obijciat, ſi iudicio me faciẽdo tale opus. v.g. confitendo, aut communicando committere peccatum, hoc iudicium æquiualet huic propoſitioni; *ſuſcipiens Euchareſtiam, vel ſacramentaliter, confitens, pecco, volo ſuſcipere, aut confiteri, ergo volo peccare. ergo non erit nihil licitum contra iudicium proprium agere ſeu confiteri, vel communicare, aut aliam actionem operari*. Reſpondetur iudicium, quo ſcrupuloſus putat ſe peccare agendo contra ſcrupulum, ſcilicet confitendo, vel communicando; & agit contra ſcrupulum, confiteturque, aut communicat; non æquiualere abſolutè illi propoſitioni, ſed æquiualet huic propoſitioni diſiunctiuæ: *Si ago contra ſcrupulum, confiteor, aut communico*, pecco iuxta meum iudicium; non verò iuxta *confeſſarij, vel aliorum Doctorum iudicium, ſeu opinionem, volo communicare, ergo volo ſeu deſidero peccare*; at hæc conſequentia negatur, quia vt non peccet, ſufficit, vt ad agendum contra ſcrupulum, ſeu iudicium proprium ſpeculatiuum, ducatur authoritate ſeu iudicio aut opinione confeſſarij, vel aliorum virorum Doctorum. Denique ſi ſcrupuloſus dicat ſic viuendum eſt, ac ſi omninò eſſemus morituri, at ſi eſſem proximus morti, non auderem agere cõtra ſcrupulum. Reſpondetur cum Syluestro, & alijs dupliciter; primò multa oportere in eo articulo facere, quæ extra illum in vita neceſſaria nõ ſunt, nec expedit facere; quia homo tandem deſperaret, & fatuus fieret. Secundò imò etiam in ipſa hora mortis, & poſtremo halitu oportere, quem piam contra ſcrupulos

agere; & Deum non crudelem, aut immisericordem, aut durum putare, sed de eo iuxta dictum sapientis, sapient.1. *in bonitate sentire*, pro vt latius infra.

36 Septimum remedium, vt scrupulosus, non statim, ac oritur dubium, nec de quibuscumque dubijs confessarium consulat, sed sępe proprijs rationibus, ac regulis a confessario præscriptis vtatur, ad expellendos scrupulos, nam alioqui si semper adire debet confessarium, aut alium doctorem, nunquam originem, aut fontem scrupulorum exhauriret: Quare etiam neque confessarius illum ad se accedētem interrogandi causa debet frequenter admittere, sed verbis ad id appositis repellere ita *Molina de iust. tom.4. disp.13. in fine & ex doctoribus initio paragraphi nu.15. allegatis, Azonius, Vasquez, Sanchez, & Layman.*

37 Octauum; vt scrupulosus, tāquam indubitatum teneat, in rebus moralibus, & incertis aliquem prudenter duci probabili opinione, seu existimatione, & ita quoties scrupulosus huiusmodi probabilem existimationem concepit, siue à se inuentam, siue a confessario, vel alio viro docto propositam, licet omnem hæsitationem, ac suspicionem non auferat, putet sufficientem, vt in huius actus particularis executione, aut omissione, seu in huius scrupuli contemptu non peccet: non enim res incertę, & obscurę euidenti ratione metiendæ sunt, sed verisimili existimatione, cū certitudo vix, aut rarò haberi possit, vt supra dictū est.

38 Immo (& sit nonum remedium) scrupulosus consilio viri docti, præsertim superioris, vel confessarij, nihil habeat pro mortali peccato, siue sit præteritum, siue futurum, nisi certissimè sciat esse tale. Ita ex doctoribus supra num.15. allegatis, *Azorius d.cap.20.q.vlt. Vasquez d. disput.67.cap.2.fine. Sanchez d.cap.10.nu.82. Fillucius d. cap.4. fine; Layman.d.cap 6. nu 6.* & ratio est, quia cum scrupulosi dubitent etiam de rebus clarissimis, & putent peccatum etiam mortale esse, vbi reuera, nec vmbra, nec periculum peccati est, intolerabile ipsis esset, & impossiblle, practicè pro peccato habere, Quidquid tantum dubiè, & obscurè vt malum proponeretur. Præterea quia, cū scru-

pulosi

pulosi ita propensi sint ad iudicandum quæuis mala, non est mortale periculum, ne aliquid verè mortaliter malum sit, quod ab illis certissimè non credatur tale.

39 Addunt, *Vasquez, Sanchez, Filliucius, & nonnulli alij*, aliquem posse adeo esse scrupulis agitatum, vt confessarius illi debeat suadere, vt nihil habeat pro mortali, nisi quod auderet, & posset iurare esse mortale, vel illud se commisisse. At addo ego, etiam si iurare auderet esse mortale, vel illud commisisse, supposito, quod esset valdè scrupulis vexatus: nam, vt experientia me docuit, inueniuntur sæpe scrupulosi talis conditionis, quod iurare non recusabunt, se peccatum commisisse, quod reuera non patrarunt; imò *Io. Sancius dict. disput.* 41. *num.* 24. ait vniuersim talem esse scrupulosorum conditionem. Quare ipse distinguens inter peccata interiora, & exteriora, ait nulla peccata interiora habenda ferè ab scrupulosis, vt talia, cum fauorabilis ad sit præsumptio ipsis cogitare se in peccatum consensisse, dum longe à committendo distabant: quoad exteriora ergo peccata tantum dicit ea fuisse ab ipsis commissa, fore credendum. Verum aliquando (vt idem Io: Sancius subdit) scrupulis capti inueniuntur, qui se commisisse exteriores actus confitentur; quos non commisisse est manifestum. Qua propter certior regula pro remedio hoc adhibendo est, vt confessarius attendat mores, & qualitates scrupulosi; Qui, etsi putaret tam certò aliquid esse peccatum mortale, aut illud commisisse, vt auderet iurare, potest nihilominus, & debet confessario dicenti contrarium, credere iuxta remedium quintum à numero 31. explicatum, & confirmatum. Aduertendum autem hoc remedium à supradictis Doctoribus assignari pro scrupuloso vniuersaliter circa quamuis materiam peccati, simulque timente Deum, qui nulla causa velit deliberatè peccare; Nihilominus, si quis tantum esset scrupulosus circa certam materiam; etiam circa illam solam eadem ratione applicandum esset hoc remedium. Quod quoque multo magis applicari potest quoad venialia: sunt enim aliqui con-

ſcientiæ, tam tenere & ſcrupuloſæ, vt poſsit illis a confeſsario, vel alio viro docto conſuli, quod nihil habeant pro peccato etiam veniali, niſi quod auderent iurare eſſe peccatum: imò attentis moribus ſcrupuloſi, etiam ſi auderet iurare. Probatur hoc, quia multò facilius ſcrupuloſi dubitant de quibuſuis an ſint mala, ſaltem venialiter, quam an mortaliter; & alioqui de perfectione ſolliciti, ita ſunt conſtituti, vt nulla de cauſa velint deliberare peccare, ne quidem venialiter.

40 Circa hoc etiam remedium ſic explicatum ad illius maiorem confirmationem aduertendum, quod & ſi poſſit aliquando contingere, vt peccatum ſit, quod ſcrupuloſi non putant certiſsimè, nec auderent iurare eſſe peccatum; illud tamen faciendo tantum peccabunt materialiter præ ignorantia inuincibili; quod multò minus malum & incommodum eſt, quam ſi teneantur habere omnia pro peccatis, de quibus dubitant.

41 Decimum remedium generale pellendi conſcientiam ſcrupuloſam ſeu ſcrupulum, eſt prudens, & benigna legum humanæ, & diuinæ ſecundum æquitatem, ſeu epicheiam, intelligentia, ſeu interpretatio, de qua ſupra in tit. 1. moral. Var. a nu. 1036. & quod neque Deus, neque eccleſia intendunt obligare non ſolum ad impoſsibilia, ſed neque ad nimis regida, nimis difficilia, atque nimis moleſta, neque ad ridicula, & vt homo in ſtultitiam cadat, ſeu fatuum ſe oſtendat; quod ſcrupuloſo denique contingit; ita poſt *Gerſonem*, *D. Antoninus Syluester & alij recentiores ſupra nu.* 15. allegati. Præcepta igitur eccleſiæ præſertim affirmatiua, & poſitiua, V.g. de ieiunijs, de horis canonicis, de diebus feſtis, de excommunicationibus, irregularitatibus &c. ſciat ſcrupuloſus non eſſe interpretanda ſecundum rigorem, ſed ſecundum epicheiam intelligenda, & non obligare quando illorum obſeruantia eſt nimis dura, difficilis, & fere moraliter impoſſibilis. Quare (quod eſt à ſcrupuloſis valde notandum) iuxta *Caietanum Cordubam & alios* quoties quis aliquid agit bona fide ex vrtute epicheiæ, exiſtimans ab illo opere abſti-

abstinere se non teneri ratione alicuius periculi, circumstantiæ, aut necessitatis, ac proinde non peccare; & si agnosceret, seu crederet esse peccatum, nullo modo facere, iste non peccat mortaliter. Huc etiam iuxta eosdem doctores, spectat illud Christi Domini Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*: & illud sap. 1. *quod sentiendum sit de Domino in bonitate & simplicitate cordis*; ac proinde non debere hominem existimare eum legislatorem tam rigidum ac durum, vt ad vix possibile obliget, & bonæ voluntatis hominibus quantum in se desiderantibus, & conantibus eum non offendere, peccata imputet, & pœnam adscribat.

42 Quare ad hoc remedium reducitur, vt scrupulosus nunquam existimet sibi quidquam faciendum, vel omittendum, propter quod se reddat alijs probis ridiculum, aut exoticum. Hinc nouerint scrupulosi, se non teneri, nec debere ob vitandos scrupulos motibus capitis, gestus, alteriusque membri gestire, vt faciunt aliqui, qui caput mouent, aut os retorquent, quasi dicant, *non consentio, non consentio*, & alia agunt miserationis digna, quibus alij ad risum prouocantur. Quæ præter indecentiam, quam præseferunt, & risum, quem videntibus excitant nil iuuant ad pellendum scrupulum, sed potius illum confirmant; cum ipsa attentio ad scrupulum & positiua resistentia (vt supra nu. 33. late ostensum est) scrupulum pariat; & magis confirmet; id quod etiam confirmant & explicant tum Rodriquez *d. q. 66. a. 13. dub. 3.* loquens de sacerdote scrupulizante, an verba consecrationis fuerint sufficienter prolata, vel non: tum Caietanus 2. 2. q. 83. art. 17. vbi loquens de recitatione diuini officij & orationum, docet sæpe fieri a scrupulosis, quod occupent suam mentem adhoc, quod velint esse intenti, & attenti, quod potius est euagatio, quam attentio, habentes potius attentionem, ad intentionem habendam, taliter quod intentio fit obiectum, tunc suæ attentionis potius quam ad verba distinctè, & reuerenter dicenda: tum Vasquez. 1. 2. *disp.* 108. *cap. 2. in fine*, vbi ait vtilissimum modum resistendi car-

nalibus delectationibus esse, simul ac sentitur appetitus titillatio, animum aliò diuertere absque vllo gestu, & motu corporis.

43 Adhoc etiam remedium spectat illud, quod *D. Antoninus Syluester, Corduba & alij ex doctoribus d. num.15. relatis* enumerant, nempe aliorum virorum proborum, & bonorum vita, seu exemplum, & consuetudo. Quare quod ipsi absque peccati timore agunt, vel licitum esse putant, etiam scrupulosus licitum putare, & facere potest, nec aliam, aut alias leges, quàm alijs sibi impositas existimare. Dixi proborum; quia sæpius quis tenetur non se accomodare exemplo, ac cõsortio improborum, & Laxorum. Quamuis alioqui ita se exponeret, eorum risui, ac contemptui, & haberetur ab illis ac diceretur scrupulosus, vt solent sæpe hominis seculi, & Laxam ducentes vitam, scrupulosos appellare, qui verè non sunt, sed timentes Deum abstineant ab his omnibus, quæ verè mala sunt, licet leuia, vel licet plures alij libere conscientiæ agant. Non debet tamen scrupulosus facilè alios iudicare improbos, nimisq; Laxos, nisi id cõstet, & ab alij tales habeantur.

44 Vndecimum remedium, est intelligentia principiorum nonnullorum practicorum, qualia sunt.

Primo eum non peccare sed prudenter agere, qui bona fide procedit & animo placẽdi Deo, si vel mediocrem adhibeat diligentiã: ita etiã in terminis *Aluar. & Gordonus.*

Secundo, neminem vnquam peccare, nisi liberè volendo rem expresè præcognitam sub ratione mali; cum ratio peccati consistat in deformitate peccati, cum recta ratione rem sic propositam improbante. Quare cum scrupulosi non tantum rationem, sed vmbram peccati ita horreant, vt eius tantum metu ita vexentur, non est credibile, eos rem expresè vt malam aggressos fuisse, vel aggressuros, quamdiù scrupulosi sunt: non enim simul stant, tantus peccati, horror, ac ab eo voluntatis auersio, & libera eiusdem, licet expresè præcogniti, volitio. Quapropter ille sæpe horror, est signum charitatis peccatum excludentis, vt Sanctæ Theresiæ reuelauit Christus.

Ter-

Tertiò, consuetudinem declarare, & aliquando abrogare leges humanas, tam ciuiles, quam canonicas, & ecclesiasticas.

Quartò, excommunicationem, & alias censuras non incurri absque peccato mortali; vt post alios *D. Antoninus d. §. 10. Villallobos, & alij communiter.*

45 Quintò in rebus moralibus non esse quęrendam omnimodam certitudinem, vt sæpius dictum est, ac proinde scrupulosus hoc principio nixus tanquam certum habeat, se tuta conscientia posse contra scrupulos operari, si habeat in contrarium, aut opinionem probabilem aliorum virorum, doctorum, & proborum, & prę sertim consilium, & iudicium confessarij, vel superioris, cui acquiescere potest, & debet, illius iudicio suum submittens, vt supra latè probatum est; aut probabilem rationem (vt etiam supra dictum est) seu probabiliter, sic esse faciendum, vel omittendum, etiam si sit cum formidine alterius partis; nunquã enim peccabit illud agendo, vel omittendo, etiam si falsa esset opinio, quam sequitur; nam tantum speculatiuè deciperetur, non autem practicè erraret, id quod tradunt *D. Antoninus Syluester, & alij:* & scrupulosus tali principio ductus, vbi sunt opiniones probabiles potest, & debet eligere partem minus tutam, etiam si nesciat soluere argumẽta in contrarium occurrentia, quorum solutionem curare non debet, sed satis est, credat confessario, vel aliorum dictis; vel ipse ob aliquam rationem putet illam partem probabilem. Id quod etiam constat ex dictis; & ijdem doctores omnes supra allegati docent.

46 Aduertendum etiam ex *Caietano Bartholomeo Medina, Nauarro, Ludouico Granatensi, Sanchez, & Filliucio locis initio paragraphi nu.* 15. *relatis & Bressero d. lib. 6. c. 5. nu.* 51. quamcunque credulitatem scrupulosi in eius fauorem, & quoad eximendum eum ab obligatione, habẽdam esse pro certitudine; vt V. g. *si credit quod confessus est, quod officiũ recitauerit, quod consecrauerit, quod voto satisfecerit &c.* atq; ita nullo modo repetere tenetur, aut debet; & leuiore fundamento potest ipse credere se fuisse confessum omnia peccata, vel aliud

aliud quid ſimile, quam aliàs, quod confirmat Caietanus, quia quæ apud ſcrupuloſos eſt credulitas,apud ipſoſmet,ſi non eſſent impediti, haberetur pro certitudine. Hinc.

47 Sextò, regula illa, *in dubijs tutior pars eſt eligenda*, primo intelligitur in ijs, quæ verè ſunt dubia, non quando pro vna parte adeſt probabilis aſſenſus, ſeu opinio de honeſtate, ſcilicet operationis, vel omiſſionis, vt ſupra,dum de conſcientia dubia,explicatum eſt. Secundò, intelligitur de dubio rationabili (ſcilicet orto ob rationes, ſeu coniecturas rationabiles, & probabiles hinc inde exiſtentes) non de dubio ſcrupuloſo, quod vel leuiſſimo fundamento, vel abſque vlla ratione ex ſola vehementi imaginatione, vel puſillanimitate, aut nimio timore, concipitur. Quare, etſi in alijs dubitatio eſt expendenda, in ſcrupuloſo tamen eſt negligenda, & omnia dubia ſcrupuloſi interpretanda ſunt in meliorem partem; vnde ipſe in dubio liberè poteſt eligere partem minus tutam, ſiue illud ſit iuris, ſiue facti, ſiue de præteritis, & præſentibus, ſiue de futuris; vt ex Doctoribus *dict. numero 15. allegatis, Caietanus Ludouicus Granatenſis, Azorius locis ibidem relatis, Nauarrus in dict. capit. ſi quis autem numero 77. de pœnitent. d. 7. Vaſquez dict. diſputat. 67. numero 8. Sanchez dict. capit. 10. num. 84. & 86. Filliucius dict. cap. 5. num. 182. Gordonus d. q. 10. num. 36. Breſſerus d. lib. 6. num. 50. & 51. & Becanus d. quaſt. 10.*

48 Vnde doctrina tradita *ſup. in tit. 1. mor. var. n. 3084. & pluribus ſeqq. & n. 7058. & 7059.* ſcilicet quod certus de obligatione,& dubitans an ſatisfecerit; tenetur ſatisfacere, non habet locum in ſcrupuloſis, ac proinde ſcrupuloſus alioqui vir bonus, & benè diſpoſitus, erga Deum in omnibus cupiens vitare peccatum, & placere Deo, in dubio, an horas recitauerit, an cum debita intentione, an Pſalmum omiſſerit, an abſolutionem ab excommunicatione, vel diſpenſationem ſuper irregularitate obtinuerit; credere poteſt, & debet ſe ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, ſaltem donec certò illi conſtet contrarium; vt *Caietanus Nauarrus*

uarrus Ludouicus Granatensis, & alij praallegati aiunt. Item cum dubitat an ritè confessus sit peccata commissa, omniaque sufficienter explicauerit, si semel adhibuit mediocrem diligentiam, debet credere, se ritè confessum esse, nec de præteritis peccatis amplius cõgitare in particulari, vt iterum confiteatur, saltem donec illi euidenter constet, quod hoc, aut illud peccatum per obliuionem omiserit in confessione. Ita supradicti Doctores, & alij *supra d. num. 7059. tit. 1. mor. var. allegat*. Quare *Emanuel Sà, V. dubium. Sanchez d. cap.* 10. *nu.* 85. & alij *supra d. nu.* 7059. relati aiunt: scrupulosum non debere confiteri peccata, nisi quæ potest iurare, & fuisse peccata mortalia, & se nunquam fuisse illa confessum. Sed de remedijs contra scrupulos circa confessionem infra. Item si dubitat, an peccauerit, seu in peccatum consenserit, credere debet, se non peccasse, & scrupulum contemnere, saltem si euidenter ipsi non constet, quod deliberatè consenserit: vt in terminis *Gordonus, & Becanus*, qui rectè addit, quod non debet scrupulosum sic dubitantem terrore mora temporis, vel intensio, & conatus animi: tum quia illa sæpe eueniunt, vel ex defectu aduertentiæ, vel ex velocitate ingegnij, tum etiam, quia recta animi intentio placendi Deo, & vitandi omnem eius offensam, tum in aduertentia, & in deliberatione, quæ quodammodo naturalis est, excusat illum à peccato saltem mortali.

49 Item si dubitet scrupulosus, an in irregularitatem, vel aliquam censuram inciderit, an teneatur lege, vel voto, vel an illa impleuerit, nec ne ob eandem rationem ad nihil tenetur, & idem dicendum de quibusuis eiusmodi dubijs, in materijs, circa quas quis est scrupulosus; Secus verò in dubio speculatiuo de re, circa quam non est scrupulosus, nam tunc de eius obligatione sentiendum esset, sicut de obligatione aliorum in simili dubio.

50 Septimo, & vltimo ad pellendos scrupulos iuuabit recta intelligentia trium sequentium dictorum. Primum, *qui amat periculum peribit in illo*, de quo etiam supra num. 35. quod debet intelligi de periculo peccandi, cui aliquis se ex-

se exponit ob scientiam practicè dubiam, vel ob occasionem moralem faciendi aliquod malum(vt de conscientia dubia sæpius dictum est, & docet etiam *D. Antoninus d.* §. 10.) tali autem occasioni, seu periculo morali non se exponit, qui partem minus tutam amplectitur in praxi, ductus iudicio, seu opinione probabili ob principia intrinseca, vel ob auctoritatem aliorum peritorum, vel ob dictum viri docti præsertim confessarij, vel superioris, vt loco citato. *D. Antoninus, & in præcedentibus sæpe dictum est*: Secundum, illud D. Augustino attributum, *Tene certum, & dimitte incertum*, quod (præter illam intelligentiam supra hoc titulo datam) debet intelligi de certitudine morali. Quare, cum sit moraliter certa pars, quæ scrupulo opponitur, iuxta dicta in præcedentibus præsertim *n.* 45. & 46. illa tenenda erit, & contemnendus scrupulus, vt ait Filliucius. Tertium est illud S. Gregorij ad Augustinum Anglorum Episcopum, quod habetur *cap. ad eius d. 5. Bonarum mentium est, ibi etiam culpas agnoscere, vbi culpa non est*. Quod primò iuxta *Glossam ibidem, & D. Antoninum d.* §. 10. *& Filliucium*, debet intelligi ita, scilicet quod in confessione, quæ fit secretè coram Deo tantum, quilibet generaliter potest dicere se peccatorem, seu agnoscere, se culpatum, licet non meminerit specialiter culpam, vel, dicit D. Antoninus, *agnoscere*, idest *timere*. & non per assensum firmum determinare; nam hoc (inquit D. Antoninus ex Gersone) stultum esset, & periculosum. Secundò, iuxta Nauarrum in *Man. d. cap.* 27. *num.* 284. allegantem *Gersonem*, sensus illius dicti est, esse quidem signum animi in bonum propensi, timere, ne sit culpa quod non est tale, per se tamen bonum non esse, sed scientiæ atque iudicij defectum. Demum Laymam *lib.* 1. *trac.* 1. *dicto cap. 6. num.* 2. fine dicit S. Gregorium accipere latius nomen culpæ, scilicet pro quouis defectu, quem in se ipso homo agnoscere, & deplorare potest. Nam quæstio ibi proposita erat, an mulier, dum menstrua patitur, ad Ecclesiam, & ad suscipiendum Christi corpus accedere possit. Ad quam quæstionem

stionem respondet S. Gregorij (vt refertur circa finem dicti cap. ad eius) *si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat non iudicanda. Bonarum quippe mentium est, ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere, vbi culpa non est: quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Vnde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus; quibus ex culpa primi hominis factum est, vt esuriremus*. Et ecce generalia remedia contra scrupulos latius in gratiam amici explicata.

51 Aduertendum autem supra enumerata, & explicata remedia generalia, sicut & specialia infra explicanda applicari, & deseruire potissimum scrupulosis, qui suæ conscientiæ curam habent, & solliciti sunt tam circa præterita peccata delenda, quàm circa futura cauenda: nam scrupulosis, qui liberioris sunt conscientiæ, & solliciti tantum circa præterita peccata, & de futuris cauendis parum solliciti, difficilius remedium adhibetur, vt ait *Vasquez* 12. *dict. disputat.* 67. *fine*, *& post eum Sanchez libr.* 1. *sum. dict. capit.* 10. *num.* 86. *& Filliucius tom.* 2. *tractat.* 21. *dicto capit.* 4. *num.* 183. ac proinde idem Vasquez ibidem ab alijs duobus approbatus, ait his optimum, & efficax remedium esse, si frequenter ad Sacramentum confessionis accedant, vt ita cautiores effecti in cauendis futuris peccatis, vti prædictis remedijs tuto possint. Subdunt nihilominus *Vasquez*, *& Sanchez*, si aliqui verè iudicentur scrupulosi, etiam si non sint cauti in euitandis futuris peccatis, non esse cum illis ita seuerè agendum, sicut cum ijs, qui scrupulosi non sunt: sed posse, & deberi in ea materia, seu in ijs materijs, in quibus manifestè constat eos esse scrupulosos, eorum dubia in meliorem partem declarari iuxta supradicta.

52 Addit Sanchez rarissimè hos circa crimina, in quæ præcipites feruntur, scrupulis vexari, cum illis apertè consentiant; sed aut primò circa præteritorum peccatorum confessionem torqueri; an ea confessi sint:

Et

Et circa hac quando confessor nouerit eos mediocri diligentia adhibita confessos integrè fuisse, dicit idem Sanchez, quod potest illis suadere, ne præteritum peccatum confiteantur (sicut & alijs scrupulosis, quibus suę conscientiæ cura est) nisi certi omninò sint illud non fuisse confessos. Nam supposita illa mediocri diligentia adhibita; dubium illud in his non præsumitur rationabile sed friuolũ, & scrupulosum, ac dæmonis vexationem, ad turbandam conscientiam, & tædium confessionis generandum. Quare hi scrupulosi sibi rectè persuadere possunt, id peccatum in generali peccatorum numero, quem passi sunt, inclusum esse, vt si sit fornicatio, in fornicationum numero. &c. Quamuis dum peccata fatenda numerauit, non meminerit illius. Quandoquidem impossibile sit in confessionibus; quæ diù protrahuntur, memoriam omnium in singulari, peccatorum habere, & ideo pœnitens attenta sua eius peccati patrandi consuetudine, numerum explicat, qui sibi verisimiliter videtur: Aut secundò hos scrupulosos vitæ liberioris, ac deperditæ (ait idem Sanctus,) vexari scrupulis circa res fidei, & Blasphemiæ quę peccata maximè abhorrent; vel circa vota à se emissa credentes passim, & leuiter se votis astringere vel circa alia: Circa quæ docet idem Sanchez, confessarium posse vti erga illos remedijs supra explicatis, & persuadere illis, vt de ijs minimè curent, sed contra agant, ac hæc illorum dubia debere confessarium interpretari in mitiorem partem: cum in his similiter se habeant, ac scrupulosi benè morigerati, nec in his præcipites ad peccatas ferantur. Hæc Sanchez.

53 Aduertendum quoque superioris, aut confessarij discreti, aut alterius viri docti, cui scrupulosus se curandum commissit, prudenti iudicio relinqui discernendum, quæ, quibus scrupulosis, remedia applicanda sint, cum omnia simul applicare non expediat, ne infirma conscientia obruatur copia remediorum, vt aliquando corpus medicamentorum. Nunc eos repræhendat exterreat, repellat, iubeatque sibi obedire, cum nimis importuni sunt: Nunc so-

letus

letus exhorteturque, vt ſint bono animo, cum nimis puſillanimes:ac etiam totum eorum periculum (quod maximè iuuat ad inducendum eos, vt ſcrupulos contemnant, & contra eas agant) in ſe ſuſcipiat, ſpondeatque ſe pro illis reddituram rationem in die iudicij: ſemper cum eis agat reſolutè, & clarè numquam dubie & obſcurè, ne augeat ſcrupulos,dum vult curare. Et quamuis ex nulla ſciētia confeſſariorum practica, neque induſtria ſpirituali tardius fructus ſperari poſſit,quam ex hac,quæ erga ſcrupuloſos adhibetur,eo quod ipſi non credant confeſſario,nec ab illo gubernati patiantur; Nam licet dum confeſſarium alloquuntur, ſe illi obedire promittant; ſtatim tamen, quod ab illo recedunt,ſuæ promiſſionis,eiuſuè executionis obliuiſcuntur. Quo fit inter labores confeſſarij, nullum ei accidere poſſe maiorem, quam contendere cum huiuſmodi ſcrupuloſorum genere. At vbi maior labor, maius apud Deum meritum. Qua propter confeſſarius nunquam deſperet, neque faſtidiat moleſtam ſcrupuloſi curam;ſed confidens in Domino;qui illuminat omnem hominem,proſequatur curam in omni patientia, & doctrina,non tantum prænumeratis remedijs,ſed,& ſuis præcibus, alijſque medicamentis, quæ docebit vnctio cæleſtis Spiritus Sancti.

54 Et ſi ſcrupuloſus ſupradictis remedijs, & alijs curari non poſſit,& ſi ipſe morali diligentia, coadiuuat, eo quod vel ſcrupuli nimis altas radices egerint, vel naturaliter ad illos inclinetur;eum conſoletur, ac proponat vtilitates ſcrupulorum poſitas ſupra nu.22.& quod Deus ſæpe ſcrupulorum vexationem permittit ad purgationem, aut ad exercitiuum patientiæ iuxta dicta ſupra n.21.fine; ac proinde credat Deum propter dictas vtilitates, & meritum pœnitentiæ ſcrupulos in ſe permittere ad tempus. Quare interim acquieſcat prouidentiæ Dei, cui nihilominus cordi, & curæ eſt, cuius amore, ac timore ita angitur. Neque hac ratione confeſſarius fouebit ſcrupulos, ſed mitigabit, dum ſatis afflicto ſcrupulis non additur noua afflictio propter ſcrupulos reflexos de infelici ſuo

ſtatu.

statu. Sed aggrediamur remedia particularia particularibus scrupulis applicenda.

SVMMARIVM §. TERTII.

55 *Remedia scrupulosorum circa materiam confessionis, & existimantium, vel dubitantium praestitisse consensum alicui peccato, vel peccatum commisisse, vel non fuisse confessum.*

58 *Scrupulosi facta semel confessione peccatorum post praemissam mediocrem diligentiam, ne iterent eorundem peccatorum confessionem, nec confiteantur vnquam peccatum, nisi de eo certi sint, se illud commisisse, vel nunquam fuisse confessos ibidem.*

56 *Scrupulosis non est opus, vt possint licitè cessare a reiteratione confessionis peccatorum olim commissorum, expressè recordari, ea fuisse confessa.*

57. *& seq. Scrupulosus non tenetur confiteri, nisi auderet iurare se peccatum mortale commisisse, vel nunquam fuisse confessum: imò aliquando non tenetur confiteri, etiam si auderet iurare vtrumque, vel alterum.*

59 *Aliquando etiam tenentur sub mortali abstinere à reiteratione confessionis peccatorum, quae semel post mediocrem diligentiam sunt confessi.*

Scrupulosi sua reiteratione confessionis infamant sacramentum, & illud reddunt odiosum ibidem.

60 *Non tenentur confiteri peccatum, de quo minimum dubitant, an commiserint, vel confessi fuerint.*

61. & 62. *Credant confessario dicenti eos non indigere noua confessione, ne intrent syluam scrupulorum, a qua exire nequeant.*

63 *Si confessio aliqua nulliter facta fuit, & aliqua intermedia cum dolore, proposito sufficienti, & naturali obliuione nullitatis praeterita confessionis, postea poenitens reminiscens illius non tenetur omnes confessiones, intermedias reiterare, sed quae fuit nulla, & peccata tunc non confessa.*

64 *Scrupulosis minus necessarium intendere scrupulis, an peccata grauia sint confessa vel non, quàm an mortalia non ita grauia.*

65. & 66. *Confessarius seu pater spiritualis, quomodo se gerere debeat,* erga

erga scrupulosos circa reiterandas confessiones; & an expediat illis permittere, vel prohibere confessiones generales.

67. ad 71 *Remedia scrupulosorum circa nullitatem confessionis, & remissionem peccatorum ob defectum sufficientis doloris, vel propositi emenda, & quis dolor sit sufficiens ad Sacramenti pœnitentiæ valorem, & eius effectum.*

70 *Certitudo euidens status gratiæ haberi non potest absque speciali reuelatione: potest tamen haberi certitudo moralis, cuius argumentum in scrupulosis est ipse horror peccati.*

§. TERTIVS.

Remedia particularia scrupulorum circa peccata præterita, & eorum confessionem.

55 Itaque nonnulli præsertim incipientes vexantur scrupulis circa materiam confessionis, dum postquam sua peccata confessi sunt, stimulis agitantur, se hoc, vel illud peccatum omisisse, illam circunstantiam, hoc factum &c. aut non satis dilucidè expressisse, & ita nunquam putent, se satis perfectè, & integrè confessos esse; Quapropter semper, vel crebro repetunt confessionem, vel confessiones factas, seipsos exagitant, & confessarium molestia afficiunt: vel etiam vexantur, an consensum dederint alicui peccato, illudué commiserint, vel non; vel an peccata fuerint reseruata: & horum scrupulosorum remedium iuxta Doctores communiter est, vt à reiterandis confessionibus post mediocrem, & ordinariam diligentiam in conscientiæ examine, quem solent alij homines alicuius timoris Domini in suis peccatis confitendis adhibere, factis, cessent. Nam si quis semel in hac materia aperiat portam, & inquirat curiosius, non est finis, vnus enim scrupulus dat alteri fomentum; quare cum magna fortitudine auertenda est cogitatio ad alia, & contemnendus scrupulus. Ita ea Doctoribus *supra numer. 1. relatis Gerson dict. tractat. de remed. contra pusillanim. alphabet.* 70. *lit. B. & C. & dict. orat. de*

diuersis Diaboli tentationibus lit. Z. Nauarrus in man. cap. 21. num. 42. Rodriquez d. quæst. 66. art. 3. Granatensis, Binsfedius, Medina, Vasquez, Sanchez, Iacobus Aluarez, Layman, Salas, Io: Sancius locis dicto num. 1. allegatis Reginaldus lib. 2. praxis fori pœnit. num. 128. & sequentibus, *Bresserus d. lib. 6. de conscientia cap. 6. Sà. v. dubium num. 5. Coninch, Bay locis in tit. 1. moral. Var. n. 7059. citatis, & alij apud eosdem præsertim Ioannem Sancium.* Qui omnes propterea docent scrupulosis suaderi debere, ne vnquam aliquid confiteantur, nisi de quo certò illis constet, quod sit peccatum, & quod non sint confessi. Quamuis alioqui dubitent, vel videatur illis, se habere probabile iudicium, non fuisse aliquando confessos, quando morali diligentia præmissa constat eos fuisse confessos, vel solitos esse confiteri.

56 Quare vt possint scrupulosi licitè cessare à reiteratione confessionis peccatorum olim commissorum sciant, & pro certo habeant illis non esse necessarium expresè recordari ea fuisse confessa, quod si opus foret, necessarium esset etiam millies, & vltra eadem peccata confiteri, cum impossibile sit recordationem habere, num fuerint certò confessa. Sufficit ergo eos cognoscere solitos esse conscientias examinare, morali diligentia, saltem ordinaria, quam alij timoratæ conscientiæ eiusdem status, in confitendis peccatis adhibent; & aliàs scire sacrilegium committendum iri; si data opera peccatum mortale clauibus pœnitentiæ non subderetur. Aduertere etiam debent, nullum, etiamsi scrupulis non sit vexatus, post mediocrem diligentiam in examine conscientiæ, teneri (vt plures ex præallegatis doctoribus docent) vlterius de ante acta vita cogitare; & si occurrat aliquid, quod credit nunquam explicatum fuisse in confessione, posse eum sibi persuadere illud ipsum dictum esse speciatim, sed memoria excidisse, vel in generali peccatorum numero, quem fassus est, inclusum fuisse. Multò magis igitur scrupulosi talem persuasionem, si morali diligentia præmissa, semel confessionem fecerint, habere possunt, & debent ad pacandam conscientiam suam; cum ipsi dubitent etiam

etiam de rebus clarissimis. Et cum scrupulosi ceteris paribus maiori cum diligentia, ac præparatione, quam alij non scrupulosi confiteantur, quis credat ipsos secundum doctrinam omnium esse securos, illos vero non esse tutos, sed ad nouas peccatorum repetitiones obligatos. Insuper aduertere debent scrupulosi, vel illis a confessario aperiendum, & persuadendum, quod supra nu.46. notatum est, scilicet quamcumque credulitatem scrupulosi circa peccatum, aut consensum in peccatum, vel peccati confessionem habendam esse pro certitudine in eius fauorem, & quo ad eximendum eum ab obligatione.

57 Denique plures doctores tamquam regulam statuunt, scrupulis nimijs vexatum tum non teneri nec debere cōfiteri, nisi iurare possit, & audeat se peccatum commisisse, & illud esse mortale, nec illud fuisse confessum. Ita *Sà, vbi supra, Sanchez lib.1. sum. cap.10. nu.85. Ioannes Sancius disp.41. nu.18. Bresserus d. cap.6. nu.61. & alij ex recencioribus supra dicto nu.1. relati.* Sed ego addo iuxta dicta supra *in tit.1. moral. Variar. nu.*10029. posse quempiam adeo scrupulis vexari, vt non teneatur confiteri, etiam si auderet iurare, se in peccatum mortale consensisse, aut peccatum a se commissum fuisse mortale, vel nunquam fuisse illud confessum, aut non clarè in confessione expressisse: nam, vt experientia comperi, reperiuntur aliqui ita scrupulis agitati, qui vt illis permitteretur reiteratio confessionis, non recusarent iurare imò obstinatè assererent se posse iurare nunquam fuisse confessos, aut ritè. Quare confessarius attendere debet ad mores, & qualitates scrupulosi, vt supra dicto num.39. notatum est, & si nouerit, eum valde scrupulis circa confessiones factas vexari, non obliget, neque admittat ad reiterationem confessionis, etiamsi ipse scrupulosus dicat se posse iurare consensisse in tale peccatum, vel illud non fuisse confessum, aut non ritè.

58 Prædictæ verò doctrinæ, & praxis ratio est, tum supra allegata, quia scrupulosi etiam in manifestè licitis dubitant, an peccauerint, vel sint peccatum semel commissū

confessi: tum alia item supra n.41. adducta. Quod Dei, & ecclesiæ præcepta ad nihil nimis difficile, & intolerabile obligant; tale autem esset si quis teneretur post factam mediocrem diligentiam in conscientiæ examine præmisso confessionem, iterum omnia peccata, aut illorum partem, aut aliquod in particulari ad scrupulum sedandum, teneretur repetere; nunquam enim foret finis repetitionum. Tum demum alia peculiaris a *Granatensi tradita*, quia confessio sacramentalis non est instituta ad inijciendos conscientiæ laqueos, sed ad eam pacandam, & sepelienda peccata morali diligentia manifestata, scrupulosque inde ortos; Quare qui illam adhibuit, potest probaliter credere se confessionis obligationi satisfecisse, nec ad quidquam amplius teneri.

59 Imò post semel factam morali diligentia confessionem non solum non tenetur iterum confiteri, sed etiam post *Nauarrum d. c.2. nu.42. Reginaldus d.lib.2. nu.129. & Bresserus d. cap.6. nu.62.* aiunt aliquando teneri scrupulorum abstinere à reiteratione confessionis, idque sub mortali; ne se exponat periculo amentiæ ob nimiam de re tristi cogitationem; vel præbendi notabile scandalum confessario; vel inurendi sibi infamiam erga aliquem tertium; his autem periculis seclusis teneri ad idem sub veniali, tum quia tenetur procurare conscientiæ tranquillitatem; quam talis reiteratio impedit, tum ne se ineptiorem reddat ad Dei obsequium, & officium suum. Addo à tali confessionum repetitione teneri abstinere; quia scrupulosi sic solliciti de præteritorum peccatorum confessione iteranda, vel de confitendo quocumque peccato, de quo ambigunt, an in illud consenserint diffamant (vt docent *Victoria in summ. quæst.130. Ioannes Sancius d. disp.41. nu.20. & Othagau. tract.2. de confess. quæst.42. num.9. sine ab eodem Sancio relatus*) Deum, quasi nimis seuerum, & rigorosum Sacramentorum exactorem, & Sacramentum ipsum pœnitentiæ; illudque reddunt odiosum, dum alij occasione data ab scrupuloso Sacramenti vsum intollerabilem esse iudicant; nam cum videant (inquit Ochagauia) scrupulo-

sum perditum scrupulis poterunt timere ad sacramenta accedere declinando in laxitudinem, ne in tale perditionis extremum incidant, in quale scrupulosum incidisse vident putantes vitam obseruantem, & Sacramentorum vsum id damni attulisse.

60 Ex prædictis igitur concludendum tamquam certum, & indubitatum scrupulosos non teneri confiteri peccatum, de quo nimium dubitant, vel an illud commiserint, vel an confessi fuerint; neque habere pro reseruato, de quo similiter dubitant, an reseruatum sit, ac proinde liberrimos esse scrupulosos ab obligatione cõfitendi peccata dubia, etiam vt dubia, vt etiam notaui in tit. 1. moral. var. n. 7059. & docent authores ibidem citati, & etiam Caietanus & Ludouicus Granatensis locis nu. 15. citatis.

61 Item concludendum eum, qui semel benè confessus est, iudicio docti, & prudentis confessarij, aut alterius viri sapientis, qui ex interrogationibus ei factis, iudicat illum, confessioni præmisisse sufficientem diligentiam in examine conscientiæ, & habuisse etiam sufficientem dispositionem, quoad dolorem peccatorum, & propositum illa in futurũ euitandi quiescere debere, & scrupulos deponere, atque credere, se ritè confessum esse de omnibus; in quo (inquit Caietanus) non exponit se scrupulosus periculo grauis damni nulla spiritualis necessitudine compulsus; quia cum laboret tali infirmitate, quæ in ipso firmitatem iudicij circa rem propositam impediat, vehemensque timoris perturbatio constantiam ipsi adimat, & tot dubitationibus opprimat, vt rectè iudicare non possit, spiritualis medici consilium illi sufficere potest, & debet ad moralẽ certitudinem, & tutam conscientiam formandã, & ad deponendum scrupulum; quod si ad consilium sapientis cõfessarij non stet quietus, & voluerit iterũ confiteri, quæ illi in cogitationẽ offeruntur sit confessus, vel non, de hoc, vel de illo casu, intrabit syluã scrupulorũ, & nunquã erit finis.

62 Qua propter optimum est consilium, quod Granatensis, & nonnulli alij doctores scrupuloso dant, nempè si semel benè cõfessus sit sua peccata cũ mediocri pręparatio-

ne, non aperiat viam omni dubio, quod incurrit circa confessionem; Sed sibi ipsi satisfaciat, dicendo mediocrem præparationem feci ad confessionem, ita vt credere debeam, sicut cætera peccata confessus sum, sic, & hoc, vel in particulari, vel in communi, & quia non est res tam magni momenti, pro hoc tempore contentus sum: Quoniam si intrauero in pelagus scrupulorum, numquam finem habebo: sicque ineptus ero ad omnia exercitia spiritualia. Quod consilium sequi debet non solum scrupulosus indoctus, qui à magistro spirituali à se consulto monetur se cum sufficienti præparatione, & ritè confessum esse; sed etiam scrupulosus, qui sit eruditus, & bonæ conscientiæ; nam eo ipso, quod est scrupulosus, & simili infirmitate animi, seu conscientiæ laborat, ac indoctus; eodem remedio vti debet. Qui propterea, sicut nollet in simili casu dare alteri consilium, quod pro se accipit, nec damnare prudentes, ac pios viros, qui illud non sequuntur, quosque videt talibus rebus communiter non moueri, satis aduertere potest, se non sequi illud ex recta ratione, sed ex aliqua inordinata passione; quæ si abesset, perinde rectè, certoque iudicaret in suo negotio, ac in alieno, vt bene annotauit Caietanus d. verbo *scrupulorum medicina*.

63 Præter prædicta admonendus est scrupulosus, quod licet aliqua confessio ob malitiam nulliter fuisset facta; si tamen postea aliæ effectæ fuerint cum sufficienti præparatione, dolore, & proposito, ac naturali obliuione nullitatis; vt si ab hinc viginti annis recordatus sit, se confessionem fecisse, quæ nulla erat, non tenebitur omnes confessiones intermedias repetere, sed solum illam, quæ facta est inualidè, & peccata in ea confessa: nam confessiones semel validæ semper validæ existunt, vt tradunt doctores communiter agentes de Sacramento pœnitentiæ, & præsertim *Corduba in sum. q. 158. & Vasquez to. 4. de pœnit. q. 92. art. 3. dub. 1. in fine.*

64 Admonendus quoque est, ei fore minus necessarium intendere scrupulis circa peccata grauia, an sint confessa,

vel

vel non, quam circa mortalia, leuiora: nam cum grauia maximè deformia sint, menti semper obijciuntur, & ob id ferè impossibile est, eorum in confessione obliuisci; leuiora verò cum conscientiam non adeo pungant, obliuioni tradi contingere potiùs potest. De quibus tamen facta semel confessione cum mediocri diligentia, & præparatione, non debet scrupulosus curare, iuxta dicta. Multò minus autem sollicitus esse debet scrupulosus de confitendis peccatis venialibus; quæ non sunt necessaria confessionis Sacramentalis materia, ac proinde in illa taceri licitè possunt, vt definit Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. & deleri possunt multis alijs modis, nempe sola attritione, digna Eucharistiæ sumptione, aquæ benedictæ aspersione, ieiunijs, eleemosinarum largitione, orationis Dominicæ recitatione, & deuota pectoris tunsione, de quibus: *Hostiensis in summa tit. de pœnit. & remiss. §. de quibus*, & ex recentioribus latè *Azorius 1. par. lib. 4. cap. 10. & Bresserus dicto lib. 6. de conscientia cap. 8. de quo etiam infra numer. 107.*

Tandem aduerto multos ex scrupulis circa confessionem oriri ex ignoratione eorum, quæ doctores de obligatione Sacramenti pœnitentiæ suscipiendi tradunt; quæ propterea, qui per se, aut per magistrum discere non potest, patri spirituali, vel alio sapienti viro credat.

65 Ex dictis infertur confessarium, seu Patrem spiritualem, qui cum scrupulosis negotium habet, & eorum in spirituali disciplina dux est, non debere illis permittere in confessione, vel etiam extra confessionem narrationes scrupulorum, & peccatorum dubiorum, etiam vt dubiorum, & reiterationem confessionis eorundem peccatorum; sed si nimis frequenter post factam salutarem confessionem adhæreant, atque nouos, & nouos scrupulos circa peccata confessa moueant, eos admonere debere, vt stent suo iudicio, scrupulos deponant; & non recogitandos excitent: & si huic consilio non acquiescant, sunt obiurgandi, vel acrioribus pœnitentijs afficiendi, vt acquiescant, nisi in foueam velint ruere scrupulorum numquam exhauriendorum,

dorum,& damnationem incurrere in suo proprio sensu.

66 Infertur præterea, quod quamuis alioqui salutaris sit modus faciendi confessiones generales; nullo tamen modo illas scrupulosis, vel propensis ad scrupulos esse permittendas absque euidenti necessitate; siquidem, non est hoc remedium scrupulorum, quidquid putent, dicantque scrupulosi; sed efficacissimum ad scrupulos generandos, vel augendos: aperitur enim illis potentissimum Ostium, dum permittitur examen peccatorum à longo tempore prçteritorum,quorum certè meminisse non possunt,an,& quoties facta sint:Quare dubitant de omnibus, omniaque, vel pleraque fierit illis materia scrupulorum, vt docet experientia, qua constat, plures factos esse scrupulosos potissimum ob confessionem generalem, & ad illam examen imprudenter factum: adeo vt postea multò inquietiores sint, magisque propendeant ad illam, vel totam, vel partem iterandam, quàm ante. Neque in hac re adest vllum periculum, si consilio, ac iussu cõfessarij omittant confessiones generales. Quia si fortè aliqua, vel omnia peccata ante ritè confessi non essent, ea nihilominus sequenti confessione de alijs peccatis ab vltima remitterentur indirectè, ac si scrupulosi obliuione fuissent omissa iuxta communem Theologorum sententiam.

Remedia scrupulorum circa dolorem de peccatis præteritis, & proposito cauendi peccata in futurum.

CÆterum quia scrupulosi circa materiam confessionis, vt plurimum angi solent de peccati,& confessionibus præteritis, non tantum,quod credant, vel dubitent, se ea non fuisse confessos; sed etiam quod putent non fuisse cum necessario dolore, & proposito emendæ confessos. Ad deponendum huiusmodi scrupulum, & cessandum ab vlteriori confessione præter prædicta præscribuntur sequentia remedia specialia.

67 Primò namq; scire debent,vel à confessarijs admonẽdi sunt,ad valorẽ Sacramenti pœnitentiæ,eiusque effectum, seu

ſeu peccatorum remiſſionem ſufficere attritionem, & ſi notam, ſcilicet dolorem imperfectum de iiſdem peccatis, ob eorum turpitudinem, vel metum gehennæ cum voluntate non peccandi in poſterum, ſaltem virtuali, & cum ſpe veniæ iuxta *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.*4. & Theologos, qualem ſaltem dolorem, & voluntatem ſe habuiſſe, & etiam adhuc habere ipſi certò teſtantur, dum ob peccata ſic vexantur; ſiquidem ob peccata non ita angerentur, niſi ea horrerent, & deteſtarentur, & euitandi voluntatem haberent. Qua propter ipſe ſcrupulus certum eſt argumentum, & indicium doloris, & propoſiti emendæ.

68 Secundò, monendi ſunt ad Sacramentũ pœnitentiæ, & eius effectum, non eſſe neceſſariũ dolorem ſenſibilẽ partis inferioris animæ, ſeu appetitus ſenſibilis; ſed ſolum dolorem rationabilem, & ſpiritualem partis animæ ſuperioris, ſcilicet, voluntatis, in qua poteſt eſſe ſufficiens, imò perfectus, & ſi non diffundat ſe ad partem inferiorem, ideoque ſit inſenſibilis, ſcilicet, abſque lacrymis, ſingultu, gemitu, ſimiliuè motu corporeo. Qui quidẽ dolor, vt ſit perfectus, & vera contritio, non requirit ſummã, aut certam intenſionem: Ac proindè homo peccator nec ſenſibilius, nec intenſiùs debet dolere peccata ſua, quam v.g. mortem patris; ſed ſufficit doleat, ea ve deteſtetur, vt bonitati diuinæ contraria, abſoluto, ac quoad ſubſtantiam ſupernaturali actu caritatis; qui eo ipſo, quo elicitur auxilio, & lumine ſupernaturali, quodãmodo commenſuratur obiecto ſuo, ac bonitati diuinæ; eſtque amor Dei, & odium peccatorum ſuper omnia appretiatiuè, & ſi non ſenſibiliter, & intenſiuè. Aduertunt autem communiter Doctores, non eſſe neceſſarium, nec expedire præſertim imperfectioribus propoſitiones comparatiuas. v.g. mallẽ mori; & hæc & illa pati tormẽta, potiùs quàm peccare. Huiuſmodi quoque dolor non requiritur formalis iuxta doctores magis communiter, ſed ſufficit virtualis compræhenſus in formali amore Dei ſuper omnia; cum diuina ſcriptura paſſim tribuat remiſſionẽ peccatorũ ſoli caritati. *Prou.* 8. *ego diligentes me diligo.* & 1. *Petr.*4. *Caritas operit multitudinem peccatorum.*

Ter-

69 Tertiò ſcrupuloſis proderit monitum, quod Bloſius *in conſolatione puſillorum: cap. 12. ex Tauſero* habet; nempè quod quidam amicus Dei interrogatus, quid faceret vellet, ſi vt multi peccatores omnibus diebus vitæ ſuæ in magnis iniquitatibus vixiſſet, reſpondit. *Si omnia, quæ ſapiens, & diſcretus confeſſor mihi iniunxiſſet, feciſſem, & peccata ſicut oporter dixiſſem, nunquam deinceps vellem inde cogitare, nec cor meum eis contaminare.*

70 Quarto non exigua ignorantia, & imprudentia eſt (vt ad id poſt alios notarunt Reginaldus d. lib. 2. n. 129. Ioannes Sancius d. disput. 41. num. 18. & Breſſerus d. lib. 6. cap. 6. num. 6.) velle certò, & infaillibiliter cognoſcere, & ſcire aliquem, an ſufficientem dolorem, vel amorem Dei habuerit, an quæ adeo ſufficienter, & ritè confeſſus ſit, quod ſacramenti effectum obtinuerit, & in Dei gratia exiſtat, cùm ad huiuſmodi cognitionem certam, & infallibilē per propriam hominis diligentiam abſque ſpeciali reuelatione Dei pertingere ſit impoſſibile iuxta illud ſapientis Eccleſiaſtis. 9. *Neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit.* Et ſi nihilominus de prædictis haberi poſſit moralis, & practica quædam certitudo, quæ rationabiliter excludat anxietatem, & etiam omnem actualem formidinem de oppoſito (vt Patres, & Doctores Theologi colligūt ex illo Pauli ad Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei*; & ex illo 2. *ad Cor. 1. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; & ex illo Ioannis 1. cap. 3. & 4. *Scimus, & cognouimus nos translatos de morte ad vitam*: & accepiſſe *ſpiritum Dei in nobis manentem, quoniam diligimus fratres*: de qua re, & quibus ſignis ſeu coniecturis poſſit homo reddi moralis certus, ſe eſſe in gratia Dei agunt Theologi, tractantes de gratia, vel de pœnitentia, & Breſſerus de conſcientia lib. 2. cap. 15.) huius vero certitudinis moralis ſcrupuloſis, præter alia argumentum eſt ipſe ſcrupulus, & peccati horror.

71 Quinto, & vltimo iteratio confeſſionis eorundem peccatorum, ex quacumque cauſa propter ſcrupulum fiat, nō liberat a ſcrupulis, ſed potiùs illos auget vt ſupra notatum eſt,

est, cum tali confessionis repetitione scrupulosi non modo non fiant quietiore, & sedatiore animo, sed, vt ipsi experiuntur, magis, ac magis perturbentur: sicut aqua, cum est agitata, si situla, qua continetur, sępius loco moueatur, non inde tranquillatur, sed magis agitatur.

SVMMARIVM §. QVARTI.

72. *& seqq. Scrupulosi credentes venialia esse mortalia, vel in omnibus peccare, & eorum remedia.*

73 *Gradus, quibus ad peccatum peruenitur, sunt suggestio, delectatio, & consensus, & in quo consistant hi gradus, quotuplex sit consensus.*

74 *Desiderium peccati in quo consistat, & ab eo quomodo differat consensus vt sit.*

75. *& duobus sequentibus. Quanam aduertentia rationis, & deliberatio requiratur, & sufficiat ad peccandum, vbi quod non sufficit aduertentia obiecti, vt delectabilis, vel conuenientis, sed vt moraliter mali.*

78 *Ad peccatum mortale requiritur aduertentia, seu cognitio obiecti, vt mali mortaliter.*

79 *Ad peccatum sufficiat ne aduertentia vitualis malitia moralis obiecti, seu operis.*

80 *Consensus moraliter bonus, vel malus est solius rationis superioris hominis.*

81 *Quid sit peccatum mortale, quid veniale.*

82 *Veniale triplex.*

83 *Quid sit veniale ex genere suo, seu obiecto.*

84. *& 85 Veniale ex paruitate quomodo detur, & in quibus materijs non detur.*

86. *Ad 90 Materia plures parua, paruavè trangressiones, quando censeantur vniri ad faciendam vnam totalem materiam, seu transgressionem grauem, & mortalem, & quando non res explicatur pluribus exemplis, recitationis diuini officij, voti, iuramenti, Ieiunij, festorum, aleemosina, & furti.*

91. *& seqq. Mortale transit in veniale defectu perfecta aduertentia ad malitiam obiecti, perfectaque deliberationis.*

Motus

92 *Motus appetitus, & voluntatis primo, primi qui sint, & quomodo careant culpa.*

92.& 93 *Peccatum nullum mortale, aut veniale committi potest, nisi præcedat in intellectu, aliqua apprahensio, seu cognitio malitia moralis obiecti, tametsi intellectus aduerteret ad rationem vtilis, vel delectabilis.*

93 *Prima cognitio intellectus præcedens omnem actum voluntatis, quomodo excitetur.*

94.& 96 *Motus appetitus sensitiui, & voluntatis secundo primi, licet versentur circa materiam grauem, & obiectiuè mortalem sunt tantum culpa veniales ex imperfectione actus, & defectu plena aduertentia.*

95 *Motus appetitus, & voluntatis perfecti sunt, qui procedunt ex perfecta aduertentia, & deliberatione rationis.*

97 *Ad peccatum mortale committendum, an præter perfectam aduertentiam, seu deliberationem rationis, desideretur perfectus consensus; an vero eo ipso, quod consensus post perfectam aduertentiam malitia moralis obiecti, seu operis præstatur, consensus, ritè censeatur semper perfectus.*

Ibid. Consensus interpratatiuus inclusus in negligentia repellendi tentationes, an sufficiat ad mortale.

98 *Peccatum ex mortale fieri veniale quomodo intelligatur.*

99 *Motus praui, & inhonesti appetitus sensitiui consequentes imaginationem preuenientes aduertentiam rationis, & omnem voluntatis libertatem carent omni culpa, & quando sunt veniales, vel mortales.*

In appetitu sensitiuo nulla est libertas.

100 *Regula ad dignoscendum, quando sit, vel fuerit plena aduertentia, & deliberatio, & quando semiplena, & imperfecta excusans à morali.*

Ibidem, versiculo, secundo Valentia. Passio sympathica an diminuat libertatem consensus, & de mortali efficiat veniale.

101 *Veniale in genere quot modis transeat in mortale: & qua ratione directè, & indirectè disponat ad mortale.*

Ibid. Propositum committendi omnia venialia, vel pleraque, quorum se occasio obtulerit, an sit mortale.

102 *Praxis remediorum circa scrupulos de peccatis venialibus creditis*

ditis mortalibus ; & de qualibet actione credita culpabili.
Ibid. A timentibus aliquo modo Deũ, ne dum a scrupulosis timorata conscientia, rarò committitur peccatum mortale.
103 Remedia particularia pro scrupulosis timentibus, in omnibus se peccare mortaliter.
Ibid. Remedia particularia scrupulorum circa actus vrbanitatis, & suggestionem deserendi bona opera ob periculum superbiæ, vel inanis gloriæ.

§. QVARTVS.

Remedia particularia scrupulorum, qui venialia credunt, mortalia, vel in omnibus putant se peccare.

72 ALij vexantur, eo quod dubitent, vereantur, vel putent esse mortalia peccata, quę tantum sunt venialia, imò etiam aliquando dubitent, vel putent in omnibus, quæ agunt, vel cogitant, se lethaliter peccare, adeo vt ipsa confessio, vel eucharistiæ sumptio, ipsa interrogatio Patris spiritualis, mortale peccatum eis videatur; ideoque a confessione, & a communione abstineant; & nihil loqui, aut facere audent; quia in omnibus se peccare præsumunt: & aliquando eò solet hæc dementia progredi; vt putent se esse excommunicatos, suspensos, interdictos, & irregulares, & omninò ab ecclesia præcisos, quibus nullum remedium maneat, sed sola sit expectanda damnatio. Ad subueniendum his scrupulosis, præmittendum, & breuiter declarandum, quibus gradibus ad peccati foueam, seu commissionem tentemur, & perducamur; Quid quæ sit peccatum mortale, & veniale: quæque prærequirantur, vt actio, vel omissio aliqua sit peccatum mortale, & qua ratione hoc à veniale discernatur.

Tribus

Tribus gradibus, seu modis peruenitur ad peccatum, suggestione, delectatione, & consensu, & in quo suggestio, delectatio, & consensus consistant, & quotuplex sit consensus.

73 IMprimis igitur sciendum, tribus gradibus perueniri ad peccatum, seu tribus modis tentationem perfici, suggestione, delectatione, & consensu. Suggestio nihil aliud est, quam dũ turpis & mala cogitatio, siue tentatio ab hostibus animæ Diabolo, mundo, & carne immittitur. Delectatio quãdo iã animo placet, quod suggestũ est. Cõsensus, quãdo nõ solũ quis delectatur in eo per suggestionem subministrato; sed etiã deliberatè consentit in actũ peccati perficiendum, ita *D. Augustinus lib.* 12. *de Trinit. cap.* 1. *& lib.* 1. *de sermone Domini in monte c.* 23. *& S. Gregorius hom.* 16. *in Euangelia, & lib.* 4. *moralium, cap.* 27. vbi hunc graduum ordinem ex tentatione primorum parentum deducunt, aientes suggestionem comparari suggestioni serpentis: Delectationem mulieri: consensum viro, vt quasi a serpente fiat suggestio & quędã suasio: In appetitu autẽ sensitiuo, tamquã in Eua delectatio, in ratione vero tãquã in viro consensus: quibus peractis tãquã de Paradiso, hoc est, de beatissima luce iustitię in mortẽ homo depellitur. Ad quorũ maiorẽ declarationẽ aduertendũ (vt benè *Azorius* 1. *p. lib.* 4. *c.* 5. *q.* 1. *& post eum Sanchez in sum. li.* 1. *c.* 1. *n.* 7.) res primo corporis sensibus obijci, seu repræsentari: Mox è sensibus ad imaginandi, cogitandi, & memorandi potentias transuolare, suique imaginatione, cogitatione, ac memoria commouere in appetitu sensitiuo delectationem, aut desideriũ: Denique easdem res in mentẽ venire, atque eius intelligentia conceptas, seu intellectu appræhensas appetitum rationalem, qui est voluntas ad sui delectationem, vel desiderium incitare, & hos duos actus voluntatis tantum contingit esse formaliter peccata, scilicet cum fiunt cum sufficienti deliberatione, & aduertentia rationis, iuxta infra explicanda; non verò actus potentiarum sensitiuarum, neque ipsa repræsentatio, seu appræhensio,

aut

aut cogitatio rei ab intellectu concepta, quæ tantum est suggestio, seu tentatio. Quare Azorius vbi supra ait peccata, quæ interius animo, & voluntate committuntur, pertinere vel ad desideria, vel ad delectationem, recte addens sub desiderio comprehendi amorem, voluntatem, intentionem, & electionem cuiuscumque mali, ac proinde odium, etiam tanquam amori contrariũ; sub delectatione vero comprehendi gaudium, & lętitiam, seu vt quidem vocant, fruitionem, & quamcumque tristitiam, siue dolorem, qui delectationi aduersatur; Potest autem delectatio esse peccatum tum ea, quæ capitur ex re cogitata, seu apprehensa, tum ea, quæ ex recordatione præteritorum, vel ex cogitatione futurorum, vel ex imaginatione, seu apprehensione eorum, quæ licet facta fuerint, aut fieri possint, aut etiam fieri nequeant, tamquam præsentia quis fingit, & intellectu concipit; vnde delectamur, aspectu, sermone, auditione, gustatu, odoratu, & tactu rei, item imaginatione multarum rerum, & insuper ipsa mentis, & rationis cogitatione. Porrò desiderium est consensus voluntatis in opus ipsum perficiendum, seu voluntas complendi opus, seu perueniendi ad opus externum cum deliberatione rationis, V.g. desiderium furti, aut homicidij, & consensus voluntatis in ipsum furtum, seu homicidium perpetrandum, seu voluntas complendi furtum, aut perpetrandi homicidium, & in hoc differt desiderium a delectatione; quod illud est voluntas complendi opus externum, delectatio vero, & potest referre ad opus, cum spe, & desiderio malefaciendi delectamur, & potest etiam compleri sine ordine ad opus, vt si quis rei turpis cogitatione delectetur absque omni voluntate, & desiderio, turpe aliquid exterius faciendi; sæpe enim (vt experientia constat) rerum inanium impossibilium cogitatione delectamur, & sæpe fictis, & commentitijs fabulis.

74 Quamuis autem desiderium sit consensus voluntatis in opus exterius perficiendum, nihilominus consensus voluntatis cum deliberatione rationis, qui ad culpam com-

mit-

mittendam requiritur, non solum consistit in eo desiderio perueniendi ad opus exterum per suggestionem, seu tentationem menti repręsentatum; sed etiam versatur circa rei turpis suggestæ apprehensionem, seu cogitationem, & circa delectationem; quæ tunc tantum sunt culpabiles, seu in quibus tunc homo peccat, quando actu voluntatis deliberatè illis consensit, & adhæret (cum nequeat esse peccatum, nisi sit voluntarium.) Quare consensus, quo peccatum completur, seu committitur, est voluntatis determinatio, seu adhæsio cum deliberatione, seu rationis consideratione, erga rem, quæ suggeritur, vel cogitatur, vel erga cogitationem, aut delectationem; & est duplex, formalis, siue actualis & expressus, & interpretatiuus; formalis, quando voluntas simpliciter consentit, & vult adhærere tali rei, vel cogitationi; interpretatiuus, quando aduertit rem, vel delectationem, cui adhæret, esse malam, & periculo expositam, non tamen resistit; tunc enim interpretatiue consentit: quia qui tacet, quando ei loqui incumbit, consentire videtur.

Quanam deliberatio, seu consideratio, & aduertentia rationis requiratur, & sufficiat ad peccatum.

75 ADuertendum secundo ad deliberationem, seu considerationem rationis requisitam adhoc, vt consensus, seu adhæsio voluntatis sit culpabilis, & peccatum; non sufficere, vt ratio, seu intellectus in re per suggestionem sibi obiecta, & præsentata aduertat tantum rationem delectabilis, vel vtilis, seu commodi: sed debere attendere rationem malitiæ moralis, seu cognoscere malitiam moralem, scilicet rem esse illicitam, seu contra aliquam legem, seu aliquod præceptum. Potest enim intellectus ad rem sibi præsentatam, seu à se apprehensam aduertere, & illam considerare tantum, quatenus vtilem, aut delectabilem non aduertens circa illam, quatenus moraliter malam, & illicitam; vt si quis in die ieiunij nil de præcepto cogitans cęnet. Aduertit ad cœnam qua-

quatenus sibi vtilem, ac delectabilem, ac de hoc secum deliberat, ac consultat, nihil de morali eius contra præceptum malitia deliberans, nec consultans: & potest etiam secundum naturalis temperantiæ regulas de ea deliberare, an ea quoad quantitatem, tempus, & modum expediat, non deliberando de malitia contra ieiunij præceptum. Igitur quandocumque ratio, & intellectus in re sibi presentata solum attendit ad rationem delectabilis, seu commodi, etiamsi de ea sub hac tantum ratione discurrat, & consultet, sed non aduertit; nec potuit considerare rationem malitiæ moralis, non est peccatum. Ad peccatũ enim requiritur consideratio malitiæ, vel potentia considerandi illam, alioqui nec esset libertas, quæ non est sine consideratione, cum omnis libertatis vsus circa aliquam rem nitatur, tamquã radice cognitione aliqua malitię, vel bonitatis obiecti præcedente. Ita Vasquez 1.2. *disp.107. c.5. disp.107. c.3. disp.123. c.2. & disp.124. cap.2. Sanchez lib.1. sum. c.1. nu.7. &* 8. *& latius c.16. nu.21. Layman lib.1. tract.2. c.3. & tract.3. c.5. n.13. Azorius 1. p. lib.4. c.5. q.4. Filliucius to.2. tract.21. cap.6. nu.250. c.10. nu.354. &* 376. *Fagundez in decalogum lib.9. cap.1. num.5. & alij quos referunt Vasquez, Filliucius & Sanchez*, qui propterea ait nullum esse peccatum in voluntatis consensu, nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa, seu actualis malitiæ moralis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio, aut scrupulus, ac proinde vt quis peccet mortaliter, eum debere considerare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse malitiæ periculum, vel dubium, vel scrupulum saltem aliquem habere; nec sufficere, quod attendat ad rationem vtilis, vel delectabilis. Quod præter allatam rationem confirmat; quia quamdiu non occurrit intellectui cogitatio aliqua circa obiecti representati malitiam; & circa illius periculum, aut dubitatio aliqua, aut scrupulus, quantumuis de illius commoditate consultet Intellectus, non est principium sufficiens deliberandi de malitia ipsius morali, cũ hæ res sint diuersi generis (sicut consultatio aliqua, & deliberatio de rei alicuius vtilitate in negotio litterario, non

est principium sufficiens ad deliberandum de illa in negotio bellico, aut altero diuersæ rationis) ac proindè non potest esse culpa, quamdiu hæc cogitatio circa malitiam non se offert. Quare quamdiù deest aduertentia, seu cõsideratio circa malitiam, cum non sit sufficiens principiũ ad deliberandum de illa, eamque liberè amplectendam, quod attinet ad malitiam, cẽsebitur motus primo primus, ac naturalis voluntatis, & carens omni culpa. Neque (vt Vasquez, & Sanchez notarunt) satis est aduertere ad malitiam vnius generis, vt malitia quoq; alterius generis contrahatur, sed necesse est ad hanc quoque aduertere, vel debuisse aduertere, quia non adfuit principium sufficiens de hac posteriori malitia deliberandi, vt patet in suprapósito exemplo cęnæ in die ieiunij: ille enim peccabit contra naturalis temperantiæ præceptum, non autem contra præceptum ieiunij.

76 Hinc ratione actualis inaduertentiæ à culpa excusari posse operationem alias ex se grauem, & mortalem tradunt cõmuniter doctores, quos *Sanch d. c. 16. allegat, & in particulari S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 5. ad 3. de delectatione morosa.* Cuius ratio nulla alia est, nisi quia inaduertentia tollit cognitionem malitiæ, atque adeo rationem voluntarij requisitam ad peccatum.

77 Obseruandum autem, quod cum duplex esse posit aduertentia malitiæ, prima in secunda operatione intellectus, quæ dicitur iudicium, quo nimirum asseritur aliquod obiectum esse, vel non esse malum; secũda in prima operatione, quæ dicitur apprehensio malitiæ obiecti, quæ est prior, & necessario mouet dubitationem; aduertentia in iudicio non est necessaria ad peccatum mortale, aut veniale; sed sufficit aduertentia in apprehensione; vt notauit *Filliucius d. c. 10. nu. 375.* quia posita huiusmodi apprehensione adest sufficiens deliberatio ad peccatum. Quare si obiectum apprehendatur, vt grauiter malum, vel saltem periculosum grauis mali, est sufficiens deliberatio ad peccatum mortale; nam si motus voluntatis sequatur post illam, tendit certè in graue malum operando cum voluntate eius,

te eius, vel cum periculo grauis mali, quare peccabit mortaliter. Si verò obiectum apprehenderetur, tamquam malum tunc absque dubio de graui malo erit deliberatio sufficiens ad peccatum veniale.

78 Quod si obiectum solum in genere apprehenderetur, vt malum, tunc etiam esse sufficientem deliberationem ad mortale peccatum docent *Vasquez 1.2 disp. 107. c. 3 fine. Fagundez d. c. 1 nu. 13. & Sanchez d. c. 16 n. 9.* vbi dicit, quamuis ad pecatum mortale plena consideratio malitiæ obiecti desideretur (vt infra probabitur) non esse tamen necesse specialiter aduertere id esse lethale, sed satis esse malitiam aduertere, si nulla facta examinatione sufficienti, qua merito sibi quispiam probabiliter persuadeat id non esse mortale, illud prosequatur, eò quod manifestè (inquit) mortalis periculo se exponat, & virtute illud obiectum malitia cum mortali affectum vult. Verum iuxta tradita titulo 1. mor. var. n. 75. & 79. Si cognoscatur, seu apprehendatur obiectum, vt malum tantum confusè, & non vt mortaliter seu grauiter malum, saltem dubitatiuè, quoad totum, vel quoad partem; tunc dicendum non esse sufficientem deliberationem ad peccandum mortaliter, ita doctores *dictis numeris 75. & 79. relati, & præsertim Filliucius, & Bresserus locis dicto n. 75. allegatis*, & ratio ibidem adducta est, scilicet, quia nihil potest esse in effectu, quod non sit in causa, & quia grauitas nulla ratione est cogitata, neque volita, nisi enim ipsa etiam grauitas, saltem in confuso cognoscatur, non potest ipsa, seu peccatum quatenus graue, esse voluntarium. Quare prosequi malum in genere nulla ratione cognitum, vt graue, est tantum peccatum veniale (vt dictis numeris 75. & 79. dictum est) quamuis materialiter sit mortale. Igitur quando dicitur inaduertentiam excusare à culpa intelligitur, quando neque in apprehensione est aduertentia malitiæ moralis; tunc enim ob inaduertentiam operatio alias se mala excusatur a culpa, seu peccato; quia quando nullo modo obiectum est cognitum, vt malum, tunc operatio censetur indeliberata iuxta dicta, & sic excusatur à peccato,

donec sit apprehensio, siue cogitatio aliqua malitiæ.
79 Ex quibus Sanchez *d.c.16.nu.24.* & *Filliucius d. c.10.nu. 376.* inferunt, seu notant, quod dum Nauarrus in man.*c.15. n.31.* & *c.17.n.13.* & *alij, quos refert idem Sanch. eod.c.16.n.20.* dicunt aliquem peccare, quãdo scit, seu aduertit, vel scire, aut aduertere debet, quia in hoc secundo casu, ignorantia, seu inaduertentia sit indirectè voluntaria, ex quo concludunt ad peccandum sufficere cognitionem malitiæ virtualem, & interpretatiuam, nec semper esse necessariã expressam, & actualem; inferunt, inquam, debere intelligi de aduertentia, quæ supponit iam obiectum apprehensum, vt malum; & sit posterior aduertentia malitiæ in apprehensione, quia ante primam apprehensionem non tenetur aduertere: quia si non præcesserit aliqua actualis apprehensio, aut dubium, vel scrupulus malitiæ obiecti, eiusuè periculi, aut prohibitionis, aut alterius rei similis, quæ pertineat ad genus moris, & si agatur de peccato mortali, nisi precesserit in apprehensione aduertentia plena, & sufficiens ad mortale, non est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam, & inconsiderationem, aut non est plenè, ita vt ad mortale sufficiat: at ea apprehensione, seu aduertentia actuali malitiæ obiecti existente in prima apprehensione supposita, seu præcedente tenetur, & poterat intellectus deliberare, & volũtas diligentiam adhibere ad sciendum, ac proinde, si non adhibeat, imputabitur culpę. Et si dicatur; hic non aduertens, aut ignorans. V.g. præceptum ieiunij, & cui nulla ratio dubitandi circa præceptum occurrit, tenebatur scire, & aduertere attento suo statu, ergo poterat. Respondet Sanchez eum Suarez de *censuris disp.4.sect.8.nu.18.* per se teneri hunc ad talem scientiam, aut cognitionem, ad quod satis est, vt sit per se loquendo in homine potestas sciendi; per accidens autem, hic, & nunc non teneri, sed suspendi illam obligationem, seu ab illa excusari propter impotentiam proximam, ac moralem; quæ ex naturalis, & necessaria ignorantia, aut inaduertentia, seu inconsideratione est orta. Hinc idem *Sanch. n.25. post Vasquez d. dicto c.3.n.7.*
in-

infert, dum D.Thom. 1.2.q.20.art.1. ab omnibus receptus, dicit euentum, seu effectum posse esse voluntarium in sua causa, eum non intelligi sine vlla prorsus illius effectus cognitione actuali expressa, aut confusa saltem in apprehensione; quia sine aliqua cognitione impossibile est aliquid esse volitum, seu voluntarium; vt dictum est. Sed de hac re latiùs *Sanchez d.c.16.nu.20.& seqq.post Vasquez d. c.3.*

80 Ex quibus infertur, quod cum D. Aug. *de trin.c.12.& 14. D.Thom.1.2.q.1.art.4. Caietano ibidem, & Theologis* communiter, in homine sit duplex ratio; superior, (quæ nil aliud est, quam intellectus, & voluntas quatenus operantur consideratis rationibus æternis, quas propriè homo debet considerare, quæ sunt bonitas, seu honestas, & malitia, pręmium, & pœna, lex, & præceptum) & inferior (quæ est potentia intellectus, & voluntatis, quatenus operantur secundum rationes temporales, quæ sunt vtilitas, commodum, delectatio, honor &c.) peccatum, seu cōsensus moraliter malus, non est, neque esse potest in ratione inferiori (quæ a D. Aug. mulieri comparatur) sed in ratione superiore (quæ ab eodem Augustino viro assimilatur vt supradictum est) in qua etiam sola consensus moraliter bonus est. Nam consensus moraliter bonus, vel malus non potest esse, nisi eliciatur ex consideratione rationum æternarum, scilicet bonitatis, & malitiæ obiecti, & non ex sola consideratione vtilis, vel delectabilis, & ita non imputatur ad culpam, nisi quatenus elicitur post antecedentem considerationem, honestatis, vel malitiæ obiecti, dum scilicet voluntas magis patitur moueri rationibus delectabilis, aut vtilis, quam honesti. Huius rei alias rationes vide apud Layman *d.c.5.n.13.* & Filliucium *d.c.10.n.356.* Sanch. *d.c.1.nu.13.* qui sumpsere ex *S.Thoma, & Caietano vbi supra.*

Quid sit peccatum mortale, quid veniale.

81 TErtio aduertendum quid sit peccatum mortale, quid veniale, & quotuplex, & quomodo vnum in aliud transeat. De qua re. *S.Thom.1.2.q.88.* ibidē Theologi Scho-

 lastici,

lastici, *Azorius 1.p.lib.4.c.8.& 9.Sanchez lib.1.sum.c.1.Fillincius tom.2.tract.21.c.6.nu.241.& seq.Layman lib.1.tract.3.c.5. Nauarrus in præludijs manualis, & summistæ V.peccatum.*

Igitur peccatum mortale (quod ita dicitur, quia ob sui grauitatem priuat principio vitæ spiritualis, scilicet gratia sanctificante,& charitate,ac amicitia cum Deo,& constituit peccatorem reum æternæ pœnę; & consequenter auertit à Deo vltimo fine; quæ auersio nascitur ex eo quod qui peccat mortaliter, virtualiter, & interpretatiuè magis amat creaturam, quam Deum, hoc ipso, quod diuina præcepta non seruat ob amorem alicuius creaturæ) in genere sumptum est, quod grauem difformitatem habet ad rectam rationem, seu grauiter repugnat rectæ rationi; mortale vero ex obiecto iuxta communem doctorum (vt notat *Azorius d.c.9.q.8.& Sanch. d.c.1.n.4.*) est quod charitatem Dei, aut hominis grauiter lædit, vel (vt alij aiunt) quod in Dei iniuriam directè tendit; vel cum proximi iniuria, & damno notabili, vel ipsius operantis graui incommodo contra naturæ ordinem iunctum est: Qualia sunt peccata contra virtutes Theologicas, contra religionem, iustitiam, Charitatem proximi, denique quæ ad luxuriam pertinent, vt *Azorius, & Sanchez locis citatis,* aiunt. Veniale vero (quod ita dicitur, quia ob suam leuitatem, gratiam,& amicitiam cum Deo non tollit,nec pęnæ ęternæ reatum parit; sed tantum feruorem charitatis minuit, & temporalis pœnæ reum constituit peccantem; ac proinde saluo vitæ spiritualis principio, nempè gratia, languorem tantum, & infirmitatem spiritualem facile curabilem animæ infert, & ita veniam facile consequitur) absolute acceptum est, quod leuem difformitatem habet ad rectam rationem, seu leuiter repugnat rectæ rationi,& legi Dei; Veniale vero ex obiecto, & genere suo, quod charitatem Dei,aut hominis grauiter non lædit. Ex quibus infertur, quod licet omnia peccata etiam venialia sint contra legem Dei (vt constat ex definitione peccati à D. Aug.lib.22.contra Faustum & *D.Thom.1.2.q.71. a. vlt.* tradita,& communiter recepta, *quod sit dictum, vel factum, vel* con-

concupitum contra legem Dei æternam) non tamen omnia absolutè sunt contra finē legis, quę est charitas, & amicitia cū Deo, sed sola mortalia; vnde *D.Tho.q.88.art.1.* dicit, quod peccatum veniale non tollit ordinem circa finem ipsum, sed circa media ad illum faciliùs perueniendi, quæ sunt auxilia excitantia ad feruorem charitatis, & hac ratione causare debilitatem, seu infirmitatem spiritualem. Potest vero etiam dici, quod venialia non sint contra legem Dei præcipuam, seu quæ simpliciter necessaria sit ad salutem.

Triplex veniale, ex genere suo, ex materia leuitate, & ex indeliberatione, & quæ peccata reducantur ad veniale ex genere suo.

82 PORRO vtrumque peccatum mortale, & veniale ex genere, seu obiecto tale, potest per accidens, scilicet, ob aliquam extrinsecam circumstantiam transire in aliud nempe, mortale in veniale, & è contra. Et mortale quidem potest fieri veniale duplici ex capite, nempe ex leuitate materiæ, & indeliberatione rationis. Quare iuxta Theologos præallegatos, & alios communiter triplex est veniale. Vnum ex obiecto, seu ex natura, & genere suo, alterum ex materiæ leuitate, tertium ex indeliberatione, seu imperfectione actus, ac defectu sufficientis libertatis.

83 Veniale ex obiecto, & ex genere suo iuxta dicta est, quod per se, & absolutè spectatum secundum proprium obiectum, seu materiam, circa quam versatur, non habet grauem cum recta ratione, ac lege Dei repugnantiam, quodque non lædit grauiter charitatem Dei, aut hominis; vtpote, nec in Dei iniuriam directe rendens; neque cum proximi iniuria, damno, aut ipsius operantis graui incommodo contra naturæ ordinem coniunctum, vt verbum, & cogitatio otiosa, mendacium officiosum, aut iocosum, & similia; quæ nunquam fiunt mortalia, quantavis deliberatione, voluptate, & intentione fiant. Et ad hoc genus peccati Lessius de iust. *lib.4.cap.4.nu.*110. *& Layman d.cap.5.num.5.* aiunt, spectare omnem excessum, & defectum in passionibus animi secundum se indifferentibus

de qua re generalem regulam idem Lessius (quam Layman approbat) tradit nempe; *Quando aliquid non est per se malum, sed indifferens, tunc excessus eius in appetitu, vel vsu illius non est nisi veniale per se loquendo, & secluso graui nocumento, omniuè alia malitia extrinsecâ:* & tales sunt excessus in cibo, potu, ornatu corporis, coniugij vsu, ira, timore, tristitia, appetitu, pecuniæ, honoris, laudis, excellentiæ, vt latè declarat, & probat Lessius; in his enim mediocritatem attingere difficile est.

Peccatum aliàs ex genere, & obiecto mortale transit in veniale ob materiæ paruitatem, & quandonam plures materiæ paruæ constituant vnam materiam totalem magnam, & mortale.

84 QVoad secundum genus peccati venialis, certum est, & apud omnes indubitatum (vt notauit *Sanchez d. lib. 1. sum. c.* 4. initio) peccatum aliàs ex genere suo, & obiecto mortale, vt furtum, detractio &c. Fieri, vel transire in veniale paruitate materiæ, scilicet si materia, siue obiectum exiguum sit; vt furtum vnius oboli: nam vbi est parua materia, modica certè offensio reperitur, & ita non nisi parua, & leuis culpa oriri potest.

85 Aduertendum autem cum *Sanch. d. c.* 4. *& alijs* quædam peccata esse, quorum obiectum, etsi materialiter paruum videatur, formaliter tamen graue est, quia integra ratio, ac veluti tota quantitas deformitatis, & offensionis, ac irreuerentiæ in eo reperitur; Qualia sunt peccata, quæ directè contra Deum committuntur, *videlicet, Dei odium, & contemptus, ac infidelitas.* Quidquid enim quis in Deo oderit, aut contemnat, infinitam eius bonitatem odio habet, & infinitum esse contemnit: Et quamcumque à Deo reuelatã propositionem neget, infinitam eius veracitatem negat. Idem accidit in periurio assertorio, in quo (vt Sanch. *d. cap.* 4. *n.* 1. *Layman d. cap.* 5. *nu.* 6. *Filliucius d. tract.* 2. *c.* 6. *nu.* 250. & Theologi communiter) non sine grandi irriuerentia etiam ad minimæ rei confirmationem falsus testis Deus adducitur. Idem contigit (vt idem Sanchez ibidem alios allegans, & Filliucius docent) in simonia, qua aliquid spirituale vendi-

tur,

tur; nam quantumuis modica res spiritualis vendatur, & quantumuis modicum sit pretium, est mortale peccatum, eo quod rei spirituali plenè, & integrè irrogetur iniuria eā pretio æstimando. Quandonam verò, & quibus in casibus materia censenda sit grauis, vel lucis latè post alios tradūt *Vasq.1.2.disp.158.c.6.Sanch.d.c.4.& Bress.de conscientia lib.6.c.* 10.qui videri poterūt; hoc enim explicare nō est huius loci.

86 Solū aduerto (quod scrupulosos subleuare potest) multas materias paruas, & circa eas transgressiones repetitas, & multiplicatas non conflare vnā materiā totalem magnam, neq; efficere vnū peccatū mortale; si dictę paruę materię, & transgressiones inter se ratione sui obiectiuè, aut effectus ab ipsis producti mortaliter nō continuētur, & vniantur, sed diuisæ maneant; tūc enim omnes singulæ trāsgressiones sunt veniales, quę nunquā peccatū mortale efficere possunt, alioqui multa peccata venialia tandem efficerent mortale contra doctrinam S.Thomæ *d.q.*88.*ar.*4.communiter receptam, quod peccata venialia quantumuis multiplicata vnquam adęquant malitiā peccati mortalis; quemadmodum vulnera leuia quotcumque nunquam adæquāt vnum lethale. Hinc si quis singulis diebus quadragesimæ modicū quid panis, aut alterius cibi extra prandium, & serotinam refectiunculam comedat: Si artifex omnibus diebus festis exiguo tempore v.g. per horę quadrantem seruiliter operetur secluso scandalo, & contēptu; si clericus Sacris initiatus, vel habēs beneficium aliqua verba in officio recitando per negligentiam omittat, in his casibus peccatum veniale tantum committitur, vt docent *Sanch.d.c.*4.*n.* 9.11.*&* 12.*Vasq.*1.2.*d.*146.*c.*2.*Suarez to.*2. *de relig. lib.*5.*c.*5.*& Layman d.c.*5.*n.*7. Et ratio est, quia materiæ trāsgressionum prędictarum paruæ licet multiplicatæ, moraliter non continuantur, seu vniuntur inter seipsas, neque ratione sui, neque effectus ab eis producti, sed singulæ manent diuisæ; nam in prædictis casibus obligatio est alligata cuilibet dici, & ea transacta cessat; & sic multæ transgressiones diebus diuersis factæ moraliter continuari, & vniri inter se ad faciendam materiam magnam non possunt.

Quod

87 Quod si multæ materiæ paruæ,& transgressiones circa eas moraliter continuarentur, seu vnirentur inter se ipsas ratione, vel sui, vel saltem effectus ab eis producti; tunc (vt præallegati doctores, & alij tradunt) conflarent illæ paruæ materiæ vnam materiam totalem magnam, & compleretur malitia mortalis, seu mortale peccatum committeretur in vltima transgressione, cuius materia siue obiectum, licet præcisè spectatum, parua, seu paruum sit, tamen propter ordinem,& moralem connexionem,seu vnionem cum antecedentibus,magna,seu grande reputatur.
88 Hinc primo, si quis ab eodem repetitis vicibus modicam quantitatem furetur, neque restituat,& eo perueniat, vt non modicam rem alienam habeat, & retineat,peccabit mortaliter,vel in vltimo furto,quo ad quantitatem notabilem peruenitur; vel saltem in retentione quia omnia illa furta minima coalescunt,& conflant vnam materiam grauem retentionis,nam simul omnia retinet,& si non simul abstulerit.Secundo ob eandem rationem mortale est sæpius in eodem die ieiunij modicum extra tempora statuta comedere; quia cum sit eadem dies,moraliter continuantur eæ comestiones;& quia manet, & vnitur earundem effectus contra finem ieiunij. Et ita etiam sæpius in eodem die festo seruiliter operari per modica tempora interrupta est mortale, quia opera illa interrupta vniuntur eodem festo,& ratione sui effectus non minus distrahunt, & impediunt finem præcepti ea prohibentis, quam si phisicè continuarentur. Et ob similem rationem mortale est, si quis interruptis vicibus, plures Psalmos in officio eiusdem diei omittat: similiter quoque licet in comedendo, vel bibendo temperantiæ limites excedere cum modico corporis detrimento, veniale peccatum sit; si tamen frequentius eodem, vel diuersis diebus, comedendo, vel bibendo,quis aduertat grauiter nocere valetudini,mortaliter peccabit, ratione notabilis effectus, siue damni ex peccato gulæ prouenientis, in quem effectum omnes comestiones confluunt, & moraliter vniuntur. Et idem eadem

dem ratione dicendum de potatione, qua pòst alias turbatur ratio. De quibus *Vasquez, Sanchez, Suarez, Bresserus, locis allegatis, & Layman allegato cap. 5. num. 7.*

89 Qui omnes etiam in casu, quo quis voto iuramento, aut quouis præcepto teneatur quotidie, vel certo die hebdomadæ v. g. vel dare paruam eleemosinam, vel recitare orationem Dominicam ad dignoscendum, an peccet venialiter, vel mortaliter, si sæpius omittat, aiunt distinguendum esse conformiter iam dictis, scilicet, an illud sit dandum, vel recitandum quotidie, vel certò hebdomadæ die in honorem diei cuiusque, aliamvè causam ad illam restrictam; & tunc, quia variorum dierum paruæ materiæ & circa eas transgressiones non vniuntur, neque conflant materiam grauē peccati mortalis, nec omittere (aiunt ijdem Doctores) quantumuis multis diebus, nec illud velle, est peccatum mortale. Vel an vtrumque faciendum alia de causa v. g. vt tandem recitetur tantus numerus orationum, vel erogetur tanta eleemosina apposito tātum tempore, tamquam termino executionis saltem partialis: & tunc cum ex dictis materijs efficiatur vna totalis, dicunt fore peccatum mortale, non tantum velle omnes omittere, sed & omittere illam, quæ præcedentibus addita sufficit ad materiam grauem. Cum enim in primo casu singulæ materiæ allegatæ sint suis diebus; at ijs elapsis cesset earum obligatio, ac proindè non vniantur inter se, licet pluries omittantur: non committitur mortale. Secus verò euenit in posteriori casu; cum vnica sit obligatio diei non adstricta, quoad cessationem, seu extinctionem.

90 An verò in dubio vouens præsumendus sit voluisse se obligare in honorem diei, seu cum dependentia à tali die, an verò absolutè, & independenter, atque ad supplendum diebus posterioribus, quod prioribus omisit; ideoque peccare mortaliter, si longo tempore sine iusta causa omittat, vel omittendi propositum habeat, *Layman d. cap. 5. num. 9.* posito quod vouens, dubius sit qualem intentionem habuerit, nec de ea ex circumstantijs, coniectura, seu præsumptio capi possit, respondet cum

Soto

Soto lib.7. de iustit. quæst.2. artic. 1. realia vota, vt plurimum ita concipit; vt non sint diei allegata, sed vt mens sit ea supplendi, si vno die negligantur, vt si quis vouit singulis diebus obolum pauperibus largiturum, videtur se obligare voluisse ad supplendum, si aliquibus diebus omisit; At verò vota personalia, non concipi cum tali onere, vt si quis voueat singulis diebus Rosarium recitaturũ, vel singulis septimanis ieiunaturum, vt plurimum intentionem vouentis esse, vt oratio, ieiunium cuiusque diei, aut hebdomadæ onus sit; quia alioqui, inquit, obligatio homini nimis difficilis accumularetur. Addit tamen in hac re vniuersalem regulam non posse dari; eo quod non raro vouentes quotidianam orationem, si quod vno die prætermiserunt, altero compenset, voto suo vtcumque satisfecisse se existiment. Sed de hac re vide supra tit. primo moral. Variorum n.6043. & 6044.

Peccatum ex genere mortale transit in veniale ex defectu plenæ aduertentiæ malitiæ obiecti, & perfectæ deliberationis; vbi quid sint motus primo primi, & secundo primi. Et quæ cognitio, seu aduertentia malitiæ obiecti requirantur ad peccatum mortale, quæ veniale.

91 TErtium genus peccati venialis est, quod versatur circa obiectum ex natura sua grauiter malum, & materialiter mortale, sed non contrahit malitiam mortalem, eo quod non consequitur ad perfectam, & plenam malitiæ cognitionem, seu aduertentiam, sed tantum imperfectam. Certum enim est apud Theologos omnes, & summistas, peccatum, quod & ex genere suo, & obiecti grauitate mortale esset, posse fieri, & sæpe esse veniale ex perfectæ deliberationis, seu cognitionis malitiæ defectu, quod vocant veniale ex indeliberatione rationis, & ex imperfectione actus. Ita Caietanus *in summa v. delectatio morosa, Azorius 1. p. lib.4. cap. 5. quæst.2. & 4. Vasquez 1. 2. disput. 106. cap.3. & disput. 107. c.3.4. Sanchez d. lib.1. sum. cap.1. num.6. & seqq.*

Lay-

Layman lib.1.tract.3.d.cap.5.nu.11. & seqq. Filliucius d.tract. 21.cap.6.n.250.& alij Theologi.

92 Ad cuius rei explicationem (supposita certa doctrina supra n.75.& seqq.tradita nullum actum, seu consensum voluntatis posse esse moraliter malum, seu peccatum etiam veniale, nisi præcedat intellectus aliqua apprę-hensio seu cognitio, aut cogitatio malitiæ obiecti, etiam si aliàs intellectus in eo aduerterit rationem vtilis, vel delectabilis, & de ea consultauerit, & deliberauerit) sciendum motus appetitus, sensitiui, & ipsius voluntatis, primò alios esse, qui ante omnem mentis cognitionem, seu aduertentiam honesti, vel turpis seu moralis bonitatis, vel malitiæ, & consequenter ante omnem vsum, & deliberationem rationis naturaliter excitantur; qui properea a Theologis vocantur motus primò primi. Excitata enim in mente, seu intellectu cogitatione, seu appræhensione obiecti mali, siue à Dæmone per suggestionem, siue ab extrinseco per visum, auditum, aut alium exteriorem sensum, siue ex naturali dispositione, ac infirmitate, exinde interdum naturaliter, & necessariò appetitus, ipsaque voluntas in obiectum præsentatum, & appræhensum mouetur, vt non sit in hominis potestate huiusmodi repentinos, ac subitos motus reprimere, & prorsus impedire; & hi motus tam appetitus, quam voluntatis carent omni culpa, quia ante omnẽ moralis bonitatis, vel malitię cognitionem, anteque vsum, & deliberationẽ omnem rationis excitãtur; quia nihil malũ põt esse nisi voluntariũ, & liberum; cũ voluntariũ, & liberũ cessariò sit cum cognitione aliqua: & de his motibus loquitur Apostolus ad Romanus 7. *sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege, peccat i, & infra.* Non quod volo bonũ, id ago sed quod nolo malũ, id facio: atque eos carere prorsus culpa, docuit S. Aug. *lib.3.de lib. arbitrium c.25. & l.1.de ciuit.c.25. & tradunt Theologi cõmuniter Vasqu. dicta disp.*106.*c.*3. Azorius alias *allegans, d.c.5.q.2.3.& 4. Ariaga.1.2.disp.46.senet.3. Layman d.c. 5.num.*11. *Bresserus d.lib.6.cap.17.num.214.& alij recentiores.*

Neque

95 Neque obſtat, quod aliqui ex antiquis Theologis, (qui infra n.99. allegantur) volentes motus appetitus, & voluntatis circa obiectum turpe, qui imaginationem, vel mentis cogitationem conſequuntur, rationis vſum, malitiæque aduertentiam, præuenientes, eſſe culpabiles, dixerunt; ſcilicet quod & ſi homo appræhenſione, ſeu cogitatione mali obiecti excitata, & exorta, appetitus, aut voluntatis motum impedire non poſſit; poteſt tamen impedire, ne talis cogitatio in animo excitetur, occupando ſe alijs cogitationibus bonis, & honeſtis, ac proinde tunc motus appetitus, aut voluntatis in obiectum malum indirectè voluntarius eſt, & conſequenter peccatum, quoties homo negligit amouere eius motus cauſam, quæ eſt eiuſdem obiecti mali appræhenſio, & cogitatio: Non obſtat, inquam, nam reſpondetur ex Vaſquez *d. diſp. 106. c. 3. & diſp. 38. c. 3. Azorio d. cap. 5. queſt. 2. & 4. Sanchez lib. 1. ſum. cap. 16. n. 21. verſic. & ratio eſt, & Layman lib. 1. tract. 2. cap. 2. num. 10. & tract. 3. d. cap. 5. num. 11.* primum actum intellectus, ſeu primam appræhenſionem, & cogitationem intellectualem, non eſſe propriè humanam, ac moralem, & voluntariam ex conſultatione procedentem, ſed naturalem: Nam libertas, ſeu moralitas non eſt ſine actu voluntatis; primus autem intellectus actus, ſeu prima cogitatio in quouis negotio eſt ſine omni actu voluntatis; etenim cum voluntas non poſſit fieri in incognitum; & conſequenter omnem actum voluntatis neceſſariò præcedat actus intellectus, ne in infinitum verſus principium procedatur; neceſſe eſt dari aliquam intellectus appræhenſionem, ſeu cogitationem, quę ex conſultatione, & deliberatione non procedat, nec volita ſit, ideoque nec libera, nec moralis, ſed omninò naturalis peccati, & meriti incapax: Quam propterea Ariſtoteles 7. *ethicorum* Fortunæ tribuit, quaſi abſque induſtria, & hominis ſolicitudine occurrat. Ad huiuſmodi autem appræhenſionem, ſeu cogitationem intellectus primam, & ſi homo à Deo immediatè poteſt moueri, ordinariè tamen vel per ſenſus exteriores excitatur, quia viſui, aut alteri ſenſui exteriori aliquid ſubito occurrit, vel ſine exteriorum

rum

rum sensuum actuali operatione imaginatio naturaliter excitatur, & species intellectui proponit; interdum vero ab Angelo bono, verba Dæmone species imaginatiuę potentiæ commouentur. Igitur excitata, seu orta tali appræhensione, seu cogitatione præuia circa obiectum aliquod secundum se malum, & inhonestum; sed appræhensum solum sub ratione vtilis, vel delectabilis, seu delectantis, appetitus, & ipsa voluntas naturaliter inclinatur, & mouetur in illud; & consequenter talis motus caret omni culpa.

94 Secundo sunt alij motu appetitus, & voluntatis appellati secundò primi, qui licet non præueniant omnem rationis deliberationem, seu omnem intellectus cognitionem, seu considerationem, & aduertentiam moralis bonitatis, vel malitię, seu honestatis, vel turpitudinis obiecti, circa quod versantur; antecedunt tamen perfectam rationis deliberationem, seu plenam, & perfectam, honesti, vel turpitudinis cogitationem, & aduertentiam; sed consequuntur & exercentur, seu eliciuntur ab appetitu, & ipsa voluntate ex imperfecta deliberatione, scilicet post habitam, seu conceptam tantum imperfectam, & aliquantulam cognitionem, seu appræhensionem, & aduertentiam turpitudinis, vel honestatis obiecti; atque adeo fiunt cum consensu semiplenè, & imperfectè deliberato, & libero minuente libertatem imperfecta cognitione mali. Quia sine plena aduertentia, seu cognitione obiecti in genere moris, non potest humana mens perfectè deliberare de operatione. Et hi motus appetitus, & ipsius voluntatis, licet versantes circa obiectum ex genere suo mortaliter malum, sunt tantum peccatum veniale.

95 Denique alij motus appetitus, & voluntatis sunt, qui plenam, & perfectam rationis deliberationem, seu cognitionem, & aduertentiam moralis bonitatis, vel malitiæ sequuntur, vocanturque actus perfecti in genere moris, qui si versentur circa obiectum, quod mortaliter malum est, ab eo etiam mortalem malitiam accipiunt, suntque peccatum mortale. Et hoc certissimum est, cum nil desit, neque ex parte obiecti, neque ex parte perfectionis

actus

actus ad completam malitiam grauem, & mortalem.

90 Sed quod etiam motus appetitus,& voluntatis secundo primi,sequentes tantum imperfectam turpitudinis aduertentiam, atque adeo imperfectam rationis deliberationem,sint tantum peccatum veniale, est, (vt dixi) communis doctrina,vt tradunt *Doctores num.91. relati, & præsertim Azorius d. cap.5. quæsito. 3. & quæstio.4. vbi explicat* qualiter, etiam in ipsa ratione,ac voluntate sint actus primò primi, & secundo primi. Cuius verba,& doctrinam totam in gratiam scrupulosorum placet hic ponere. Igitur in ipsa ratione,& voluntate reperiri motus primo primos præuenientes omnem mentis deliberationem, & vsum, atque adeo carentes omni culpa; & etiam secundo primos sequentes semiplenam, & imperfectam rationis deliberationem, habentes tantum venialem malitiam, licet versentur circa obiectum mortaliter malum,declarat,& probat sequentibus. *Non enim* (inquit) *negari potest, quin aliquando res obiecta rationi,ipsam materialiter excitent, alliciant, & permoueant, & aliquando imperfectè: quare in odio, maleuolentia,superbia,inuidia, ira, ambitione, contemptu, inani gloria, nonnumquam leuiter peccatur, quoniam res obiecta aliquando vel iucunda, vel vtilis, commodaq. primo mentis aspectu se se offert,& voluntatem delectat, antequam ratio eam turpem esse, vel malam animaduertat:& proindè si res, vt iucunda, vel vtilis, & commoda, & corpori salutaris,non autem vt turpis, & mala nos delectatione afficit,naturalis est voluntatis actus,quo naturaliter iucundum,vel vtile bonum,quatenus est bonum,vel vtile,sed ante omnem prorsus honesti& turpis notitiam est primo primus,omni culpa carens. Deindè, cum incipit aliquantula apparere turpitudinis notitia,non tamen perfecta: si tunc quoque res turpis, & vetita voluntati placeat actus erit venialis culpa:quia cum adest turpitudinis cognitio, statim res turpis auerti, & repudiari debet, cum is actus circa obiectum malum versetur. Hinc etiam est, vt in ijs quoque, quæ sunt contra fidem,possit quis grauiter, & leuiter peccare. Potest enim sententiam fidei contrariam tamquam veram subitò credere,antequam cum Ecclesia vel fidei catholica sensu eam dissidere,& pugnare cognoscat, animaduertat, vel cogitet:*



& tunc actus est liber a culpa: si vero incipiat esse cognitio aliquantula non plena, & perfecta, qua deprehendat eam dissentire, & discrepare ab ecclesiæ decretis, veniale tunc peccatum erit, sicut lethale post plenam mentis notitiam, & deliberationem. Idem etiam potest accidere, cum de fidei rebus dubitamus; nam possunt esse subita, & repentinæ dubitationes, quæ naturaliter in mentem obrepant: & possunt esse aliquando cum imperfecta animi deliberatione. Idem iuris est in motibus iræ, superbiæ, inuidiæ, odij, inanis gloriæ, & alijs similibus. Hæc Azor.

Præterea quod prædicti motus, seu actus voluntatis secundò primi, quos præcedit tantum imperfecta aduertentia, seu cognitio malitiæ obiecti ex se mortaliter mali, careant culpa mortali, sintque tantum peccata venialia, probatur ex communi doctrina, quam præallegati doctores, & alij Theologi communiter tradunt; scilicet quod nullum peccatum mortale contra quamlibet virtutem esse potest, nisi ex perfecta deliberatione rationis præcedente, seu nisi illud præcesserit perfecta, & plena cognitio, seu aduertentia mali, & turpitudinis, perfectaque deliberatio rationis; Quod manifestè ostenditur, tum quia ea est fragilitas hominis ad malum procliuis, vt non semper ad obiecti malitiam, omnesque mali rationes, perfectè aduertat, seu possit aduertere; tum quia cum magna sit peccati mortalis enormitas, & pęna æterna sit illi debita, naturale iudicium, & æquitas omninò dictare videntur, vt tantam pęnam quis non mereatur, & incurrat, nisi actu perfectè humano, libero, & deliberato: & ita etiam dedecet diuinam pietatem, & immensam illius misericordiam, vt ob imperfectam deliberationem, imperfectumuè actum in genere moris hominem tam enormi pęnæ adiudicet; si ergo præcesserit deliberatio tantum imperfecta, actus inde sequens quantumuis versans circa obiectum enormiter abominabile, & mortaliter malũ, est tantum peccatum veniale. Confirmatur, quia sicut homo nũquam peccat, neq; etiã venialiter, nisi actualiter aduertat ad mortalẽ malitiã operis vel omissionis; quãtũuis plenè aduertat ad rationẽ, vtilis aut delectabilis (vt latè supra

nu.75.& seqq. ostensum est) ita etiam si non plenè, & perfectè, sed tantum imperfectè aduertat ad eandem malitiam, licet perfectè attendat, & cognoscat rationem vtilis, aut delectabilis, imperfecta, & leuis erit culpa, & ita venialis. Quemadmodum enim malitiæ moralis obiecti, seu operis aduertentia requiritur ad peccatum vt sic, ita etiam perfecta aduertentia, & cognitio eiusdem malitiæ erit necessaria ad perfectam culpam, & mortalem. Imò ad peccatum mortale non solum requiritur plena, & perfecta aduertentia, seu consideratio malitiæ obiecti, sed etiam quod obiectum apprehendatur, & cognoscatur mortaliter malum, vt supra nu.78. ostensum est.

97 Cum autem ad peccatum eam veniale, quàm mortale committendum, præter aduertentiam, & considerationem moralis malitiæ obiecti requiratur etiam actualis, seu formalis, aut interpretatiuus consensus voluntatis, vt supra, nu.74. dictum est, ob rationem ibi allatam, quod nequeat peccatum esse, nisi voluntarium. *Sanchez d. lib. 1. sum. citato cap. 1. nu. 12. (& illum sequitur, Fillиucius d. tra. 21. c. 6. nu. 250.)* ait ad peccatum veniale sufficere quidem imperfectum consensum, ac tepiditatem quamdam in prauis motibus coercendis, sicut & sufficit imperfecta aduertentia mali, & deliberatio; at verò ad mortale, sicut requiritur plena, & perfecta consideratio, & deliberatio rationis, circa malitiam moralem, ita præter perfectam aduertentiam, & deliberationem requiri perfectum, ac plenum consensum, nec sufficere tepiditatem consensus; quod inquit, satis probari eadem ratione, qua numero præcedenti ostensum est ad peccatum mortale requiri perfectam malitiæ obiecti cognitionem, plenamque rationis deliberationem. Quare (concludit) cum fragilitas humana ea sit, vt in quacumque cuiusuis criminis suggestione expellenda se habeat aliquando tepidè, non plenè consentiens, inde est, vt ex hoc quoque capite quodcumque mortale ex genere possit in veniale transire; & addit, hoc omnes fateri: Contradicit tamen ei *Bresserus de conscient. d. lib. 6. c. 9. nu. 94.* dicens se non videre, quę plenitudo,

ſeu perfectio in conſenſu voluntatis requiri poſſit ad peccatum mortale præter perfectam libertatem. Præter hâc enim (ait) nil in illo reperitur niſi intenſio; certum autem videtur non requiri ad peccatum mortale certam actus intenſionem, quæ ne quidem requiritur ad contritionem, & amorem Dei ſuper omnia; Addit quod ſi iuxta probabiliorem ſententiam detur omiſſio pura, & libera, hæc poteſt eſſe moraliter mala abſque vllo omninò actu, multo magis intenſione phiſica. Sed quoad hoc, & ſi eſſet omiſſio moraliter mala ſine actuali, & formali conſenſu voluntatis in eam, non eſſet tamen talis ſine conſenſu interpretatiuo. Quo vero ad illam tepiditatem conſenſus, qua Sanchez dicit mortale ex genere tranſire in veniale, mihi quoque videtur non poſſe eſſe, niſi remiſſionem ipſius conſenſus, quæ ſuppoſita plena conſideratione malitiæ mortalis obiecti, non poteſt excuſare conſenſum à culpa mortali, qui eo ipſo quod ſequitur, ſeu ſupponit perfectam aduertentiam malitię obiecti, ex ſe mortaliter mali, plenamque circa hoc deliberationem rationis, eſt actus eſſentialiter, & ſubſtantialiter perfectus, & completus in genere moris, & ſic accipit totam malitiā, quam habet obiectum cognitum, vt cognitum; eiuſdem vero conſenſus intenſio, & remiſſio accidentaliter ei accidunt. At forte Sanchez per tepiditatem conſenſus, ſeu per conſenſum imperfectum intelligit conſenſum, quem præſumitur, & cenſetur habere voluntas, quando negligenter ſe habet in tentationibus peccati mortalis expellendis, in quibus alioque expellendis firma eſt, licet aliqualiter negligens; tunc enim negligentia illa ait idem Sanchez *d. cap. 11. nu. 15.* eſt venialis, & ita etiam conſenſus interpretatiuus aliqualis tantum, & valde imperfectus in tali negligentia incluſus. Intellige tamen eſſe venialem ſecluſo periculo adhærendi obiecto mortaliter malo; nā ſi talis negligentia afferret probabile conſentiendi mortali periculum, erit mortalis; vt poſt Nauarrum, in Man. *c. 11. n. 14. fine, & Ledeſ. 1. p. q. 21. a. 7. cōcl. 9. tradit idē Sanch. ibi.*

98 Et ex dictis patet, cum peccatum aliàs ex genere, &

obiecto mortale dicitur fieri veniale, ex defectu perfecti consensus; nomine perfecti consensus, intelligi consensum perfectum moraliter, non phisicè; nam eo ipso quod defectu plenę aduertentiæ, ac deliberationis rationis est imperfectè liber, etiam est moraliter imperfectus, & si phisicè esset perfectus, & intensus. Libertas enim (vt suppono) & si formaliter competit voluntati, radicaliter tamen conuenit intellectui obiectum illi proponenti sub ratione boni, qua possit in illud tendere, & moueri; & sub ratione mali, qua possit abhorrere, & auersari, quæ dicitur indifferentia obiectiua.

Motus praui, & inhonesti sensualitatis, seu appetitus sensitiui etiam ex imaginatione, & cogitatione orti præuenientes omnem cognitionem, seu aduertentiam malitiæ moralis, & rationis deliberationem non sunt peccata nec venialia.

99 EX dictis quoque manifestè colligitur motus sensualitatis, & inhonestates non solum prouenientes imaginationem, & apprehensionem, seu cogitationem mentis, sed etiam sequentes ex imaginatione, si nullo modo fuerint cognitæ seu apprehensæ, vt malæ, omnemque rationis deliberationem præueniant, culpa prorsus vacare, & nullo modo esse peccata, neque etiam venialia. Pro cuius rei maiore explicatione aduertendum, quod motus sensualitatis in carne, & inhonestus, quandoque potest oriri ex qualitate, & dispositione naturali, vel etiam accidente motione phantasiæ, sicut in brutis, & hominibus dormientibus sine causa antecedente voluntaria; qualem etiam motum Diabolus potest concitare in nobis inuitis ex potestate suæ naturæ; quia corporalia eius mutationi subsunt, nisi à Deo cohibeatur: qua de causa in hymno Ecclesiastico, qui tempore noctis dici solet, precamur: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora*. Tales igitur motus, (siue efficiantur arte dæmonis, siue ex aliqua qualitate corporis, vtpotè quia nimis calefa-

ctum

ctum sit vel alimento superfluo abundans) iuxta omnes Theologos in se non habent vllam rationem peccati venialis nisi fortasse quis culpabilem causam det, & voluntariam his motibus. Alius autem sensualitatis motus est, qui non ex causa naturali, sed ex apprehensione, vel imaginatione rei turpis, & delectabilis in sensualitate sequitur; & hunc motum, etiam si præcedat omnem rationis deliberationem, & cognitionem moralis malitiæ, habere culpam venialem, non verò læthalem, (quam ante omnem animi deliberationem nullum esse posse etiam aiunt) existimarunt Magister *in 2. sent. d.* 24. Ibidem *S. Bonauentura in expositione litera P. Soto tract. de peccatorum discrimine, cap.* 8. *Caietanus* 1.2. *quæst.*74. *artic.*3. *Paludanus, Alsitiodorensis, Albertus, Durandus, Henricus*, quos locis infra allegandis referunt *Vasquez Azorius, & Laymani* & pro hac sententia allegatur etiam D. Thomas in d. distinct. 24. & 1.2. quæst.46. art.4. ad 3. (vbi etiam Caietanus,) & videtur expresse sentire d. quæst.79. art.4. dum fatetur in sensualitate posse esse peccatum veniale, negat autem mortale reperiri posse. Et prædictis doctoribus aliqui ad id asserendum moti sunt, quod appetitus sensitiuus hominis ex coniunctione, quam habet cum ratione, & voluntate, habeat aliquam licet paruam libertatem, prout potest obedire imperio rationis, & voluntatis, cui in homine coniunctus, est ac proinde ratione talis libertatis motus inhonesti, & alij praui, puta iræ, vindictæ &c. possit habere culpam venialem etiam absque consensu voluntatis, aut vlla eiusdem voluntatis negligentia; ita Caietanus. Alij asseruerunt hos motus appetitus esse peccata venialia propter negligentiam voluntatis impediendi imaginationem, & cogitationem, ex qua sequuntur, & ita propter eius voluntatis consensum interpretatiuum vt supra nu.153. dictum est: Ita alij doctores citati præter Henricum, ex quibus P. Soto ait hos motus esse peccata solum, quoad sui continuationem, existimās semper esse in nostra potestate illos reprimere, ne continuentur, & perseuerent; licet non possimus omninò impe-

dire, quo minus incipiant: Henricus autem dicit hos motus esse peccata ob solam fomitis concupiscentiam, ex peccato originali profectam; cuius dictum latiùs explicat Vasquez 1.2.*disp.*106.*cap.*2.

At tamque certum tenendum, omnem sensualitatis motum, tam in carne, quam in ipso appetitu sensitiuo excitantem præuenientem cognitionem, seu aduertentiam malitiæ obiecti, & eorumdem motuum, & rationis deliberationem, esse quidem vitium, non tamen peccatum, etiam minimum veniale. Id quod communiter docent Theologi præsertim recentiores. Ita *Gabr. super canon missa, lect.*27.*&* *l.*78. *Azorius p.*1.*lib.*4.*cap.*5.*quæst.*2.*&* 3. *Vasquez* 1.2.*disp.*104. *&* *disp.*106.*c.*1.2.*&* 3. *Sanchez d.cap.*1.*num.*11. *Layman d.c.*5.*nu.*13. *Bresserus lib.*6. *cap.*17.*num.*213. *&* *seqq. Alij recentiores omnes*, & etiam ferè omnes alij antiqui, quos Azòrius *d.q.*2.*&* *Vasquez d.disp.*106.*cap.*3. *citant*. Quod sit vitium patet; quia est defectus in actu ex parte potentiæ, qui secundum primæuum naturæ ordinem esse non deberet; quia sic natura nostra creata fuit, quod in omnibus sensualitas subesse debeat rationi; & contrarium euenit propter peccatum primi parentis, quò tota natura hominis infecta est; Vnde aliquando hic motus dicuntur peccatum, quod in nobis ex peccato originali sint, vt dixit Tridentinum loco mox citando, sed verè peccatum non sunt; Et hinc notandum, quod aliud est peccatum propriè, aliud vitium: sunt enim multa vitia naturalia, in quibus nulla est ratio culpæ; sed omne peccatum etiam leuissimum habet aliquid culpæ annexum. Qnod igitur non sit peccatum neque veniale probatur, primo ex Tridentino sess.5.decreto de peccato originali, vbi id definit, dum docet, *manere in baptizatis concupiscentiam, & fomitem, ad agonem non consentientibus, imò prodesse repugnantibus, atque adeo peccatum in renatis non esse, & si peccatum aliquando vocetur quod ex peccato sit, scilicet originali, & ad peccatum inclinet*. Ex quibus contra Henricum patet in huiusmodi motibus non esse deformitatem culpabilem propter solum fomitem; quia iam non prodessent, sed nocerent: patet

tet etiam contra Caietanum eosdem motus sensualitatis non esse peccata independenter à libertate voluntatis, sed solum ex libero voluntatis consensu. Cum Concilium dicat illos non nocere non consentientibus, & vtiles esse repugnantibus.& ita iuxta idem concilium appetitui sensitiuo nullam competere intrinsecam libertatem; nam si competeret,& ratione illius motus essent saltem peccata venialia, iam nocerent etiam non consentientibus,scilicet,siue voluntas liberè consentiret,siue non. Et doctrinę Caietani repugnat etiam D.Aug.*lib.3. de libero arbitr.c.17. & 18.& alibi,& S.Th.1.2.q.74.art.1.& 2.& pluribus alijs locis,* dum dicunt peccatum eatenus esse peccatum, quatenus voluntarium est;ac proinde iuxta eos in sensualitate absq; vllo ordine ad voluntatem, nequit vllum esse peccatum. De motibus ijsdem sensualitatis præuenientibus rationis deliberationem,quod omni culpa vacent docet *D.Aug.locis supra nu.92.* allatis, & alibi sæpè, prout prosequuntur. *Vasquez,Layman,& Bresserus locis citatis:* secundo probatur ratione ex supradictis, scilicet quod nullum potest esse peccatum, nisi sequatur aduertentiam aliquam malitiæ moralis obiecti, seu operis, & rationis deliberationem; Ergo nullus motus sensualitatis, etiam si sequatur imaginationem, potest esse peccatum, nisi præcognitus sit aliquo modo sub ratione mali moraliter, alioqui voluntarius,& liber nō esset quatenus malus,& turpis; quod enim non est cognitum ab intellectu, non potest esse volitum, seu voluntarium liberum; cum ergo motus sensualitatis præcurrentes omnem cognitionem malitiæ, & rationis deliberationem non sint voluntarij, & liberi, quatenus mali; nullo modo possunt esse peccata venialia, cum nullum peccatum (vt dictum est) esse posit, nisi quatenus voluntarium. Neque possunt dici voluntarij propter negligentiam illos impediendi,nè insurgant impediēdo imaginationem;nam vt constat ex dictis hoc numero,& n.93. & docuit S.Aug.d.lib.3.arbitrij.c.25. non est in nostra potestate impedire, & auertere non solum causas talium motuum cōsistentes in qualitate,& dispositione corpo

vt sunt calefactio, & actiones facultatis altricis, sed neque primas de quauis re cogitationes, quæ ingeruntur per sensus externos, auditum, visum &c. aut etiā per species obiectas a Dęmone; quibus, eo nil prorsus cooperante, nec valente impedire excitat imaginationes, & cogitationes turpes in homine: Ad quas subitò sequūtur huiusmodi motus; nam illis imaginationibus, & cogitationibus positis, licet in nostra potestate sit motus ex illis exoriētes sumere, vel respuere (vt loco citato dicit. D. Aug.) scilicet consentiendo, vel dissentiendo; non est tamen in nostra potestate ijsdem cogitationibus nō tangi (vt inquit D. Aug. ibidem) aut moueri, idest impedire, ne ex eis motus sequantur, quod nimis probat experientia etiam in viris Sanctissimis: Nemo autem peccat in eo quod vitare non potest. Quamuis verum sit, facilius reprimi illos motus, qui oriuntur ex cogitatione, seu appræhensione rei turpis, præsertim absentis, quam ex corporis commotione. Tunc igitur solum hi motus inhonesti ex imaginatione, vel aliunde excitati, sunt peccata, quando sunt præcogniti vt mali, & voluntas eos non respuit, sed illis consentit, & adhæret. Et quidem si sint præcogniti imperfectè, ex imperfecta cogitatione, & aduertentia moralis malitiæ illorum, & voluntas non repugnet, sed illis adhæreat, & consentiat, erunt peccata tantum venialia; si præcogniti vt mali, perfectè, scilicet plena, & perfecta cogitatione, & aduertentia mali, non solum vt sic, sed etiam mortaliter talis, erunt peccata mortalia. Huiusmodi ergo motus sensualitatis, & alij motus praui appetitus sensitiui imputantur ad culpam venialem, quando sunt aliquo modo voluntarij, seu voliti in se, vel in sua causa; cum non minus ad culpam venialem, quam ad mortalem requiratur voluntarium: licet ad committendam peccatum veniale sufficiat minimum voluntarium; vnde cum sæpe in huiusmodi motibus, præcipue quando oriuntur ex appræhensione sensuum, homo ponat aliquam causam, fit etiam, vt sæpe sint venialiter culpabiles, & voluntarij in causa.

Regulæ ad discernendum imperfectam considerationem, & deliberationem à perfecta, adque cognoscendum consensum in peccatum, vel fuisse nullum vel imperfectum, & non plene liberum.

SEd explicemus qua ratione dignosci possit, an consideratio, & aduertentia malitiæ moralis & deliberatio rationis sit plena, & perfecta, provt ad mortale peccatum requiritur; quando imperfecta; sufficiens tantum ad veniale. Et quidem certò discerni non potest, quando præcise consideratio, & deliberatio ad illam perfectionem ad mortale requisitam peruenerit; tamen Doctores afferunt aliqua probabilia signa, & exempla, seu similitudines.

100 Et primo ex Caietano *V. delectatio paulo post principium. Vasquez 1. 2. disp. 107. cap. 4. ea Sanchez lib. 1. summa d. cap. 1. num. 10.* Imperfecta, & semiplena consideratio, & deliberatio ad solam venialem culpam sufficiens est, quæ est similis ei, quæ est in semidormientibus, vel in semiebrijs, ita vt quoties homo aliquid esse mortaliter malum aduertit, sicut illi, qui tantum semiexperrecti, & nondum plenè à somno excitati malitiam pollutionis illis contingentis aduertunt; & sicut semiebrij, cuiusuis obiecti turpis malitiam cùm aduertunt, & considerant, quorum mens, cum adhuc somno, & ebrietate remaneat partim obscurata, & impedita, non potest motuum carnalium, & aliorum obiectorũ malitiã perfectè, & plenè aduertere, & ita eorum cõsensus in malum, & turpe est tantũ semiplenè, & imperfectè deliberatus, & consequenter tantum veniale; simili enim modo etiã vigilantes, & sobrij possunt tenuẽ, & imperfectam considerationem habere, eo quod eorũ mens aliundè impediatur, vt cõtingit in habẽtibus animũ passione iræ, timoris, amoris, seu concũpiscentiæ &c. perturbatã, vel alienis cogitationibus adeo implicatã; vt ad id, quod agunt, vel saltẽ ad actionis malitiam, eiusvè periculum plenè non aduertant, qui proinde non nisi imperfectè, & leuiter, seu venialiter peccant, si quid mali eis

com-

actus ad completam malitiam grauem, & mortalem.

90 Sed quod etiam motus appetitus, & voluntatis ſecundo primi, ſequentes tantum imperfectam turpitudinis aduertentiam, atque adeo imperfectam rationis deliberationem, ſint tantum peccatum veniale, eſt, (vt dixi) communis doctrina, vt tradunt *Doctores num. 91. relati, & præſertim Azorius d. cap. 5. quæſito. 3. & quæſtio. 4. vbi explicat* qualiter, etiam in ipſa ratione, ac voluntate ſint actus primò primi, & ſecundo primi. Cuius verba, & doctrinam totam in gratiam ſcrupuloſorum placet hic ponere. Igitur in ipſa ratione, & voluntate reperiri motus primo primos præuenientes omnem mentis deliberationem, & vſum, atque adeo carentes omni culpa; & etiam ſecundo primos ſequentes ſemiplenam, & imperfectam rationis deliberationem, habentes tantum venialem malitiam, licet verſentur circa obiectum mortaliter malum, declarat, & probat ſequentibus. *Non enim* (inquit) *negari poteſt, quin aliquando res obiecta rationi, ipſam materialiter excitent, alliciant, & permoueant, & aliquando imperfectè: quare in odio, maleuolentia, ſuperbia, inuidia, ira, ambitione, contemptu, inani gloria, nonnumquam leuiter peccatur, quoniam res obiecta aliquando vel iucunda, vel vtilis, commodáq. primo mentis aſpectu ſe ſe offert, & voluntatem delectat, antequam ratio eam turpem eſſe, vel malam animaduertat: & proindè ſi res, vt iucunda, vel vtilis, & commoda, & corpori ſalutaris, non autem vt turpis, & mala nos delectatione afficit, naturalis eſt voluntatis actus, quo naturaliter iucundum, vel vtile bonum, quatenus eſt bonum, vel vtile, ſed ante omnem prorſus honeſtis & turpis notitiam eſt primo primus, omni culpa carens. Deindè, cum incipit aliquantula apparere turpitudinis notitia, non tamen perfecta: ſi tunc quoque res turpis, & vetita voluntati placeat actus erit venialis culpa: quia cum adeſt turpitudinis cognitio, ſtatim res turpis auerti, & repudiari debet, cum is actus circa obiectum malum verſetur. Hinc etiam eſt, vt in ijs quoque, quæ ſunt contra fidem, poſſit quis grauiter, & leuiter peccare. Poteſt enim ſententiam fidei contrariam tamquam veram ſubitò credere, antequam cum Eccleſia vel fidei catholica ſenſu eam diſſidere, & pugnare cognoſcat, animaduertat, vel cogitet:*



& tunc actus est liber a culpa: si vero incipiat esse cognitio aliquantula non plena, & perfecta, qua deprehendat eam dissentire, & discrepare ab ecclesiæ decretis, veniale tunc peccatum erit, sicut lethale post plenam mentis notitiam, & deliberationem. Idem etiam potest accidere, cum de fidei rebus dubitamus: nam possunt esse subita, & repentina dubitationes, quæ naturaliter in mentem obrepant: & possunt esse aliquando cum imperfecta animi deliberatione. Idem iuris est in motibus iræ, superbiæ, inuidiæ, odij, inanis gloriæ, & alijs similibus. Hæc Azor.

Præterea quod prædicti motus, seu actus voluntatis secundò primi, quos præcedit tantum imperfecta aduertentia, seu cognitio malitiæ obiecti ex se mortaliter mali, careant culpa mortali, sintque tantum peccata venialia, probatur ex communi doctrina, quam præallegati doctores, & alij Theologi communiter tradunt; scilicet quod nullum peccatum mortale contra quamlibet virtutem esse potest, nisi ex perfecta deliberatione rationis præcedente, seu nisi illud præcesserit perfecta, & plena cognitio, seu aduertentia mali, & turpitudinis, perfectaque deliberatio rationis; Quod manifestè ostenditur, tum quia ea est fragilitas hominis ad malum procliuis, vt non semper ad obiecti malitiam, omnesque mali rationes, perfectè aduertat, seu posit aduertere; tum quia cum magna sit peccati mortalis enormitas, & pęna æterna sit illi debita, naturale iudicium, & æquitas omninò dictare videntur, vt tantam pęnam quis non mereatur, & incurrat, nisi actu perfectè humano, libero, & deliberato: & ita etiam dedecet diuinam pietatem, & immensam illius misericordiam, vt ob imperfectam deliberationem, imperfectumuè actum in genere moris hominem tam enormi pęnæ adiudicet; si ergo præcesserit deliberatio tantum imperfecta, actus inde sequens quantumuis versans circa obiectum enormiter abominabile, & mortaliter malũ, est tantum peccatum veniale. Confirmatur, quia sicut homo nũquam peccat, neq; etiã venialiter, nisi actualiter aduertat ad mortalẽ malitiã operis vel omissionis; quãtũuis plenè aduertat ad rationẽ, vtilis aut delectabilis (vt latè supra

nu.75.& seqq. ostensum est) ita etiam si non plenè, & perfectè, sed tantum imperfectè aduertat ad eandem malitiam, licet perfectè attendat, & cognoscat rationem vtilis, aut delectabilis, imperfecta, & leuis erit culpa, & ita venialis. Quemadmodum enim malitiæ moralis obiecti, seu operis aduertentia requiritur ad peccatum vt sic, ita etiam perfecta aduertentia, & cognitio eiusdem malitiæ erit necessaria ad perfectam culpam, & mortalem. Imò ad peccatum mortale non solum requiritur plena, & perfecta aduertentia, seu consideratio malitiæ obiecti, sed etiam quod obiectum apprehendatur, & cognoscatur mortaliter malum, vt supra nu.78. ostensum est.

97 Cum autem ad peccatum eam veniale, quàm mortale committendum, præter aduertentiam, & considerationem moralis malitiæ obiecti requiratur etiam actualis, seu formalis, aut interpretatiuus consensus voluntatis, vt supra, nu.74. dictum est, ob rationem ibi allatam, quod nequeat peccatum esse, nisi voluntarium. *Sanchez d.lib.1. sum. citato cap.1.nu.12.(& illum sequitur, Filliucius d. tra.21. c.6.nu.250.)* ait ad peccatum veniale sufficere quidem imperfectum consensum, ac tepiditatem quamdam in prauis motibus coercendis, sicut & sufficit imperfecta aduertentia mali, & deliberatio; at verò ad mortale, sicut requiritur plena, & perfecta consideratio, & deliberatio rationis, circa malitiam moralem, ita præter perfectam aduertentiam, & deliberationem requiri perfectum, ac plenum consensum, nec sufficere tepiditatem consensus; quod inquit, satis probari eadem ratione, qua numero præcedenti ostensum est ad peccatum mortale requiri perfectam malitiæ obiecti cognitionem, plenamque rationis deliberationem. Quare (concludit) cum fragilitas humana ea sit, vt in quacumque cuiusuis criminis suggestione expellenda se habeat aliquando tepidè, non plenè consentiens, inde est, vt ex hoc quoque capite quodcumque mortale ex genere possit in veniale transire; & addit, hoc omnes fateri: Contradicit tamen ei *Bresserus de conscient.d.lib.6.c.9.nu.94.* dicens se non videre, quę plenitudo,

seu

ſeu perfectio in conſenſu voluntatis requiri poſſit ad peccatum mortale præter perfectam libertatem. Præter hãc enim (ait) nil in illo reperitur niſi intenſio; certum autem videtur non requiri ad peccatum mortale certam actus intenſionem, quæ ne quidem requiritur ad contritionem, & amorem Dei ſuper omnia; Addit quod ſi iuxta probabiliorem ſententiam detur omiſſio pura, & libera, hæc poteſt eſſe moraliter mala abſque vllo omninò actu, multo magis intenſione phiſica. Sed quoad hoc, & ſi eſſet omiſſio moraliter mala ſine actuali, & formali conſenſu voluntatis in eam, non eſſet tamen talis ſine conſenſu interpretatiuo. Quo vero ad illam tepiditatem conſenſus, qua Sanchez dicit mortale ex genere tranſire in veniale, mihi quoque videtur non poſſe eſſe, niſi remiſſionem ipſius conſenſus, quæ ſuppoſita plena conſideratione malitiæ mortalis obiecti, non poteſt excuſare conſenſum à culpa mortali, qui eo ipſo quod ſequitur, ſeu ſupponit perfectam aduertentiam malitię obiecti, ex ſe mortaliter mali, plenamque circa hoc deliberationem rationis, eſt actus eſſentialiter, & ſubſtantialiter perfectus, & completus in genere moris, & ſic accipit totam malitiã, quam habet obiectum cognitum, vt cognitum; eiuſdem vero conſenſus intenſio, & remiſſio accidentaliter ei accidunt. At forte Sanchez per tepiditatem conſenſus, ſeu per conſenſum imperfectum intelligit conſenſum, quem præſumitur, & cenſetur habere voluntas, quando negligenter ſe habet in tentationibus peccati mortalis expellendis, in quibus alioque expellendis firma eſt, licet aliqualiter negligens; tunc enim negligentia illa ait idem Sanchez *d.cap.*11.*nu.*15. eſt venialis, & ita etiam conſenſus interpretatiuus aliqualis tantum, & valde imperfectus in tali negligentia incluſus. Intellige tamen eſſe venialem ſecluſo periculo adhærendi obiecto mortaliter malo; nã ſi talis negligentia afferret probabile conſentiendi mortali periculum, erit mortalis; vt poſt Nauarrum, in Man. *c.*11.*n.*14.*fine, & Ledeſ.*1.*p.q.*21.*a.*7.*cõcl.*9.*tradit idẽ Sanch. ibi.*

98 Et ex dictis patet, cum peccatum aliàs ex genere, &

obiecto mortale dicitur fieri veniale, ex defectu perfecti consensus; nomine perfecti consensus, intelligi consensum perfectum moraliter, non phisicè; nam eo ipso quod defectu plenę aduertentiæ, ac deliberationis rationis est imperfectè liber, etiam est moraliter imperfectus, & si phisicè esset perfectus, & intensus. Libertas enim (vt suppono) & si formaliter competit voluntati, radicaliter tamen conuenit intellectui obiectum illi proponenti sub ratione boni, qua possit in illud tendere, & moueri; & sub ratione mali, qua possit abhorrere, & auersari, quæ dicitur indifferentia obiectiua.

Motus praui, & inhonesti sensualitatis, seu appetitus sensitiui etiam ex imaginatione, & cogitatione orti præuenientes omnem cognitionem, seu aduertentiam malitia moralis, & rationis deliberationem non sunt peccata nec venialia.

99 EX dictis quoque manifestè colligitur motus sensualitatis, & inhonestates non solum prouenientes imaginationem, & apprehensionem, seu cogitationem mentis, sed etiam sequentes ex imaginatione, si nullo modo fuerint cognitæ seu apprehensæ, vt malæ, omnemque rationis deliberationem præueniant, culpa prorsus vacare, & nullo modo esse peccata, neque etiam venialia. Pro cuius rei maiore explicatione aduertendum, quod motus sensualitatis in carne, & inhonestus, quandoque potest oriri ex qualitate, & dispositione naturali, vel etiam accidente motione phantasiæ, sicut in brutis, & hominibus dormientibus sine causa antecedente voluntaria; qualem etiam motum Diabolus potest concitare in nobis inuitis ex potestate suæ naturæ; quia corporalia eius mutationi subsunt, nisi à Deo cohibeatur: qua de causa in hymno Ecclesiastico, qui tempore noctis dici solet, precamur: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.* Tales igitur motus, (siue efficiantur arte dæmonis, siue ex aliqua qualitate corporis, vtpotè quia nimis calefa-

ctum,

ctum sit vel alimento superfluo abundans) iuxta omnes Theologos in se non habent vllam rationem peccati venialis nisi fortasse quis culpabilem causam det, & voluntariam his motibus. Alius autem sensualitatis motus est, qui non ex causa naturali, sed ex apprehensione, vel imaginatione rei turpis, & delectabilis in sensualitate sequitur; & hunc motum, etiam si præcedat omnem rationis deliberationem, & cognitionem moralis malitiæ, habere culpam venialem, non verò læthalem, (quam ante omnem animi deliberationem nullum esse posse etiam aiunt) existimarunt Magister *in 2. sent. d.* 24. Ibidem *S. Bonauentura in expositione litera P. Soto tract. de peccatorum discrimine, cap.* 8. *Caietanus* 1. 2. *quæst.* 74. *artic.* 3. *Paludanus, Alsitiodorensis, Albertus, Durandus, Henricus*, quos locis infra allegandis referunt *Vasquez, Azorius, & Laymani* & pro hac sententia allegatur etiam D. Thomas in d. distinct. 24. & 1. 2. quæst. 46. art. 4. ad 3. (vbi etiam Caietanus,) & videtur expressè sentire d. quæst. 79. art. 4. dum fatetur in sensualitate posse esse peccatum veniale, negat autem mortale reperiri posse. Et prædictis doctoribus aliqui ad id asserendum moti sunt, quod appetitus sensitiuus hominis ex coniunctione, quam habet cum ratione, & voluntate, habeat aliquam licet paruam libertatem, prout potest obedire imperio rationis, & voluntatis, cui in homine coniunctus, est ac proinde ratione talis libertatis motus inhonesti, & alij praui, puta iræ, vindictæ &c. possit habere culpam venialem etiam absque consensu voluntatis, aut vlla eiusdem voluntatis negligentia; ita Caietanus. Alij asseruerunt hos motus appetitus esse peccata venialia propter negligentiam voluntatis impediendi imaginationem, & cogitationem, ex qua sequuntur, & ita propter eius voluntatis consensum interpretatiuum vt supra nu. 153. dictum est: Ita alij doctores citati præter Henricum, ex quibus P. Soto ait hos motus esse peccata solum, quoad sui continuationem, existimãs semper esse in nostra potestate illos reprimere, ne continuentur, & perseuerent; licet non possimus omninò impe-

 dire,

dire,quo minus incipiant: Henricus autem dicit hos motus esse peccata ob solam fomitis concupiscentiam. ex peccato originali profectam; cuius dictum latiùs explicat Vasquez 1.2.*disp*.106.*cap*.2.

At tamque certum tenendum, omnem sensualitatis motum,tam in carne,quam in ipso appetitu sensitiuo excitantem præuenientem cognitionem, seu aduertentiam malitiæ obiecti, & eorumdem motuum, & rationis deliberationem, esse quidem vitium, non tamen peccatum, etiam minimum veniale. Id quod communiter docent Theologi præsertim recentiores. Ita *Gabr. super canon missa, lect*.27.*&* *l*.78.*Azorius p*.1.*lib*.4 *cap*.5.*quæst*.2.*&* 3.*Vasquez* 1.2.*disp*.104. *&* *disp*.106.*c*.1.2.*&* 3.*Sanchez d.cap*.1 *num*.11. *Layman d.c*.5.*nu*.13. *Bresserus lib*.6. *cap*.17.*num*.213. *&* *seqq*. *Alij recentiores omnes*,& etiam ferè omnes alij antiqui,quos Azòrius *d.q*.2.*&* *Vasquez d.disp*.106.*cap*,3. *citant*. Quod sit vitium patet; quia est defectus in actu ex parte potentiæ, qui secundum primæuum naturæ ordinem esse non deberet; quia sic natura nostra creata fuit,quod in omnibus sensualitas subesse debeat rationi; & contrarium euenit propter peccatum primi parentis, quo tota natura hominis infecta est; Vnde aliquando hic motus dicuntur peccatum, quod in nobis ex peccato originali sint, vt dixit Tridentinum loco mox citando, sed verè peccatum non sunt; Et hinc notandum, quod aliud est peccatum propriè,aliud vitium: sunt enim multa vitia naturalia,in quibus nulla est ratio culpæ; sed omne peccatum etiam leuissimum habet aliquid culpæ annexum. Qnod igitur non sit peccatum neque veniale probatur, primo ex Tridentino sess.5.decreto de peccato originali, vbi id definit,dum docet, *manere in baptizatis concupiscentiam, & fomitem, ad agonem non consentientibus, imò prodesse repugnantibus, atque adeo peccatum in renatis non esse, & si peccatum aliquando vocetur quod ex peccato sit, scilicet originali, & ad peccatum inclinet*. Ex quibus contra Henricum patet in huiusmodi motibus non esse deformitatem culpabilem propter solum fomitem; quia iam non prodessent,sed nocerent: pa-

tet

tet etiam contra Caietanum eosdem motus sensualitatis non esse peccata independenter à libertate voluntatis, sed solum ex libero voluntatis consensu. Cum Concilium dicat illos non nocere non consentientibus, & vtiles esse repugnantibus,& ita iuxta idem concilium appetitui sensitiuo nullam competere intrinsecam libertatem; nam si competeret,& ratione illius motus essent saltem peccata venialia, iam nocerent etiam non consentientibus, scilicet, siue voluntas liberè consentiret, siue non. Et doctrinę Caietani repugnat etiam D.Aug.*lib.3. de libero arbitr.c.17. & 18.& alibi,& S.Th.1.2.q.74.art.1.& 2.& pluribus alijs locis,* dum dicunt peccatum eatenus esse peccatum, quatenus voluntarium est;ac proinde iuxta eos in sensualitate absq; vllo ordine ad voluntatem, nequit vllum esse peccatum. De motibus ijsdem sensualitatis præuenientibus rationis deliberationem,quod omni culpa vacent docet *D.Aug.locis supra nu.92.* allatis, & alibi sæpè, prout prosequuntur. *Vasquez,Layman,& Bresserus locis citatis*: secundo probatur ratione ex supradictis, scilicet quod nullum potest esse peccatum, nisi sequatur aduertentiam aliquam malitiæ moralis obiecti, seu operis, & rationis deliberationem; Ergo nullus motus sensualitatis, etiam si sequatur imaginationem, potest esse peccatum, nisi præcognitus sit aliquo modo sub ratione mali moraliter, alioqui voluntarius,& liber nõ esset quatenus malus,& turpis; quod enim non est cognitum ab intellectu, non potest esse volitum, seu voluntarium liberum; cum ergo motus sensualitatis præcurrentes omnem cognitionem malitiæ, & rationis deliberationem non sint voluntarij, & liberi, quatenus mali; nullo modo possunt esse peccata venialia, cum nullum peccatum (vt dictum est) esse posit, nisi quatenus voluntarium. Neque possunt dici voluntarij propter negligentiam illos impediendi, nè insurgant impediẽdo imaginationem; nam vt constat ex dictis hoc numero,& n.93. & docuit S.Aug.d.lib.3.arbitrij.c.25. non est in nostra potestate impedire, & auertere non solum causas talium motuum cõsistentes in qualitate,& dispositione corpo

vt sunt calefactio,& actiones facultatis altricis,sed neque primas de quauis re cogitationes,quæ ingeruntur per sensus externos,auditum,visum &c.aut etiā per species obiectas a Dęmone;quibus,eo nil prorsus cooperante,nec valente impedire excitat imaginationes,& cogitationes turpes in homine:Ad quas subitò sequūtur huiusmodi motus; nam illis imaginationibus,& cogitationibus positis,licet in nostra potestate sit motus ex illis exoriētes sumere,vel respuere(vt loco citato dicit.D.Aug.)scilicet consentiendo, vel dissentiendo;non est tamen in nostra potestate iisdem cogitationibus nō tangi(vt inquit D.Aug.ibidem)aut moueri, idest impedire, ne ex eis motus sequantur, quod nimis probat experientia etiam in viris Sanctissimis : Nemo autem peccat in eo quod vitare non potest.Quamuis verum sit, facilius reprimi illos motus, qui oriuntur ex cogitatione, seu appræhensione rei turpis, præsertim absentis , quam ex corporis commotione.Tunc igitur solum hi motus inhonesti ex imaginatione, vel aliunde excitati, sunt peccata, quando sunt præcogniti vt mali, & voluntas eos non respuit,sed illis consentit, & adhæret. Et quidem si sint præcogniti imperfectè, ex imperfecta cogitatione, & aduertentia moralis malitiæ illorum , & voluntas non repugnet, sed illis adhæreat, & consentiat, erunt peccata tantum venialia; si præcogniti vt mali, perfectè, scilicet plena, & perfecta cogitatione, & aduertentia mali, non solum vt sic, sed etiam mortaliter talis, erunt peccata mortalia.Huiusmodi ergo motus sensualitatis, & alij motus praui appetitus sensitiui imputantur ad culpam venialem,quando sunt aliquo modo voluntarij,seu voliti in se, vel in sua causa; cum non minus ad culpam venialem, quam ad mortalem requiratur voluntarium:licet ad committendam peccatum veniale sufficiat minimum voluntarium; vnde cum sæpe in huiusmodi motibus, præcipue quando oriuntur ex appræhensione sensuum, homo ponat aliquam causam,fit etiam, vt sæpe sint venialiter culpabiles,& voluntarij in causa.

Regulæ ad discernendum imperfectam considerationem, & deliberationem à perfecta, adque cognoscendum consensum in peccatum, vel fuisse nullum vel imperfectum, & non plene liberum.

SEd explicemus qua ratione dignosci possit, an consideratio, & aduertentia malitiæ moralis & deliberatio rationis sit plena, & perfecta, provt ad mortale peccatum requiritur; quando imperfecta; sufficiens tantum ad veniale. Et quidem certò discerni non potest, quando præcise consideratio, & deliberatio ad illam perfectionem ad mortale requisitam peruenerit; tamen Doctores afferunt aliqua probabilia signa, & exempla, seu similitudines.

100 Et primo ex Caietano *V. delectatio paulo post principium, Vasquez 1. 2. disp. 107. cap. 4. ea Sanchez lib. 1. summa d. cap. 1. num. 10.* Imperfecta, & semiplena consideratio, & deliberatio ad solam venialem culpam sufficiens est, quæ est similis ei, quæ est in semidormientibus, vel in semiebrijs, ita vt quoties homo aliquid esse mortaliter malum aduertit, sicut illi, qui tantum semiexperrecti, & nondum plenè a somno excitati malitiam pollutionis illis contingentis aduertunt; & sicut semiebrij, cuiusuis obiecti turpis malitiam cùm aduertunt, & considerant, quorum mens, cum adhuc somno, & ebrietate remaneat partim obscurata, & impedita, non potest motuum carnalium, & aliorum obiectorũ malitiã perfectè, & plenè aduertere, & ita eorum cõsensus in malum, & turpe est tantũ semiplenè, & imperfectè deliberatus, & consequenter tantum veniale; simili enim modo etiã vigilantes, & sobrij possunt tenuẽ, & imperfectam considerationem habere, eo quod eorũ mens aliundè impediatur, vt cõtingit in habẽtibus animũ passione iræ, timoris, amoris, seu concũpiscentiæ &c. perturbatã, vel alienis cogitationibus adeo implicatã; vt ad id, quod agunt, vel saltẽ ad actionis malitiam, eiusvè periculum plenè non aduertant, qui proinde non nisi imperfectè, & leuiter, seu venialiter peccant, si quid mali eis com-

complaceat. Quod enim semidormientes, & semiebrij patiuntur propter somnum, & ebrietatem, ij vigilantes, & sobrij patiuntur propter passionem inuoluntariam, vel applicationem mentis ad aliud, vt inquit, loco citato Caietanus: perfecta ergo aduertentia erit, quando homo instar perfectè à somno excitatorum, & omni alio mentis impedimento, seu ligamine carentium, plenè aduertit.

Secundo Valentia (quē sequitur Sanchez *d.nu.*10. 1.2. *disp.6. quæst.4.p.3.* §.2. docet tunc censeri perfectam considerationem, & deliberationem, quando ratio perfectè aduertit nō tātum obiectum malum, sed & eius circumstantias, quibus moueri potest ad illud discutiendum: imperfectam verò, & semiplenam, cum quis ita aduertit, aut animaduertere potest aliqua præsenti cogitatione, vt queat malum illud discutere, sed non tamen ita facile; quod non plenè cernat in quonā, & quali motu hæret: & addit vtroque modo posse talem motum esse voluntarium, vel directè, cum voluntas illum acceptat; vel indirectè, cum potest, & debet excutere, ac nō excutit: sed illud signum perfectæ deliberationis, ait Bresserus lib.6.c.9.nu.90. non esse infallibile; quia etsi tunc communiter deliberatio sit perfecta, non tamen semper: nam verisimilius possunt etiam circumstantię cognosci imperfectè, ipsaque malitia, saltem mortalis, & dignitas pœnæ eternæ. Ita enim semiebrij cognoscūt sæpè illas, quia de ijs loquuntur, & discurrunt; sed imperfectè; quemadmodum imperfectiori lumine videmus eadem, quæ perfecto, sed imperfectius. Addit idem Bresserus libertatem consensus minui non tantum imperfecta cognitione, sed etiam passione, & sympathica tractione appetitus sensitiui; quia eo ipso consensus voluntatis, etsi phisicè intentus, minus est ab intrinseco: nec apparet, cur ille non possit esse tam vehemens, vt tollat perfectam libertatem requisitam ad mortale, quamuis non facile (vt idem Bresserus notat) id cognosci, aut possit, aut asseri debeat, dum relinquitur perfecta deliberatio. Ex dictis colligit idem Bresserus dari sæpè statum, in quo quis possit peccare, imò peccet venialiter; non tamen possit

mor-

mortaliter, v.q. inquit) in pueris, semiebrijs, aut abreptis vehementi passione, quamdiu illa durat. Sed quoad pueros non potest dari regula certa, cum sæpe ante septennium contingat vsus rationis, & libertas sufficiens ad mortale, de qua re titulo sequenti.

Tertio ad discernendum considerationem, & consensum imperfectum, a perfecto à Sanchez *d. cap.* 1. *nu.* 17. *& seqq. Filliucio to.* 2. *tract.* 21. *cap.* 6. *nu.* 251. *Bresero d. c.* 9. & alijs traduntur sequentes regulæ a scrupulosis aduertendæ.

Prima, si tentatione pulsatus, & rei prauæ appetitum aduertens ita dispositus sit, vt quamuis facile peccatum illud exequi posset, non tamen exequatur, seu exequeretur; signum est nullius, vel imperfecti consensus, nam alias potentia executrix, cum voluntati omnino obtemperet, exequeretur.

Secunda, si postquam motus prauus insurrexit breui tempore durat, eo quia paulo post cum primum venit in mentem eum rationi aduersari, voluntas expellit; signum quoque est nullius, vel imperfecti consensus; nam homo eget saltem breuissimo tempore ad deliberandū.

Tertia, non est certum, & sufficiens signum consensus sola perseuerantia, seu mora temporalis delectationis, & si post plenam considerationem, vt esset signum consensus perseuerantia motuum partium corporis verbi g. duratio ambulationis, quia appetitus sensitiuus non obedit voluntati despotice, vt potentia motiua, sed politicè, & rebellis est. Hinc Caietanus *d. v. delectatio morosa ad finem* (& approbant Sanchez, & Bresserus, & notare debent scrupulosi timoratæ conscientiæ) docet excusari à mortali multas negligentias, etiam post plenam aduertentiam, præsertim in sic dispositis, vt potius mori mallent, quam mortale admittere.

Quarta, si quis dubitet, an vigilans, vel dormiens, sobrius, an ebrius, sui compos, an phrenesi abreptus aliquid voluerit, vel egerit, ac dixerit; magnum indicium est non plenæ deliberationis, & imperfecti consensus: quia perfecta deliberatio, plenusq; rationis vsus solet relinquere sui

re sui memoriam,& intellectũ liberiorem ad res proprias cognoscendas,quod secus accidit, quando est imperfecta cogitatio,aut imaginatio necessaria,rationisque vsus somno,aut ebrietate,vel alio accidente partim,vel totaliter ligatus est, vt patet experientia in ipsis ebrijs , & somniantibus. Hinc.

Aliam regulam ex Medina 1.2.q.74.a.8.*fine, & Sayro lib. 8.Cla.c.7.n.6.assignat Sanch.d.c.*1.n.20.à nonnullis alijs recentioribus approbatam , scilicet signum esse imperfecti consensus, & non fuisse sufficientem libertatem ad peccatum mortale, quoties vir probus , & timoratus dubitat , an habuerit plenum, ac perfectum consensum, plenamque deliberationem; secus si sit vir prauis moribus , & deperdita conscientia ; prior enim, si peccatum mortale, quod adeo horret,admisisset,id discerneret,& meminisset;consensus enim in peccatum mortale est tanta iniquitas,vt celari,aut ignorari non possit;Quod de scrupuloso timidæ conscientiæ certum est: Posterior autem, cum peccatum mortale paruipendat, si minimè consensisset, nulla in eo suboriretur dubitatio . Et prædicta de transitu mortalis ex genere in veniale .

Quibus modis peccatum veniale ex genere transeat in mortale, & qua ratione disponat ad mortale.

101 CVius quoque primum genus,nempè veniale ex genere suo,& obiecto,licet per se nũquã fieri possit mortale quantauis deliberatione, voluptate, & intensione fiat, vt supra n.83.dictum est,nihilominus per accidens ratione circumstantiarum extrinsecarum transit in mortale,vt docet *S.Th.1.2.q.88.a.4.& communniter Theologi,quos refert Sãch. d.lib.1.sum.c.5.* Quod contingit sequentibus modis . Primò ratione finis, vt si quis dicat mendacium iocosum, & leue ad fornicandum. Secundò si in eo ponatur vltimus finis;cũ scilicet peccans ita actu affectus est,vt paratus sit peccare, & non dubitaret id committere , etiamsi esset prohibitum aliquo præcepto sub mortali obligante. Tertiò ratione cõtem-

temptus formalis, scilicet, quo contemnitur lex, vel conditor eius: de quo latè Sanchez *d.c.5.n.8. & seqq. & Bresserus lib.6. c.11.* Quartò ratione scandali; de quo Sanchez *d.lib.1. c.6.* Quintò, & vltimo ratione periculi proximi incidendi in mortale, scilicet si per peccatum veniale exponatur peccans proximo periculo peccandi mortaliter; de quo idem Sanchez *d.lib.1.c.8.* alios allegans, apud quem plura de hoc videri possunt. Hic solum aduerto ex *D.Th.cit.loco*, venialia disponere ad mortalia, tum directè facta ex indeliberatione v.g. motum primò, vel secundò primum ad delectationem morosam; vel indirectè quæuis venialia: Nam qui assuescit appetitũ rationi præponere in paruis, facilius idem faciet in magnis. Ad quam rationẽ naturalem accedit supernaturalis, scilicet subtractio gratiæ; & hoc sensu tepidos, & liberos in multiplicandis venialibus dicitur Deus euomere ex ore suo Apoc. 3. scilicet paulatim subtrahendo gratiam, itemque permittendo lapsum mortalem; vnde illud, *qui spernit modica, paulatim decidit eccl. 19. & illud peccata parua, si crebra tandem nos opprimunt, sicut grande peccatum cap. Tres sunt de pœnit. d. 1. ex Diuo Augustino sumptum.* Hinc rectè Bresserus *d.lib.6. cap.10.n.103.* colligit propositum committendi omnia, vel pleraque venialia, quorum occasio se obtulerit, mortale esse, ratione periculi peccandi mortaliter; idque quamuis propositum restringatur ad vnam materiam valdè lubricam, puta luxuriæ, quod etiam docuerunt *Sanchez d.lib.1.cap.5.n.4. & Bonacina disp.2. de peccatis q.3. p.5. n.17. quamuis contradicat Castrus Palaus tom.1. tract.2.disp.2.p.9.§.3.num.5. & 6.* Si cum illo proposito committendi illa venialia, habeat propositum non committendi mortale; & vacet exercitio operum pietatis, & religionis; qui ad id mouetur, quod venialia non proximè, sed remotè disponant ad mortale. Sed prior opinio practicè loquendo mihi videtur vera.

Ani-

A timentibus aliquo modo Deum, ne dum a scrupulosis rarò committitur peccatum mortale; & quo modo intelligenda illa diuisio in septem peccata mortalia.

102 EX dictis igitur a scrupulosis, & eorum confessarijs sumi possunt facile remedia scrupulorum de peccatis venialibus creditis mortalibus, & de qualibet actione credita culpabili. Constat enim ex supradictis ad peccatum mortale requiri non solum materiam grauem, seu quod habeat obiectum materiale graue, & ex sui natura mortaliter malum; sed etiam quod adsit perfecta mali aduertentia, deliberatio, & libertas; quorum altero deficiente non potest vlla operatio, aut omissio esse peccatum mortale. Vnde rectè Richardus. *a S. Victore lib. de differentia peccati mortalis, & venialis sub finem* docuit (quæ doctrina a scrupulosis notanda est) peccatum mortale non posse ab vllo committi sine grandi corruptione sui, sine graui læsione proximi, & sine graui contemptu Dei; cætera verò omnia pro venialibus habenda esse.

Vnde etiam ex dictis inferri debet a timentibus aliquo modo Deum, nedum à scrupulosis timidæ conscientiæ, valdè raro committi mortalia; etenim vel deest materia grauis; vel si hæc ad sit, deest perfecta aduertentia, ac libertas, si quidem non tam subitò, ac facile mutari solet hominis voluntas, vt quod paulò ante horruit, nunc deliberatè sciens, & volens amplectatur. Quare sæpius & si constet de materia graui, non est præsumendum adfuisse perfectam deliberationem; atque adeo credendum commissum mortale tantum materialiter, formaliter vero tantum veniale. Neque vexare debet scrupulus, qui in aliquibus sæpe oritur ex illa vulgata diuisione peccatorum in septem mortalia; Nam illa dicuntur mortalia solum, quod talia esse possint, sicut fontes, & capita cæterorum, etsi ordinariè sint tantum venialia; imò eorum aliqua videntur (vt colligitur ex dictis supra num. 83.) venialia ex genere

genere suo, vt gula, auaritia, & accidia sumpta pro tepiditate. Qua propter *S. Thomas 1.2.q.84 art.4. ex D. Gregorio 31. moralium cap.31.* vocat ea non mortalia, sed capitalia.

Remedium speciale pro scrupulosis timentibus in omnibus peccare mortaliter, & pro his, qui vexantur scrupulis circa actus vrbanitatis: nec non pro his, qui vano timore periculi superbia, aut inanis gloria verentur opera virtutum facere.

103 QVo ad scrupulosos etiam timẽtes in omnibus actionibus se deficere, & mortaliter delinquere, præter modo dicta, & etiam in præcedentibus explicata, quod nulla operatio, vel omissio potest esse peccatum neque veniale, nisi habeat aliquam moralem malitiam, scilicet aliqua lege præcepta, vel prohibita sit; & nisi eiusdem malitiæ moralis aduertentia aliqua adsit; & quod nunquam potest esse peccatum mortale, nisi obiectum sit mortaliter malum ob materiæ, grauitatem, & præcognitum vt tale; & consequenter impossibile esse omnes illorum operationes, vel omissiones esse peccata mortalia, imò neque venialia; illis hoc remedium præscribunt *Gerson de diuersis Diaboli tentationibus alphab.70. lit. penult. Rodriquez quæst. reg. tom.3. q.66. cap.3. dubio 5. & Reginaldus lib.2. num.125.* scilicet quod ipse scrupulosus per se, vel per alios debite inquirat ad quæ sub mortali teneatur, cum quadam morali, & probabili certitudine secundum iudicium prudentum; & ea solicite caueat, ab illisque, si in ipsis deliquisse contigerit, conscientiam emendare studeat; plus interea confidendo in diuina misericordia, quam in illa sua diligentia; atque considerando iuxta dicta supra num. 70. nulli ita præsumendum de sua diligentia, & munditia vt scire certò possit suis operibus meruisse, aut obtinuisse diuinam gratiam: & ad reddendam tutam conscientiam, illamque pacandam, non esse necessariam absolutam, & infallibilem certitudinem, sed sufficere (vt eodem num. 70. dictum ab) moralem, & humanam per prudentium, & deuotorum homi-

hominum consilium, aut per iudicium propriæ rationis, & sui magistri spiritualis; quæ & si non excludat omnem formidinem de opposito, nihilominus sufficiens est ad expellēdam omnem anxietatem, & perturbationem, quam sæpè Diabolus in animo, & nonnumquam cum corporis motione, & cordis palpitatione efficit ad tollendam conscientiæ tranquillitatem, & deuotionem, vt inde bonum cæptum deseratur. Præterea considerandum, a Diabolo mitti similes cogitationes, quod in omnibus, præsertim is, qui iam veterem hominem spoliauit, & viam virtutis ingressus est, peccet maximè mortaliter, vt saltem timore peccandi illum a sacra Communione, Confessione, & bonis operibus retrahat, & a bonis studijs auertat; vel etiam in varia peccata impellat, ac deijciat: Nam sicut pueri per viam lutosam ambulantes, si illis proclametur, *laberis, laberis*, ipso timore labuntur; ita Diabolus, vt hominem pusillum eludat, clamat, *peccas, peccas*, vt ipso timore cadat, & conscientiam erroneam ex bono opere peccatum facientem concipiat: oportet igitur animosè oppositum agere; quia si alij eiusdem status homines, aut confitendo, aut Communicando, aut orando, aut loquendo, & similia faciendo non peccant; Quare ipse peccabit? Hinc si quis maximè perfectioni incumbens vexetur scrupulis, quod locutus fuerit terminis maximè compositis, & selectis; quod se gratum ostenderit coram benefactore, & vrbanum, quod bona laudauerit, putans melius fore a prædictis cauisse, & absque aliqua culpa exerceri non posse, ac proinde ab illis fore abstinendum, repellere debet tales scrupulos tamquam deliria: Nam Deus, vel ecclesia (vt dictum est in remedijs generalibus) non intendit suis præceptis aliquem ita obligare, vt ea adimplendo sit, aut appareat fatuus, aut quod tollatur vrbanitas; aut conuersatio honesta cum alijs hominibus; neque item consulit nugas; aut sic se habere hominem, vt alijs ridiculo sit saltem iuxta sententiam bonorum, & discretorum virorum; & si alij viri probi licitè prædicta peragunt, neque ipsi illicita erunt.

Si

Si etiam vir ad opera virtutum prorsus in illis exercendis perturbationem patiatur, eo quod interna cogitatio illi suadeat, se talibus operibus exponi periculo superbiæ, & inanis gloriæ; & illa facere, vt ab alijs laudetur, virque bonus existimetur: Sciat hanc esse Diaboli tentationem, qui sæpius homines pios ab operibus bonis sub specie humilitatis, & superbiæ, & vanagloriæ vitandæ impedire conatur, interiùs illis suadens, quod alij illos laudabunt, & sanctos arbitrabuntur, ex quo in superbiam, & inanem gloriam incident. At generosi animi est, non curare huiusmodi volantes flatus; & magno animo aggredi virtutis opera; ac proindè molestæ suasioni, seu potiùs diabolo respondendum est; *propter te non incepi, nec relinquam bonum opus; sed ad laudem, & gloriam Dei, & proximi ædificationem incipiam, & prosequar. Si enim oculus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit; si intentio recta, tota actio bona erit; Alij viri, qui sanctitate floruerunt, vt D Bernardus, & alij propter similem cogitationem, non destiterunt ab operibus virtutum, & perfectionis; Ergo & ipse nullius culpa reus ero, si eadem opera bona intentione incipiam, & perficiam.*

SVMMARIVM §. QVINTI.

104 *Nullus homo potest omnia venialia peccata vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio (quale datum fuit B. Virgini) iuxta Theologorum communem, & definitionem Tridentini.*

Ibid. Prædicta Concilij Tridentini definitio an rectè possit intelligi solum de venialibus, quæ fiunt ex passione, & inaduertentia, & sine perfecta deliberatione.

Ibid. An longo tempore, & quanto homo, præsertim perfectus possit abstinere ab omni peccato.

Ibid. Qua ratione intelligendum illud dictum, sæpius in die cadit iustus, *& illud Tridentini, iustorum illa vox est.* Dimitte nobis debita nostra.

105 *Confessarius aduertat scrupulosũ, vt caueat venialia, tamẽ sine anxietate, & inquietudine animi, cõmittẽdo se misericordiæ Dei*

& in eius auxilio confidendo potiùs, quam in propria diligentia, & considerando venialia à Deo permitti ad exercitium humilitatis, & ob alios bonos fines, qui explicantur.

106 *Examen conscientiæ scrupulosi qua moderatione facere debeant.*

107 *Scrupulosi nè sint anxij, seu soliciti de confessione venialium, & qua ratione debeant illa confiteri, si talia, licet non materia confessionis necessaria, voluerint confiteri.*

Ibid. Confessiones prolixæ, & verbosæ cauendæ sunt.

108 *Remedia particularia scrupulorum de digna sumptione Sanctissima Eucharistiæ; & quod ad illam non sit necessaria confessio venialium sed sufficit quod non placeant; & quomodo per ipsam Eucharistiæ sumptionem venialia deleantur, sicut & per alia Sacramenta.*

109 *Ad dignam Eucharistiæ sumptionem sufficit mediocris diligentia in præparatione, nec requiritur certitudo euidens status gratiæ, sed sufficit moralis, & quibus signis hæc possit haberi, & quod à S. communione non debet auertere pugna carnis aduersus spiritum.*

Ibid. in fine Aliud remedium proijsdem scrupulosis circa dignam Euchareſtiæ sumptionem.

§. QVINTVS.

Remedia particularia scrupulorum de frequentia venialium & digna sumptione S. Euchareſtiæ.

QVod si scrupulosus (vt pluribus ad perfectionem aspirantibus contingit) angatur tantum scrupulis de peccatis venialibus, eo quod arbitretur, seu credat ferè semper talia peccata committere, vel plura, quam reuera ab eo committantur. Pro remedio horum scrupulorum, & ad expellendam anxietatem, & animi inquietudinem ex eis orientem, obseruanda sunt sequentia.

104 Primo, & si sit catholica doctrina definita a Tridentino contra Pelagianos *sess. 6. cap. 11. & can. 23. in hac vita mortali quantumuis Sanctos in aliqua venialia peccata quandoque*

deque cadere, neque hominem & si iustificatum, posse tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio: quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia: Nihilominus enim duplex sit peccatum veniale, vnum quod fit plena deliberatione, & aduertentia rationis; alterum quod fit ex passione, & ignorantia, seu inaduertentia rationis; & prius dicitur fieri ex malitia; ideoque cæteris grauius est; posterius ex fragilitate, & cæcitate, ac proinde leuius: definitio, & doctrina Concilij potest probabiliter intelligi de venialibus posterioris generis, quod colligitur ex *S. Thoma* 1.2.*q*.109. *art*.8. *in corpore circa medium* vbi tradit eandem doctrinam Concilij his verbis. *Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali,* & addit rationem obseruandam; *scilicet propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest; & ex hoc habent rationem voluntarij: non autem omnes, quia dum vni resistere nititur, fortassis alius insurgit: & etiam, quia ratio non semper potest esse peruigil ad huiusmodi motus vitandos.* Quibus verbis manifestè indicat, peccata, a quibus omnibus abstinere nõ potest homo, esse ea, quæ fiunt ex passione, & inaduertentia, adeoque ex surreptione: alia vero, in quibus hæc causa cessat, seu quæ ratio peruigil perfectè aduertit, & deliberat, vitari posse non tantum singula, sed omnia.

Præterea de quibuscumque venialibus intelligatur præfata definitio Tridentini, & communis D. Thomæ, & omnium Theologorum doctrina, non ita intelligenda est, vt homo singulis horis peccet, vt aliqui putant; sed credi potest, & credendum studiosos perfectionis, non peccare non solum singulis horis, sed neque singulis diebus, & fortasse nec septimanis, vel mensibus, si sint viri perfecti, & eo magis si valde perfecti. Tridentinum enim tantum definit omnes quandoque in vita peccare venialiter; & S. Thomas, ac alij Theologi docent iustum ordinariè, & absque speciali Dei auxilio, non posse abstinere ab omni veniali longiori tempore, quod longum tempus non est necesse restringere ad horam, aut medium diem, vel

 etiam

etiam ad septimanam in iustis, & amicis Dei præsertim; Et cum veniale sit vitandum,& si esset necessarium ad salutem totius mundi, non videtur hæc peccandi venialiter misera necessitas ita restringenda, sed potiùs amplianda. Ad quod etiam faciunt sæpius repetita in præcedentibus, scilicet nullum peccatum, quantumuis veniale, & minimum committi absque aliqua præcedenti actuali, & expressa cognitione, & aduertentia eius malitiæ moralis: videtur autem probabilissimum, ne dicam certum, viros perfectos,& conscientia teneros,sępius aliquanto tempore, nihil liberè facere, quod expresse nouerint moraliter malum.Facit quoque praxis eiusmodi penitentium addēdi peccatis ab vltima confessione factis (quia forte verè, ac formaliter peccata non sunt) aliquod certum vitæ anterioris, quod prudenter talibus iubent confessarij; ne absolutio, ac Sacramentum exponatur periculo nullitatis defectu materiæ. Neque obstat dictis illud ex prouerbiorum 24. *septies in die cadit iustus*: Tum quia non additur, *necessario & semper*, ac proinde ad veritatem illorum verborum, sufficit aliquando, vel sæpius cadat iustus septies in die; Quare ly *cadet* intelligitur idest *continget cadere: quo etiā* sensu peccata venialia dicuntur quotidiana; quia & si non sit necesse, contingit, vel solent ea etiam à iustis quotidiè committi. Tum quia textus non *habet in die*, & si hæ voces ab aliquibus etiam Patribus addantur. Sacer enim textus ita habet. *Septies enim cadet iustus, & resurget: Impij autem corruent in malum.* Quibus verbis assignatur discrimen inter impios, & iustos; Quod hi, & si septies, idest sæpius, (ponitur enim numerus certus pro incerto, vt sæpè fit in diuina scriptura) cadent, statim resurgant, eo quod peccata eorum, vtpotè venialia statim, ac facilè remittuntur ob plures, & faciles modos (scilicet non solum contritione perfecta, aut Sacramento pœnitentiæ sed attritione, alijs Sacramentis, ac etiam Sacramentalibus) illorum veniam, & remissionem obtinendi; non sic peccata impiorū, qui proindè mole suorum peccatorum corruūt in foueam damnationis. Iustos ergo præsertim perfectos post bo-

nam

nam confessionem, ac indulgentiam plenariam, valdè probabile est posse conseruare aliquantulo tempore conscientiam mundam etiam ab omni culpa veniali, atque etiam pęnæ eiusvè debito, tametsi illis semper conueniat dicere, *dimitte nobis debita nostra*. Tum quia, ne quidem certo sciunt, an amore, vel odio digni sint, scilicet, an sint in statu gratiæ, vel peccati mortalis; & multo minus an sint in statu, peccati, saltem venialis, vel puritatis ab omni peccato. Tum quia tametsi id scirent, adhuc vtiliter petent sibi dimitti peccata, scilicet, infundi nouam gratiam ex natura sua eorundem remissiuam, quo pacto etiam vtiliter confitemur, & absoluimur a peccatis, & si ante remissis; quo etiam pacto Tridentinum d. cap. 11. dicit iustorum illa, vox est, *Dimitte nobis debita nostra.* Quod non debet intelligi tantum de peccatis alienis; sed & de proprijs, vt contra Pelagianos ibidem Patres. Ex quibus rectè inferri potest: Et si quis non possit prudenter habere propositum nunquam omninò peccandi venialiter longiori tempore, cum hoc sit impossibile; eum posse tamen prudenter, & vtiliter tale propositum concipere breuiori tempore: imò etiam nunquam, & vsq; ad finem vitæ, peccandi deliberate, quod plures sancti, & perfecti habuerunt, & seruarunt, postquam vel in religioso statu, vel alio viuendi genere, se toto seruitio diuino consecrarunt.

105 Secundo *Gerson, Rodriquez, Reginaldus*, locis supra allegatis aduertunt scrupulosum circa venialia, vt ea caueat sollicitè, sed tamen sine anxietate, & inquietudine animi ita quod non angatur, & si omninò ea cauere, & emendare non potuerit, persuadens satis esse facere, quod potest commode fieri, & reliquum misericordię Dei patris amātissimi, humiliter committere, cuius auxilio magis, quam vllis nostris viribus, aut industria (pro-vt etiam istis scupulosis inculcat Nauarrus in man. c.27. nu.290.) nitendum nobis est; cōsideret ergo homo hoc scrupulo agitatus Dei misericordiam, dicendo cū Psalmista, Psalm.53. In te domine speraui, *in iustitia tua libera me*, quasi dicat, *non in mea iustitia, sed in iustitia tuorū meritorū, ò Christe, & per cōsequens,*

in tua misericordia libera me; alioqui per rigorem iustitiæ nostræ non iustificabitur omnis homo viuens. Sciant etiam huiusmodi scrupulosi Deum illis permittere hanc afflictionem (quemadmodum olim hæbreos euntes in terram promissionis, permisit a Iebusæis,& Amorreis sępè inuadi, impugnari, & affligi) vt eorum purgat animam, augeat meritum, atque ipsos efficiat in via Domini, diuinaque seruitio timidiores; humiliores; & diligentiores ad emendandas suas imperfectiones & vitandas peccati occasiones, quas forte, si secundo semper vento fruerentur, negligerent. Non omittendum quoque inde fieri sæpè, vt opera ipsorum magis Deo placeant, dum ab ipsis fiunt cum maiore metu, & reuerentia, ac circunspectione, & humilitate, vt Reginaldus aduertit.

106 Tertio aduertendum, quod & si valdè expediat quotidiè saltem examinare conscientiam, & hoc medium optimum sit diutius ab omni veniali abstinendi, & quia etiam materia examinis studiosis perfectionis non sint tantum propriè sumpta peccata, sed etiam imperfectiones, ac omissiones operum bonorum, quo sensu iuxta dicta supra nu. 50. intelligitur illud D. Gregorij *Bonarum mentium est, ibi etiam culpam agnoscere, vbi non est, scilicet propriè dictam*, sed tantum imperfectionem: Nihilominus cauere debent scrupulosi, ac conscientia teneri, ne nimis se torqueant, dum conscientiam examinant, volendo inuenire peccata, vbi verè peccata non sunt: nam vt ex dictis constat, sæpius nullum ab eis peccatum commissum est, quod examine dignosci possit; præsertim si quod ignorant, non est nisi leue, & indeliberatum. Quare si morali diligentia, & examine nihil, vel parum peccati agnoscant, non se angant; sed gaudeant in Domino, illique gratias agant, quod se a grauioribus peccatis seruauerit, alioqui examen conscientiæ scrupulosis erit inutile, imò perniciosum tormentum, quod proinde sæpius expedit illis prohibere, vel ad breue tempus restringere.

Remedia scrupulorum de confessione peccatorum venialium.

107 QVarto, cum (vt supra nu.64. dictum est, & definit Tridentitum ibidem citatum) peccata venialia omnia absque culpa taceri possint in confessione Sacramentali, eiusque materia necessaria non sint, & multis alijs remedijs remitti possint eodem n.64. enumeratis, & alijs etiam de quibus, *Hostiensis, Azorius, & Bresserus, ibidem allegatis* scrupulosi non debent adeo esse solliciti (alioqui irrationabiliter, & frustra, seipsos vexarent) de confessione eorundem venialium, præsertim quoad substantiam, & numerum, aut circumstantias. Sufficere igitur (si placuerit eis illa confiteri) illis potest ex venialibus peccatis aliqua grauiora in specie, vel nulla in speciali, sed in genere succincte, referẽdo confiteri. Et hoc remedium scrupulorum de confessione venialium approbat Blosius, illudque desumptum esse ex Taulero habet *cap.1.§.4. his verbis: Quod ad veniales, quotidianasque culpas attinet, à quibus dum hic viuimus, omninò liberi esse nõ valemus: monendi estis, charissimi, ne multum solliciti sitis, neuè perturbemini, si non omnes in confessione expresseritis, illas humiliter, ac seriò Deo confiteminis & contrito, deuotoque corde vos reos coram eo accusabitis: sic enim ijs, qui confessionibus audiendis adhibentur nimis multum temporis non auferetur.* Et idem §.1. ex Rusbrochio, ita habet. *Hortor, vt maximè caueas prolixas, & verbosas confessiones: nam turbant pectoris pacem, & erroribus, ac scrupulis implicabunt. Si enim vtaris in confessione multis verbis non necessarijs, (puta in enarrandis peccatis venialibus) magisque velis tuo labore, quam piè Deo confitendo, in huiusmodi minoribus culpis conscientiam tuam reddere pacatam: semper manebis illuminationis expers, nec à Deo doceri poteris.*

Remedia scrupulorum de digna sumptione Sanctissimæ Eucharistiæ.

EX quibus patet etiam remedium ad pellendos scrupulos circa confessionem omniũ venialium tanquam necessariam ante sumptionem Eucharistiæ, vt dignè recipiatur, quibus aliqui adeo vexantur, vt recusent accedere ad Sanctissimam Communionem, etsi leuissimum tantum veniale prius non fuerint confessi, siue illud omiserint in anteacta confessione, siue postea in illud inciderint.

108 Hi igitur aduertere debent, vel admonendi sunt, quod sicut confessio Sacramentalis venialium non est necessaria ad illorum remissionem, ita neque necessariò præmittenda ante communionem; sed licitam esse communionem in statu peccati venialis; cum Sanctissimum Sacramentum sit institutum tanquam antidotum, & remedium peccatorum venialium, nec dum etiam remissorum ob peculiarem rationem, quæ non competit mortalibus: & ita Doctores relati supra num. 64. & 107. & alij Theologi communiter docent magis efficax remedium obtinendi remissionem venialium extra Sacramentum Pœnitentiæ esse sumptionem Eucharistiæ; & quod etiam alia Sacramenta omnia sint prædicta virtute remittendi peccata venialia ex opere operato, & præcipuè Sacramentum Eucharistiæ, id quod etiam approbauit Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. vbi expresse definit illud sumi *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Quod conforme est eiusdem fini; qui est per modum cibi debiles confirmare; ac vitæ spiritualis, idest, caritatis vigorem, ac feruorem accendere; atque adeo tollere eius impedimenta, quæ sunt peccata venialia. Et confirmatur, tam de Eucharistia, quam de cæteris Sacramentis; omnibus enim applicatur sanguis Christi, & conuenit virtus nobilior conferendi, & augendi gratiam sanctificantem; ergo etiam remittendi venialia, cum præsertim conueniat esse facilia, ac multiplicia remedia contra mala tam leuia, ac neces-

necessaria. Quamuis iuxta Theologos magis communiter probabilius sit ad remissionem venialium, semper etiam cum Sacramentis esse necessarium aliquem actum detestationis ipsorum, seu pœnitentiæ saltem virtualis, qui voluntatem peccandi excludat, actumque peccati retractet, ne maneat interpretatiuè voluntarius; cum non conueniat à Deo remitti peccatum veniale etiam eo tantum modo voluntarium.

His igitur suppositis tamquam certis, non faciunt contra, sed potius secundum exigētiam, & institutionem Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, qui ad illud accedunt in statu peccatorum venialium, vt ab ijs liberentur: & irrationabiliter, & frustra scrupulosi ita se angunt, vt ante communionem confiteantur omnia omninò venialia; Etsi hoc aliàs suadendum est, vt Sacratissimum Sacramentum tanto maiori fructu, ac reuerentia sumatur, quo puriori conscientia. Quare scrupulosis circa confessiones non tantum licitum est; sed etiam consultum, & salutare sæpius ad communionem accedere absque vlla confessione; hoc enim est optimum horum scrupulorum remedium, scilicet contra illos agere, & oppositum operari præsertim accedente consilio, aut iussu magistri spiritualis; (vt ex dictis tum de remedijs generalibus scrupulorum suprà num. 31. 34. & 35. tum de remedijs particularibus scrupulorum circa peccatorum confesṡionem.) Ac proinde erit illis præscribendum à confessario; qui nihilominus, si viderit expedire, vt confiteantur, illos tamen constringat saltem, vt tantum confiteantur pauca, ac præcipua.

109 Quod si scrupulosi (vt plures reperiuntur tali scrupulorum specie vexati) vereantur, ac dubitent, sintnè in statu peccati mortalis non obstante, quod quanta potuerint diligentia, peccata sua sint iam confesṡi; ideoque refugiant accedere ad Sacrosanctam Eucharistiam, tamquam indigni, & non bene dispositi, ac præparati ad illam absque peccato, & dignè sumendam. Adhuc omissa noua confesṡione, &

ne, & agendo contra scrupulum possunt, & debent communicare: Et ad id faciendum sumitur remedium ex dictis supra de remedijs scrupulorum circa materiam confessionis in tit. 1. moral. var. n. 10 o 10. scilicet, quod vllus sicut non potest, ita non debet phisicè, & omninò, seclusa totaliter omni formidine, esse certus de statu gratiæ, sed sufficit moralis certitudo; imò, vt prudenter, ac probabiliter credat, se non esse in statu peccati mortalis; quę probabilis credulitas scrupuloso potest esse certitudo, vt supra in remedijs generalibus num. 45. & 46. notatum est; imò sola dubietas in fauorem ipsius tamquam certitudo haberi potest, iuxta dicta num. 47. & duobus sequentibus. Quare sibi persuadeant hi scrupulosi (vt illis proponit Gerson in trac. de præparat. ad Missam,) ad Sacratissimam Eucharistiam dignè, & fructuosè sumendam non requiri certitudinem status gratiæ euidentem (quæ sine speciali Dei reuelatione haberi non potest, vt allegato num. 70. dictum est) sed sufficere moralem, quæ tunc habetur, quando ad secundum communionem accedens, tantam diligentiam adhibuit in purganda conscientia, quantam adhibuisset in opere faciendo, ex quo lucrum alicuius momenti expectasset, ita quod nullius peccati mortalis non expurgati, seu confessi, se conscium sentiat; præterita omnia sit detestatus cum firmo proposito ea in futurum cauendi, nulloque alio impedimento v. g. censuræ Ecclesiasticæ, se ligatum agnoscat: Nec scrupulosum debet terrere, & à sacra Communione auertere, quod carne aduersus spiritum pugnante, sentiat se aridum, dummodo voluntate sincera deuotionem desideret, & quantum in se est cum auxilio diuinæ gratiæ procuret habere. Etenim Deus, qui audit desiderium pauperum ex Psal. 9. nos, nostraque iudicat, secundum nostræ liberæ voluntatis arbitrium, non autem secundum ea, quæ nobis inuitis, & contradicentibus propter carnis, & sensualitatis corruptionem insurgunt; qualia sunt imaginationes volubiles, fantasiæ variæ, carnis illecebræ, ac stimuli, appetitiones vindictæ, vacillationes circa credenda; & similes, quibus quamdiu (vt ex supradictis constat,

ftat, & infra etiam explicabitur dum de remedijs ſcrupulorum circa cogitationes)non conſentimus libere,tantum abeſt,vt imputentur ad culpam, vt potiùs virtutem perficiant, meritumque accreſcant.

Præterea ad iuuandos hos ſcrupuloſos, & à prædicto ſcrupulo liberandos adhibendum generale remedium ſupra *num.* 31. *&* 32. *&* *num.* 38. latiſsimè explicatum, & confirmatum, ſcilicet quod ſcrupuloſus iudicio, ac conſilio magiſtri ſpiritualis, ſeu confeſſarij, vel alterius viri prudentis, & docti poteſt practicè, & omninò tutè, & abſque culpa contra ſcrupulum agere, vt ad Sacratiſſimum Sacramentum accedere, & credere ſe eſſe in ſtatu gratiæ, niſi de contrario certiſſimus ſit, ita ſaltem, vt auderet illud iurare. Quod ſi tamen eſſet in ſtatu peccati mortalis, non tamen peccabit accedendo ad Communionem; ſed potiùs remiſſionem eius obtinebit, ſi accedat ſaltem attritus, ſicut obtineret per Sacramentum pœnitentiæ ea tantum differentia, quod Sacramentum pœnitentiæ peccatum mortale attrito remittit per ſe, Euchariſtiæ verò per accidens, quemadmodum, & alia Sacramenta viuorum, vt Theologi communiter tradunt. Sed proſequamur alia remedia particularia.

SVMMARIVM §. SEXTI.

110 *Cogitatio vana eſt peccatum veniale.*

Ibidem Conſenſus in opus mortale cogitationi obiectum perpetratum,vel perpetrandum eſt peccatum mortale.

Ibidem Dubitans voluntariè,& deliberate, an conſentiat, nec ne in opus mortaliter malum perpetrandum, peccat mortaliter, & tenetur confiteri circumſtantias.

Ibidem verſu: Tertio quando Conſenſus conditionatus in opus faciendum,ſeu, deſiderium, vel voluntas efficiendi opus, quod eſt peccatum,ſub tali conditione,an, & quando ſit peccatum mortale,vel veniale,& quid ſi conditio auferat malitiam ab opere, in quod deſiderium, ſeu conſenſus voluntatis ſub illa conditione

ne ferturi vbi distinguitur de opere, a quo omninò inseparabilis sit malitia; & de opere a quo saltem Dei potentia separari potest.

Ibidem versu: Quarto consentitur Si res sit licita pro aliquo statu, & desideretur sub conditione, si is status adsit, quando sit peccatum, & quale hoc desiderium.

111 *Quando nam cogitatio rei malæ, turpis vè, & motus appetitus sensitiui iracundiæ; odij, & similes careant culpa saltem mortali.*

Ibidem & seqq. Remedia communia scrupulorum circa prauas cogitationes, & appetitiones.

111 *Viri timorati ob cogitationes malas non incidunt in culpam mortalem.*

112. & 113 *Pelluntur huiusmodi cogitationes non disputatione, sed contemptu tollendo occasiones, vel otij, vel negligentiæ, vel curiositatis & alias.*

114 *An, & qua ratione expediat tales cogitationes in confessione aperire.*

119 *Remedia particularia scrupulosorum se se affligentium ob timorem, quod non crediderint, quoties illis offertur cogitatio credendorum, & quando nam fidei præceptum obliget.*

120. & *tribus seqq. Remedia particularia scrupulorum circa cogitationes blasphemiæ; vbi quinam, & quo potius tempore talibus scrupulis, seu cogitationibus a Dæmone vexentur, seu tententur.*

124. & 125 *Remedia particularia scrupulorum iudicij temerarij de proximis. In quo consistat iudicium temerarium, & quod viri timorati ob cogitationes sinistras de proximo in eorum intellectu exortas ferè nunquam peccant mortaliter. Et quomodo cum huiusmodi scrupulosis, & quibuscumque accusantibus se de cogitationibus, seu suspicionibus vel iudicijs temerarijs aduersus proximorum famam, se debeat confessarius gerere.*

126. & *trib. seqq. Remedia particularia scrupulorum circa cogitationes obscenas, & impudicas. & præsertim quando offeruntur menti, dum quis orationi vacat.*

127 *A lectione, picturis, & gestibus causantibus cogitationes obscenas seu obscena repræsentantibus cauendum.*

Sim-

130 *Similitudines a confessarijs proponendæ ijs, qui voluntariè permittunt cogitationes turpes, illisque delectantur, vt illas horreant, & expellere conentur.*

§. SEXTVS.

De scrupulis circa cogitationes infidelitatis, blasphemiæ rerum obscænarum, & circa iudicia temeraria, & motus subitos impatientiæ, iræ, vindictæ, inuidiæ, odij, eorumque remedijs.

ALij igitur sunt, qui valdè vexantur scrupulis, aut cogitationis infidelitatis, vel blasphemiæ, vel rerum turpium, & inhonestarum, aut sinistræ existimationis temerariæ de proximo, vel motuum subitorum impatientiæ, vel iræ, & vindictæ, vel inuidiæ, vel odij, quibus cogitationibus, & motibus se consensum præbuisse existimant, atque adeo mortaliter peccasse. Quorum scrupulorum remedia prius communia, deindè aliquorum in specie explicabo.

Quandonam cogitationi insit culpa.

110 ADuertendum ergo primo quandonam contingat cogitationem habere annexam culpam quod explicat *Caietanus in summa verbo, cogitatio* vbi docet, quod quinque modis potest quis peccare cogitatione.

Primò, cum mens vana aliqua cogitatione occupatur, & tunc est veniale peccatum, etenim sicut quis peccat verbo otioso; sic etiam peccat otiosa, & vana cogitatione.

Secundo, cũ deliberatè consentitur, & absolutè in peccatum perpetratum, vel perpetrandum cogitationi obiectum, idque mortale; & tunc est peccatum mortale. Ad quem modum reduci potest alius modus, de quo post *Medinam 1.2. quæst.74. a. 6. documento 5. Sanchez lib. 1. summa capit. 1. num.* 16. scilicet quando quis plenè, & deli-

ne fertur: vbi distinguitur de opere, a quo omninò inseparabilis sit malitia; & de opere a quo saltem Dei potentia separari potest.

Ibidem versu: Quarto consentitur Si res sit licita pro aliquo statu, & desideretur sub conditione, si is status adsit, quando sit peccatum, & quale hoc desiderium.

111 *Quando nam cogitatio rei mala, turpis vè, & motus appetitus sensitiui iracundia; odij, & similes careant culpa saltem mortali.*

Ibidem & seqq. Remedia communia scrupulorum circa prauas cogitationes, & appetitiones.

111 *Viri timorati ob cogitationes malas non incidunt in culpam mortalem.*

112. & 113 *Pelluntur huiusmodi cogitationes non disputatione, sed contemptu tollendo occasiones, vel otij, vel negligentia, vel curiositatis & alias.*

114 *An, & qua ratione expediat tales cogitationes in confessione aperire.*

119 *Remedia particularia scrupulosorum se se affligentium ob timorem, quod non crediderint, quoties illis offertur cogitatio credendorum, & quando nam fidei preceptum obliget.*

120. & *tribus seqq. Remedia particularia scrupulorum circa cogitationes blasphemia; vbi quinam, & quo potius tempore talibus scrupulis, seu cogitationibus a Dæmone vexentur, seu tententur.*

124. & 125 *Remedia particularia scrupulorum iudicij temerarij de proximis. In quo consistat iudicium temerarium, & quod viri timorati ob cogitationes sinistras de proximo in eorum intellectu exortas ferè nunquam peccant mortaliter. Et quomodo cum huiusmodi scrupulosis, & quibuscumque accusantibus se de cogitationibus, seu suspicionibus vel iudicijs temerarijs aduersus proximorum famam, se debeat confessarius gerere.*

126. & *trib. seqq. Remedia particularia scrupulorum circa cogitationes obscænas, & impudicas: & præsertim quando offeruntur menti, dum quis orationi vacat.*

127 *A lectione, picturis, & gestibus causantibus cogitationes obscænas seu obscæna repræsentantibus cauendum.*

Sim-

130 *Similitudines a confessarijs proponendæ ijs, qui voluntariè permittunt cogitationes turpes, illisque delectantur, vt illas horreant, & expellere conentur.*

§. SEXTVS.

De scrupulis circa cogitationes infidelitatis, blasphemiæ rerum obscænarum, & circa iudicia temeraria, & motus subitos impatientiæ, iræ, vindictæ, inuidiæ, odij, eorumque remedijs.

ALij igitur sunt, qui valdè vexantur scrupulis, aut cogitationis infidelitatis, vel blasphemiæ, vel rerum turpium, & inhonestarum, aut sinistræ existimationis temerariæ de proximo, vel motuum subitorum impatientiæ, vel iræ, & vindictæ, vel inuidiæ, vel odij, quibus cogitationibus, & motibus se consensum præbuisse existimant, atque adeo mortaliter peccasse. Quorum scrupulorum remedia prius communia, deindè aliquorum in specie explicabo.

Quandonam cogitationi insit culpa.

110 ADuertendum ergo primo quandonam contingat cogitationem habere annexam culpam quod explicat *Caietanus in summa verbo, cogitatio:* vbi docet, quod quinque modis potest quis peccare cogitatione.

Primò, cum mens vana aliqua cogitatione occupatur, & tunc est veniale peccatum, etenim sicut quis peccat verbo otioso; sic etiam peccat otiosa, & vana cogitatione.

Secundo, cũ deliberatè consentitur, & absolutè in peccatum perpetratum, vel perpetrandum cogitationi obiectum, idque mortale; & tunc est peccatum mortale. Ad quem modum reduci potest alius modus, de quo post *Medinam 1.2. quæst.74. a. 6. documento 5. Sanchez lib. 1. summa capit. 1. num.* 16. scilicet quando quis plenè, & deli-

deliberatè eligit esse anceps,consentiat nec nè;quia rationes hinc indè propositæ eum ancipitem reddunt,cui parti potius adhærebit; tunc enim ait idem Sanchez esse culpam mortalem(si cogitatio,seu suggestio sit de re mortali) & contra illud preceptum,quo ab eo peccato se abstinere tenebatur.Additque rationem;quia id voluntatis dubium in eo formaliter consistit, vt appretiatio delectationis sensibilis æqualis sit appretiationi honestatis oppositæ , vnde fit, vt neutra pars præponderet : cum tamen Deum super omnia amore appretiatiuo,licet non intensiuo;diligere teneamur. Confirmat, quia sicut intellectus tenetur in rebus fidei credendis firmus esse,ac in illis positiuè dubitans in fidem peccat:Ita voluntas singulis præceptis astringitur ad non desistendum a firmo proposito illa non transgrediendi;atque adeo cum per id dubium desistit, contra illa peccabit : tum quia tunc homo manifesto consentiendi periculo se exponit.Ex quo sequitur tunc esse confitendas circumstantias obiecti mali , circa cuius electionem voluntas est dubia, cum hoc peccatum ad eandem speciens spectet.

Tertiò quando voluntas fertur conditionaliter in obiectum malum,seu in peccatum puta *si absque infamia, & periculo possem committere tale peccatum v.g. fornicationis* (Nec refert siue conditio sit possibilis,siue impossibilis)& huiusmodi consensus, si est de actu, qui ex natura sua est mortalis, est peccatum mortale; si autem actus, in quem consentitur,sit venialis,est veniale.Ratio autem,quare huiusmodi consensus sit peccatum, est , quia quamuis conditio nihil ponat in effectu, est tamen voluntas, quæ implet rationem peccati; & etiamsi non sequatur opus externum ob impedimentum,est tamen parata in affectu ad perpetrandam malum. Addit tamen idem Caietanus(& asserũt etiam Armilla verbo *Cogitatio n.* 1. *& Emanuel Sà. V. peccatum num.* 2.) si conditio malitiam ab actu auferat; puta, si quis diceret, *si talis actus non esset culpa, vel non esset prohibitus,facerem v.g. occiderem,* nõ esse plusquam veniale.Quamuis quo ad hoc contradicat post nonnullos alios *Sanchez d.*

lib. 1.

lib.1.cap.2.nu.23.& seqq. asserens regulam, seu dictum Caietani procedere solum in ijs, quæ iure tantum positiuo prohibita, & mala sunt, non autem in ijs, quæ ex parte obiecti secundum se sumpti, seu intrinsecè, & sua natura sunt mala, & prohibita, eo quod in prioribus conditio, cū non sit impossibilis (puta, si quis diceret in die veneris, *comederem carnes, nisi ecclesias prohiberet*) malitiam aufert; in posterioribus vero, cum conditio sit impossibilis, & inuoluens contradictionem, non potest auferre malitiam, ac proinde voluntas non obstante conditione, desiderio efficaci fertur in actum, in quo malitia imbibita est inseparabiliter, & consequenter in ipsum vt malum. Limitat tamen Sanchez n.24. nisi res ex se, & iure naturæ prohibita, licita sit in aliquo statu, vt si quis desideret accedere ad aliquam, si esset sua, desiderans esse suam, tunc conditio (inquit) excusaret a culpa desiderantem, quia ea conditio aufert totam obiecti malitiam, & reddit omninò licitum; sicut contingit in prohibitis solo iure humano. Verum pro maiori, & clariori intelligentia distinguendum inter obiecta ita intrinsecè mala, vt nulla ratione ab ijs superari possit malitia (vt mendacium, fornicatio, vindicta idololatria, odium Dei per similia) & inter obiecta mala, à quibus malitia separari potest saltem Dei potentia; vt sunt coitus, homicidum, acceptio rei alienæ, infamatio; Coitus enim, homicidum, acceptio rei alienæ, & ablatio famæ possunt esse licita, si Deus permittat, aut iubeat, & etiam coitus est licitus cum propria vxore; homicidium licet, si fiat authoritate publica; furtum si fiat in necessitate vrgenti, & infamatio si honesta causa intercedat. Igitur desiderium, seu voluntatem de obiectis posterioribus sub conditione, si sibi essent licita, non esse peccatum mortale, tenent Adrianus *quodlib.* 10. *art.* 2. *Sà v. peccatum.* Pontius de Matrimonio lib.10.c.16.nu.20. Granad. 1.2. Controu.6. trac.4. disp.5. n. 3. Bresserus lib.6. de consc. *cap.* 17. *num.* 218. *Palaus tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2.§ 3. *num.* 3. & ita etiam sentiunt *Sanchez d. cap.* 2. *num.* 24. *& Fagundez in decalog. lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 5. *versu: limitatur, & alij:* eo quod voluntas feratur in obiectum de-

denudatũ a malitia, quã cõditio alias possibilis ab eo aufert. Qua rõne non peccat mortaliter religiosus, qui vellet ducere vxorem, casu quo liber esset a voto, & occidere latrones casu quo iudex esset, & occidere aliquem, vel ab eo auferre facultates, vel famam, si Deus permitteret. At vero habere desiderium de obiectis prioris generis sub illa conditione, si essent licita, esse peccatum mortale asserunt *Sanchez d.n.23. Azorius 1.p.lib.4.cap.6.q.10. Fagundez d. cap.3.num.3, Adrianus*, Pontius, Granad. *& Bresserus locis allegatis*, idque ob rationem a Sanchez adductam quod cũ conditio sit impossibilis omninò, non aufert malitiam, & obiectum remanet vestitum, ac si non esset adiecta, imò cum sit impossibilis, debet censeri ac si non esset adiecta. Sed hoc non obstante *Vasquez 1.2. disp. 116. cap. 2. Sayrus lib.8. Clau.cap.7.num.28. & 29. Sà vbi supra: Bonacina de matrim.q.4.p.8.num.20. & Palaus d.§.3.num.4.* probabile existimant non esse peccatum mortale, talia obiecta omninò intrinsecè mala, sub conditione, si licita essent, vel si Dei offensa non essent, desiderare; tum quia sic desiderans talia obiecta non absolutè, & efficaciter illa desiderat, cum sciat esse impossibilia, sed solum ostendit propensionem suæ voluntatis in tale obiectum; quam idem *Sanchez num.* 25. ait non esse malam: Tum quia, qui vult mentiri, casu, quo liceret, non vult obiectum prauum; si quidem mendacium licitum malum non est: & licet mendacium nunquam possit esse licitum; hoc non obest, quo minus voluntas in illud sub ea conditione feratur; nam in appræhensione, & affectu mendacium licitum est. Neque ex eo quod quis velit mentiri casu, quo liceret, sequitur, quod velit, vt licitum sit mendacium; quia circa bonitatem, vel malitiam mendacij non fertur eius voluntas; sed negatiuè se habet, sicut si Religiosus diceret, si essem solutus a voto, ducerem vxorem, non infertur eum habere voluntatem se a votis liberandi, sed solum dicit, quid in illo statu faceret, sibique gratum foret: Dato etiam quod vellet illud licitum, & naturæ mutarentur; quia tamen non vult illud efficaciter, sed inefficaciter, & per simplicem affectum; &
ob

ob finem bonum; non apparet, cur debeat talis affectus peccati mortalis damnati, tamquam culpa mortalis; vt docent *Vasquez, Salas, & Palaus*. Qui etiam addit, si quis diceret *destruerem Deum*, si esset licitum, hanc voluntatem esse mortalem, non ex formali obiecto, quod respiciat, sed quia videtur esse effectus alterius voluntatis Dei odio habentis: nam qui seriò id diceret, apertè conuinceretur Deum sibi displicere, & ex displicentia ipsius esset mortale, non ex obiecto; Ad id autem, quod dicitur, impossibilem conditionem non posse auferre malitiam ab obiecto, quia habetur tamquam non adiecta, eo ipso quod cognoscitur omninò impossibilis; Respondetur in alijs contractibus à Matrimonio conditionem impossibilem non habere pro non adiecta, vt late tradidi *in tractatu de contractu Matrimonij cap.* 10. in quibus proindè apponens conditionem impossibilem, ostendit se non habere voluntatem contrahendi; sed potius irridendi, seu iocandi.

Quartò consentitur (inquit Caietanus) in opus non malum simpliciter, sed propter suum statum, vel votum; vt si dicat Religiosus, *si non essem Monachus, non fierem*: vel Sacerdos; *si non essem Sacerdos* ducerem vxorem: & in huiusmodi non nisi peccatum veniale interuenit propter remissam voluntatem ab inchoato bono. Si quis Sacerdos, aut religiosus etiam diceret, si non essem religiosus, aut sacerdos fornicarer Sanchez *d. cap.* 2. *num.* 28. ait quod talis conditio excusaret à malitia sacrilegij, & esset illa voluntas tantum simplex fornicatio. Rectè autem admonet Caietanus omnes conditionales, tam secundum hunc modum, quam secundum præcedentem esse opera, & tentationes fatuas, & diabolicas, quæ ad nihil nisi ad peccatum inducunt. Quintò peccamus cogitatione, quando cogitando interuenit delectatio morosa, de qua infra.

Quandonam cogitatio rei malæ, & motus appetitus sensitiui iracundiæ, & similes careant culpa, vel saltem mortali; & remedia communia scrupulorum circa prauas cogitationes, & appetitiones.

111 ADuertendum præterea è contra, quando nam cogitatio rei malæ, seu peccati etiam si excitet in appetitu iracundiam, & similes passiones, vel motus turpes, & inhonestos, non imputetur ad peccatum, saltem mortale. Itaque siue à Diabolo, siue ab alia causa subito immissa, seu excitata apprehensione, & cogitatione rei malæ, quamdiù intellectus nullam aduertit moralem malitiam rei cogitatæ, nullum potest esse peccatum; Item quamdiù res agitur solum in intellectu apprehendente, & cogitante, voluntate nondum præbente deliberatum & plenum consensum, neque eamdem cogitationem, vel obiectum malum per illam repræsentatum deliberatè amplectente, seu deliberatè, & aduertenter eliciendo actum delectationis, seu gaudij, talem cogitationem adesse, nullum peccatum mortale inesse potest, quamuis materia sit grauis, etsi aliqua negligentia sit reprimendi, & expellendi talem cogitationem, quæ tantum erit culpa venialis. Nisi enim intellectus prius plenè aduertat moralē malitiam prauæ cogitationis, & rei per eam representatæ, aut eius malitiæ periculum, & post talem aduertentiam, nisi accedat voluntatis consensus, seu actus, quo expressè velit, & amplectatur id, quod plenè, & perfectè cognoscitur esse malum, & peccatum, quantacumque grauitas insit materiæ, non potest committi mortale peccatum, vt ex dictis in præcedentibus remedijs manifestè constat, & est communis Theologorum doctrina. Quare aliud est sensus peccati, aliud consensus in illud: sensus peccati est ipsa apprehensio, & cogitatio peccati menti nostræ obiecti a Diabolo, vel ab alia causa siue extrinseca, siue intrinseca nobis voluntariè non cooperantibus excitata, seu immissa, estque (vt quidam dixit) velut ignis iniectus,

&

& in fomite nostri cordis accensus, quem non facile valemus extinguere; qui etiam interdum corpus mouet, & iracundiæ flammas, aut turpes, & inhonestos motus accendit: consensus vero (vt supra num. 74. dixi) est actus voluntatis, quo deliberatè cogitationi, vel delectationi, vel rei prauæ, & malæ, & taliter præcognitæ adhæret, eamque amplectitur: & ideo si quis sentit, & non consentit deliberatè, nullum est peccatum; quia ibi nullus est expressus, & formalis consensus in peccatum; Interpretatiuus vero saltem ad mortale peccatum sufficiens adesse nunquam censetur, nisi quis ita negligenter, & oscitanter malas cogitationes, aut sensualitatis motus dissimulet, vt nec minima diligentia in illis reprimendis, & expellendis intendat, nec minima displicentia contradicat.

Hinc colligitur viros timoratos ob huiusmodi cogitationes malas non incidere in culpam mortalem quia vel non perueniunt ad consensum voluntatis, vel certè si repentinus aliquis adsit consensus, non est plenè deliberatus, ac sufficiens ad culpam lethalem, estò res, de qua est cogitatio, grauis sit. Vnde iuxta dicta supra 102. hæc regula est a confessarijs in praxi adhibenda, scilicet quando viri timorati, præsertim scrupulosi, eiusmodi cogitationes malas omnes vel aliquas patiuntur, & dubitant, an lethaliter peccauerint; tunc censendum est non peccasse lethaliter, & eo magis si interrogati absolutè asserant, se non fuisse deliberatè consensuros, si peccatum inesse aduertissent: Et ratio est, quia vel nullus adfuit voluntatis consensus, sed res peracta est solum in intellectu, & in sensu, dæmone (vt plurimum contingit maximè in cogitationibus fidei, Blasphemiæ, iudicij temerarij, odij, & vindictæ, & in cogitationibus inhonestis tempore orationis, vel vsus Sacramentorum, præsertim Sanctissimæ Communionis) suggerente, & acuente eas cogitationes, vt scrupulis molestet animas timoratas; easque his omnibus vijs ad amaritudinem perducat; pacem conscientiæ perturbet, suauitatem spiritus sancti impediat, & deuo-

tionem, ac progreſſum in virtutibus: vel certè ſi adfuit aliquis repentinus conſenſus voluntatis, non fuit plenè deliberatus, ac ſufficiens ad culpam mortalem, licet res, de qua eſt cogitatio, grauis ſit. Quod magis confirmatur, nam conſenſus in peccatum mortale, iuxta dicta *ſupra citato num.* 102. fine, eſt tanta iniquitas, tam manifeſta rebellio, tam aperta honeſtatis, & virtutis contemptio, vt celari, aut ignorari non poſſit; ergo, dum vir timoratus maximè ſcrupuloſus, non ſentit in ſe affectum, & propenſionem animi ad peccatum, ſed potius adeo illud horret, & timet, ne Deum offendat, vt de ipſa tentatione, & ſuggeſtione triſtetur; ſignum eſt, quod non peccauit mortaliter, ſi certò non ſciat. Imò cum tales tentationes, ſeu cogitationes, & ſuggeſtiones diſplicent, nec eis conſentitur, ſed reſiſtitur; non ſolum non continent culpam, ſed potius imputantur ad meritum propter difficultatem, & moleſtiam, quæ ſuſtinetur, tum eas inuite patiendo, tum eis reſiſtendo. Quod ſi ſcrupuloſus alioqui timoratus dicat, *ego interpretatiuè conſentio*, quia *illas cogitationes, & phantaſias non reÿcio*. Intelligat, ſe non eſſe iudicem æquum ſui, & quod eo ipſo, quo vult Deo placere, quo in via bona, quam cæpit, permanet, quo pluries, vel etiam millies firmum propoſitum concepit nunquam mortaliter peccandi, benè, & ſecurè poteſt putare, ſe non omninò diſſimulaſſe, ſed reſtitiſſe, ſaltem quantum ſufficit ad vitandam culpam mortalem: ſi vero ob aliqualem minimam negligentiam in leue aliquod peccatum inciderit, ſciat Deum huiuſmodi culpam in importuniſſimo tentationum bello, ſuis ſeruis benigniſsimè condonare. Aduerto etiam ſignum non præſtiti conſenſus interioris eſſe, quoties ex interiori cogitatione, vel motu non eſt exterius proceſſum ad aliquam operationem v.g. prolationem hæreſis, aut blaſphemiæ, aut ad actum turpem, aut ad aliquam detractionem, aut aliam actionem proximo iniurioſam. Quod ſignum ſemper mihi viſum eſt probabiliſſimum, & ferè euidens in perſonis timoratæ conſcientiæ; præſtito enim interiori conſenſu deliberato facile eſt proce-

cede-

cedere ad aliquod opus externum; quod si non sequatur, signum est non pręstiti consensus interioris, saltem plenè deliberati.

112 Tertium commune remedium est talibus scrupulis, seu cogitationibus, & suggestionibus iuxta dicta supra nu. 33. resistere, non positiue aduersus eas disputando, & nouas rationes quærendo, quibus conetur illas reprimere vel sibi persuadere se non consensisse, sed negatiuè, scilicet, illas spernere, nec eisdem turbari, quasi consensus illis adhibitus sit: quod præsertim faciendum, cum tales cogitationes, & suggestiones excitantur, cum orationi, alijsque diuinis quis vult vacare, vel vacat: siquidem tentator callidissimus tunc maximè illas excitat, & immittit, cum diligenter & attentè vel orare, vel meditari, vel missam audire, vel celebrare, vel studere cupimus, vt mentem auocet, & occupet inutilibus concertationibus, & discursibus contra ipsas; quare elusus manet, si impetitus opus sibi propositum prosequatur, securusque peragat, illas spernens omninò absque vlla perturbatione tanquam inanem canis latratum, mentem applicando ad opus cæptum, vel ad aliud. Dolet namque superbus hostis, dum se sperni videt; & ideo spernentem deserit, se contemni diu non ferens. Hoc remedium eleganter perscribit Thomas a Khempis *de imit. Christi lib. 3. cap. 6. num. 6.* vbi fidelem ad perfectionem aspirantem sic in persona Christi alloquitur: *Scito quod antiquus inimicus omninò nititur impedire desiderium tuum in bono: & ab omni deuoto exercitio euacuare, a Sanctorum scilicet cultu, a pia passionis meæ memoria, à peccatorum vtili recordatione, a proprij cordis custodia, & à firmo proposito proficiendi in virtute. Multas malas cogitationes ingerit: vt tædium tibi faciat, & horrorem, vt ab oratione reuocet: & Sacra lectione. Displicet sibi humilis confessio, & (si posset) à communione cessare faceret. Non credas ei, neque cures illum, licet sæpius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Sibi imputa, cum mala inserit, & immunda. Dicito illi, vade immundè spiritus, erubesce miser, vade immundus es tu, qui talia*

infers auribus meis. Discede a me seductor pessime, non habebis in me partem vllam: Sed Iesus mecum, erit tamquam bellator fortis: & tu stabis confusus: malo mori & omnem pœnam subire, quam tibi consentire. Tace, & obmutesce: non audiam te amplius licet pluries mihi moliris molestias. Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Dominus adiutor meus & redemptor meus. Ita à Khempis.

113 Quartum remedium eisdem scrupulosi malarum cogitationum commune est, tollere occasiones, vel otij, vel negligentiæ, vel curiositatis, vel alias, si quos tales, quis det huiusmodi tentationibus, & auxilium diuinum implorare recurrendo pio affectu ad Christum, inuocãdo B. Virginem, Sanctum Angelum suum Custodem, cæterosque Sãctos, quos habet in speciali veneratione: Addere etiam aliquam moderatam, & discretam corporis afflictionem: quæ si non prosint, sed adhuc perseuerent huiusmodi importunæ suggestiones, ac tentationes, patienter ferat confidens per diuinam misericordiã non solum ei non nocituras, sed ad meritum, & magnam coronam profuturas.

114 Quintum, licet vir timoratus possit tales cogitationes patiens interdum ex humilitate, & timore conscientiæ, eas confiteri, dummodo iuxta infra dicenda id faciat sacerdoti discreto, & istarum difficultatum dijudicandarum perito, non tamen cum anxietate aliqua, aut solicitudine curet illas confiteri, & reconfiteri, sed ad summum sufficit generice confiteri: imò vbi vir bonus, & timoratus agnoscit tales cogitationes esse sibi inuoluntarias, & suggeri à Demone, vel carne aut mundo, nullo modo confiteatur de illis cum consilio confessarij, nisi certus esset de consensu illis præstito, imò etiam de aliquo externo opere, scilicet quod interior cogitatio, & motus exterius processerit in aliquam operationem iuxta dicta; quæ regulariter, seu ferè nunquam viris bonæ conscientiæ solet euenire. Quod tamen quia euenire potest, monet quidam habendam esse memoriam iustitiæ Diuinæ ante casum ad vitandum ipsum, sicut & diui-

næ

næ misericordiæ post casum ad resurgendum. Hæc quoad communia remedia scrupulorum de supradictis prauis cogitationibus, seu suggestionibus, quæ etiam magis explicata, & confirmata manebunt ex sequentibus remedijs particularibus.

Remedia scrupulorum circa cogitationes fidei aduersarias.

115 QVoad scrupulos cogitationum contra fidem, quas Diabolus (præsertim in conuersis de recenti ad fidem, vel à statu peccati ad viam bonam, & salutis) subito excitat, seu immittit mouendo dubia, persuasiones afferendo, ac falsas rationes, quibus animum dubium reddit; quod præsertim tentator facit circa misterium Sacratissimæ Eucharistiæ, cum ibi multa sint, quæ sensui repugnant, & videntur contra rationem naturalem; imò aliquando his cogitationibus infidelitatis adeo vrget virum timidæ conscientiæ, & pusillanimem, vt videatur audire aliquem ad aurem, vel seipsum intus loquentem, ac dicentem, *ego Deum nego, & similia*, cum tamen maximè abhorreat à talibus.

Primum remedium est hos infidelitatis, sicut, & blasphemiæ (de quibus magis distinctè infra) motus metuere minus, quam aliarum rerum, magisque contemnere: illud enim malum parum timoris, vel minorem saltem incutere consueuit, à quo longius distamus, in quodve difficilius est incidere, e contra magis timemus malum, in quod facilius nos posse incidere conspicimus; peccata autem, quæ committere nos posse facilius cognoscimus, manifestum est, esse ea, quæ sequuntur carnem, & sanguinem, sensuique sunt amabilia; hæc enim ad suam concupiscendam spurcitiam inducunt, & instigant; alia vero peccata, quæ sunt omninò spiritualia, sicut minus delectant, ita minus ad consensum in illorum iniquitatem alliciunt. Huius autem generis sunt infidelitas, & blasphemia. Quare si viri timorati, & formidantes incidere

in carnalia peccata, & si tententur, non ideo iudicandum eos peccasse, nisi constet consensum præstitisse; multo magis tentatos infidelitate, aut blasphemijs præsumi debet non fuisse lapsos in peccatum infidelitatis, aut blasphemiæ.

116 Secundum remedium considerandum est non solum huiusmodi scrupulis contra fidem sitos esse(vt ex supradictis constat) in sola suggestione, & apprehensione falsitatis, aut incertitudinis fidei, aut alicuius misterij absque periculo vllius peccati contra fidem, licet apprehensio ista terreat scrupulosos, quasi esset iudicium, putantes se iudicare falsa, quæ ne quidem possunt, & si vellent, sed etiam hominem fidelem dubium de fide negatiuè, & suspensiuè, quando agnoscit se tentari contra fidem (vt docui in tractatu de triplici Iub. Priuil. sect. 1. casu 10. num. 86.) non esse hæreticum, neque verè dubium, neque ordinariè peccare, & si vtrinque occurant rationes dubitandi (quibus scrupulosi turbari solent, perinde, ac si positiuè dubitarent; imò discrederent) quia vt ibidem dixi non habet erroneum assensum circa res fidei: imò si facile tentationibus agitari solet, ibidem docui eum prudenter facere cessando penitus ab omni cogitatione, & actu intellectus, & occupando se alijs negotijs: eo quod huiusmodi naturæ homines sæpe solent ex hac pugna in blasphemiam, aut desperationem incidere. ibidem num. 87. tradidi multò minus esse dubios in fide, qui agitantur scrupulis circa misterium fidei, putantes se de fide catholica dubitare eo quod hæreticæ, & blasphemæ cogitationes illis occurrere solent, ob rationem in præcedentibus remedijs communibus tactam, scilicet; quia cum eas verè detestentur, & nunquam in animum venire vellent: & insuper protestentur nunquam se eis consensum præbituros, non possunt culpæ imputari: sed magis merendi apud Deum occasionem præbent. Et certè ipse angor, & horror peccati certum indicium est, vt plurimum nullius consensus(cuius minus periculum est, quo cogitationes sunt abominabiliores) vel saltem imperfecti: vt late supra explica-

tum

tum est, ac proinde ibidem admonui expedire plerunque tales cogitationes, seu tentationes contemnere, tamquam inefficaces ad extorquendum consensum apud eos, qui Dei gratia sunt muniti. Addo (vt constat ex traditis, ex Azorio supra num. 15. allegato, & docet etiam Emanuel Sà V. Hæresis num. 11.) posse quem etiam subitò dubitare positiuè contra aliquam fidei sententiam, imò & discredere, non tamen ex deliberatione, sed ex animi infirmitate, & inaduertentia rationis absque peccato hæresis; Quia ad hæresim non tantum requiritur assensus intellectus contrarius propositioni de fide, sed pertinacia (vt latè ostendi d. casu 10. num. 88. & seqq.) in voluntate, quæ prærequirit aduertentiam rationis, & deliberationem, eamque plenam sufficientem ad peccatum mortale. Quare qui nulla omninò præcedente rationis aduertentia, & deliberatione dubitat, vel discredit, liber est ab omni culpa mortali, & veniali: si vero præcedente semiplena aduertentia, & deliberatione, dubitat, vel discredit peccat quidem venialiter contra fidem peccato eiusdem speciei, non tamen hæresis, qua fides amittitur, & incurruntur pœnæ hæresis; vt explicaui *d. casu* 10. §. 2. imò etiam ignorantia crassa excusat à peccato hæresis, vt dixi citato *casu* 10. *num.* 95. vbi etiam *num.* 96. tenui tanquam probabilius etiam ignorantiam crassam affectatam excusare ab hæresi propriè dicta, dum quis est paratus corrigi; quia in vtroque casu deest pertinacia voluntatis.

Ex quibus considerent ij, qui scrupulis infidelitatis, & etiam blasphemiæ vexantur, quod & si non est in eorum potestate ab huiusmodi scrupulis recedere, seu non tangi, non tamen debent ob id turbari, & infelicem sibi sortem obtigisse arbitrari: nam & si cogitationibus fidei aduersantibus, vel blasphemiæ tentari, siue tangi non sit in illorum potestate (vt docuit D. Bonauentura opusc. de profectu religionis *cap.* 3. dicens tentationes contra fidem, & de spiritu blasphemiæ, & similes nec fugere possumus, nec repugnando vincere, quia quanto plus indignamur

nobis

nobis metipsis, & disputamus cum eis magis, magisque refricatur eorum rabies, & accenditur) illis tamen tentationibus turbari, vel non, liberum erit; despiciant tangi, cum id contra voluntatem contingat, vt post alios notauit Sanchez *lib. 2. sum. cap. 7. nu. 3.* & arbitrentur se similes pudicæ fœminæ, quæ manibus, & pedibus ligatis à viro impudicè tangitur, semper ipsa reclamante, & renitente; quam ob id non peccare, ipsi quoque scrupulosi, etsi mente infirmi, fatebuntur.

117 Tertium remedium est, cauere à curiositate inquirendi rationes circa fidem eiusque dogmata, & misteria, nam inde Diabolus insurgit, & sumit occasionem immittendi cogitationes, dubia, & rationes, & tentationes contra fidem; Et quia etiam in quibusdam hominibus eiusmodi tẽtationes permittuntur propter vitam eorum sceleratam præsertim (vt citato casu 10. num. 87. notaui) impuritatis vitium, ijs propterea suadendum est, vt se corrigant; & tum fidem eorum, atque fiduciam in Deum constantiorem fore. Tollendæ sunt etiam aliæ occasiones eiusmodi tentationum, si quæ dentur otio, negligentia, aliave ratione.

Quartum remedium, cum misteria nostræ fidei humanæ intelligentiæ captum excedant; & supra metam nostræ naturalis rationis sint posita, prædictis tentationibus non est positiuè resistendum, seu agendum rationibus contra fallacem tentatorem; quia opponit plura, quam etiam doctissimus, si in ratione naturali persistamus, valeat soluere, atque sic maximo exponet se periculo. Agendum ergo contra huiusmodi suggestiones animi constantia, & ei dicendum, vt Matth. 16. *vade post me satana, non sapis ea, quæ Dei sunt*: & illis contemptis pergendum in bono opere cæpto, vel ad aliud mens applicanda, iuxta dicta de remedijs communibus scrupulorum circa cogitationes prauas. Quare non est cur scrupulosi, se defendant actionibus externis ab scrupulis contra fidem exorientibus, sed ab his omninò abstinendo scrupulos contemnant, & eo modo, quo non mirarentur, nec anxij redderentur; si blasphe-

phemantem insanum viderent; sic nec mirentur cogitationem infidelitatis, vel blasphemiæ ab insano tentatore oblatrante immissam.

Quintum, captiuandus est intellectus iugo fidei ad obsequium Christi, *ne plus sapiat, quam oportet.* Rom. num. 12. Quilibet fidelis est discipulus Christi, qui dixit *ego sum via, veritas, & vita Ioan.* 14. fidem ergo habeat ei, & suo magistro, ac duci, qui mentiri non potest.

118 Sextum remedium pellendi huiusmodi cogitationes, & tentationes aduersus fidem est considerare ea argumenta, quæ fidei nostræ capita confirmant; cuiusmodi sunt quæ desumuntur à fidei nostræ authore, qui Deus est, veritas infallibilis; à fidei antiquitate; & sanctitate eorum, qui eamdem per totum orbem vnanimi consensu tradiderunt; à miraculis, quibus confirmati articuli fidei; à constantia martyrum, qui eam sanguine, & vita corroborarunt; à Prophetarum oraculis; à multitudine virorum, multorum, & puerorum, qui eam in vniuerso mundo complexi sunt; à virtute, & sanctitate morum, quam catholici omnes profitentur, & multi perfectè secuti sunt, non tantum pietate, sed & sapientia clari, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Damascenus, Bernardus: & nunc multi exemplo Apostolorum, relictis omnibus sequuntur Christum, diuitijs omnibus præferentes voluntariam paupertatem: cuiusmodi exempla extra ecclesiam catholicam tam illustria, & frequentia saltem non reperiuntur: ab interrupta successione tot summorum, & sanctissimorum Pontificum, qui à Petri, imò Christi tempore in hanc vsque diem, eamdem fidem catholicam coluerunt, & tradiderunt: & à similibus alijs argumentis, seu signis veræ fidei, de quibus *Bellarminus, & alij, qui tractant controuersias, ac Lessius in opusculo de capessenda fide.* Summæ enim dementiæ est curiosius inquirere, & dubitare de eo, quod tot, tantique illustres, viri, Patres, Doctores, Reges, & Principes, iuuenes, & senes firmiter, & constanter de fidei articulis tenuerunt, tradiderunt: atque operibus confir-

confirmarunt. Hæc sunt testimonia, quibus qui fidem adhibere renuunt, non Spiritu Sancto, sed Diabolica superbia agitantur; si enim talibus suggestionibus daretur consensus, illicò omne bonum periret, & voluptatibus, cupiditatibusque omnibus fræna laxarentur. Quapropter, cum viri timidæ conscientiæ, qui scrupulis cogitationum, & suggestionum prædictarum fidei articulis aduersantium vexantur, propositum numquam offendendi Deum firmiter retineant, & perseuerent operibus virtutum vacare, non est, cur turbentur, quasi istiusmodi cogitationibus consentiant, aliquoue infidelitatis peccato delinquant; sed imò potius gaudere debent de merito, quod apud Deum illas patienter sustinendo, eis resistendo consequuntur, habẽtes illas tentationes tamquam signa, quod placeant Deo opera sua, quæ adeo displicent Dæmoni, vt dum ea impedire non potest, conetur saltem turbare: ita egit cum Sanctissimis quibuscumque, imò ipso Christo, cui ausus fuit proponere rem omnium maximè abominandam; vt procidens adoraret se, nempe, vt Deus Diabolum. Non est etiam, cur soliciti sint de talium cogitationum, ac suggestionum confessione, cum non sit necessarium eas confiteri, imò neque consultum, nisi genericè, & nisi confessario discreto, cui pœnitentis conscientia sit perspecta, licet vtile, & optimum remedium ad auertendos scrupulos circa dictas cogitationes, cum primum animum pulsant, sit eas aperire magistro spirituali, seu confessario discreto, & docto ad instructionem habendam, cuius dicto, & consilio omninò stent, & acquiescant iuxta mox dicenda.

Remedia scrupulosorum, qui vexantur, quod non crediderint, quoties illis offertur cogitatio credendorum.

119 QVod si scrupulosi in rebus fidei vexentur, & perturbentur, quod non crediderint toties, quoties offertur illis cogitatio credendorum, existimantes ad id se teneri,

neri, ac nunquam satis hoc implere præceptum opinantes. Pro remedio aduertant fidei præceptum non obligare per se, nisi tempore vsus rationis aduenientis, vel postea, si tunc non est impletum taliter; quod post semel elicitum actum fidei, rarò, vel fortasse nunquam occurrat dicta obligatio exercendi actus fidei, de qua re *Aragon. 2. 2. quæst. 2. art. 6. colum. penult. versu: cæterum quonam. Valentia 2. 2. quæst. 2. p. 5. in fine. Azorius 1. p. lib. 8. cap. 7. quæst 7. Suarez de fide disputat. 13. sect. 5. num. 6. Sanchez lib. 2. summæ cap. 1. num. 3. & alij relati a Io: Sancio disputat. 41. num. 32.* & licet ratione grauis tentationis contra fidem, præfati Doctores, & alij communiter affirmant præceptum fidei per se obligare; hoc tamen (vt expresse notauit Sanchez vbi supra) non deseruit ijs, qui scrupulis conscientiæ agitantur, quia scrupulis contra fidem molestari, non est grauem tentationem contra fidem pati, sed grauem crucem sustinere, & ægritudine, ne dicam, stultitia laborare. Quare si scrupulosus opinetur, se nunquam actum fidei habuisse; dicat ei confessarius, quod pro tunc eliciat, & inde obligationi præcepti erit satisfactum, vel ad summum obligatio confitendi actualiter, & expresse fidem aderit etiam in mortis articulo, &c.

Remedia scrupulorum circa cogitationes Blasphemiæ.

120 QVoad scrupulos cogitationis, seu tentationis blasphemiæ, quæ spiritus blasphemiæ a magistris spiritualibus nuncupatur, & multum molesta est præsertim incipientibus, quia multum fætoris, & horroris præsefert, & timidis conscientijs, quibus necdũ huius conditio tentationis cognita est, facile præbet occasionẽ perturbationis: Hæc tentatio in hoc posita est. Dæmon consueuit animis piorum, præsertim eorũ, qui nec dũ in pietate constantes sunt; præcipuè quando orationi insistunt, vel Sacris Misterijs astant, aut ea considerant, ingerere, seu excitare cogita-

cogitationes repræsentantes maledictionem erga diuinam voluntatem,& obscena in Dei genetricem e. g. (saluo honore tantæ matris) quod sancta virgo fuerit meretrix ; vel etiam contra Sanctos cum Christo regnantes. v.g. quod fuerint stulti, qui omnes diuitias, & delicias huius mundi contempserint, & miserrimam vitam egerint. Circa hanc igitur suggestionem , seu tentationem quæ vehementer aliquando fideles pios pusillanimes, maximè de nouo ad salutem conuersas molestia afficit.

Primo aduertendum, malignum tentatorem huiusmodi cogitationes,& tentationes immittere, vel vt inducat in desperationem, vel vt arreptam viam salutis, propter tædium tentationis relinquant. Deum autem permittere sic quandoque tentari; vt si non consenserint de die in diem pugnando; & se a peccatis purgando , in humilitate custodiantur,& capaciora spiritus sancti vasa efficiantur.

121 Secundo aduertendum, quod ij, qui sibi per ignorantiam non possunt auxilium forre, non confiteantur huiusmodi graues tentationes cuique indocto sacerdoti,& imperito;nam qui indoctus,& indiscretus est;in his, & similibus casibus aperiret viam desperationi, præsertim scrupulosæ animæ, quæ est timida ex sua natura, aut etiam aliàs tenerioris esset conscientiæ v. g. si tentatus, seu vexatus huiusmodi spiritu blasphemiæ confiteretur occurrisse tentationem blasphemiæ. *Beatissimam Dei genetricem, pessimam esse mulierem &c.* si confessarius esset ignarus; cum piæ aures maximè horreant blasphemias huiusmodi , & alius confiteretur; statim extolleret magnitudinem peccati, & duriùs confitentem argueret non attenta Diaboli illusione;& hominis,qui talem tentationem passus est,conditione nec dum considerata; sine dubio infirmæ conscientiæ esset occasio maximę desolationis.

Tertio cum (vt in præcedentibus pluries replicatum est) quantum vis huiusmodi terribiles cogitationes, & Diaboli motus insurgant, modo non præstetur consensus cum deliberatione voluntatis non faciant reum peccati mortalis;sed imò,si quis constanter,& viriliter resistat,sint occasio

ſio magni meriti in terra, & excellentis coronæ in cœlis; propterea perſona, quæ hæc patitur, non nimium terreatur, neque anima deijciatur; quaſi ad electos non pertineant, ſed maiorem concipiat fiduciam, & conſolationem, ſe eſſe Dei templum, & ideo tanto impetu ſæuire inimicum, quia quos non habet, quærit, & ſuis laqueis fugientes inſequitur. Quarto ſi quis ſit imperitus in via ſpirituali, nec ſibi ſufficiens quo ad diſcretionem; ſemper in confeſſione, ſine vllo timore, & pudore (ſolent enim aliquando huiuſmodi, & ſimilibus cogitationibus vexati, ita turbari, & affligi, quod tam nefanda ſint, quæ ab ſpiritu blaſphemiæ, vel infidelitatis obiecta eis fuerint, quod etiam confeſſario illas aperire pudeat) aperiat etiamſi non conſenſum dederit, & hoc non propter neceſſitatem illa confitendi ad habendam abſolutionem, ſed propter inſtructionem. Imò etiam quiſque doctus confiteatur hoc pacto v.g. *ſpiritum blaſphemiæ habui contra Deum, vel talem ſanctum, neſcio an ſufficienter reſtiterim, quantum potuiſſem cum Dei auxilio*; hoc tamen faciat ſine vlla anxietate, & nō nimis accurate, neque huiuſmodi abominabiles tentationes, quantum ad ſingulas circumſtantias enumeret, ſed ita dicat, vt mentem confeſſarius intelligat, cui poſtea omninò obtemperet; quique, poſtquam illum audiuit, & ſufficienter inſtruxit ſcrupuloſum redeuntem, vt prædictas cogitationes, ſeu tentationes confiteatur, & reconfiteatur, vel non audiat, vel ſi velit adhuc audire ſemel, vel iterum iudicans id conuenire ad maiorem inſtructionem, & ad curationem, admoneat eundem ſcrupuloſum, eas non auſcultare iure confeſſionis (cum ſint puræ apprænhenſiones omni culpa carentes, & conſequenter ad confeſſionem non ſpectantes) ſed iure amici conſulentis, quæ imposterum ab eo expediat peragi, vel mittat ad ſacram Euchariſtiam ſumendam abſque abſolutione iuxta tradita infra num. 125. iunctis alijs explicatis in remedijs communibus.

Ex quibus colliguntur duo remedia valdè efficacia ad expellandas huiuſmodi cogitationes, & tentationes blaſ-

phemiæ,

phemiæ, item etiam infidelitatis, & rerum obscænarum ac similium.

122 Primum, qui huiusmodi blasphemiæ tentationibus, & alijs similibus abominabilibus cogitationibus agitatur, caueat ne expauescat, aut perturbetur, aut fiat pusillanimis, sed imperterrito animo transeat vilipendendo. Si quis enim in his, & similibus tentationibus cum aduersario velit agere rationibus, & cogitationibus eidem contraire, tunc tentatio (vt dictum est supra num. 33. 112. 116 fine, & num. 117.) roboratur, & augetur; tunc enim non recedit tentator, sed semper obijcit, vt detineat in tentatione. Homo ergo cum patientia toleret, & sic transeat pergendo in opere bono cœpto, vel aliud cogitando, aut agendo, non attendendo prorsus ipsam tentationem, ac si ipse non tangeretur. Similitudinem, quæ ad instructionem, & confirmationem huius rei facit, adfert *S. Dorotheus doctrina* 13. vt viriliter tentationes huiusmodi contemnamus. Sicut plerique in mari natantes, inquit, ex aliqua necessitate; qui cum peritiam, & artem natandi optimè teneant, vbi vndas in se prorumpentes, aspiciant, incuruati illis se obijciunt, dum pertransierint; atque ita ab illis nusquam læduntur: quod si vellent venienti vndæ se ipsos opponere illos absque dubio vnda longiùs repelleret, & quasi iacularentur in mare, atque ita fatigarentur, & frangerentur vi vndarum nihil proficientes; idem in tentationibus contingit, cum quis aduenientem tentationem tulerit cum humilitate, & patientia, illam sine molestia, sine læsione vlla pertransit. Si quis augatur, crucietur, perturbetur in quacumque querens, se ipsum lædit, & tentationem ipsam grauiorem reddit; ita vt non solum non prosit ipsa tentatio, sed maximè obsit illi autem sunt vtiles tentationes, qui eas intrepidè susceperit, & sustinuerit. Quare propterea varij varia dant ad contemnendas huiusmodi tentationes remedia. S. Franciscus docuit fratres suos dicere tentanti sic, *aperi os tuum, & proijciam tibi stercus*, Gulielmus Parisiensis in tract. de tenta. & resisten. docet cum auersione, & irrisione esse *dicendam fi. fi.* quod est interiectio spernentis:

nentis: Thomas à Khempis ait illi esse exprobandum, *Vade immunde spiritus, erubesce miser, & alia similia* contra eum proferenda, iuxta & eadem relata supra nu. 112. si quærat quis quomodo homo se auertet ab huiusmodi cogitationibus; Dionisius Carthus. in lib. de remed. tentat. art. 3. respondet conuertendo se ad cogitationem rerum salubrium, & potissimum ad considerationem eorum, quæ pariunt compunctionem, & salubrem timorem, piam compassionem, vtilemque tristitiam; quę omnia non scrupuloso optimum sunt remedium, scrupulosis autem vtilius erit conuertere cogitationem, & considerationem ad alia læta; & si expelli non possint, nihil de illis curandum, sed illis contemptis pergere in bonis operibus cæptis.

123 Alterum remedium est, huiusmodi tentationem spiritus blasphemiæ, & similium cogitationum rerum abominabilium aperire Patri, seu magistro spirituali, & eius instructionem accipere, illique ob temperare. Quare apud Climacum narratur, quod monachus quidam feruens, viginti annis talibus cogitationibus impugnatus, propter abominationem nemini audebat aperire; tandem ex verecundia cum ore confiteri erubesceret, chartæ inscripsit, & cuidam sancto seni se prosternendo chartam tradidit, & eius vultum præ pudore inspicere verebatur. Senex autem cum chartam legisset, subrisit & fratrem subleuans; *fili, inquit, manum tuam pone supra ceruicem meam;* quo facto locutus est senex: *super me sit hoc peccatum,* & ecce antequã frater cellam senis egressus est, a sua tentatione liberatus est. Non fuit enim culpa in tentatione, quia nunquam sibi placuit, sed semper displicuit, & cum molestia patiebatur.

Remedia circa scrupulos iudicij temerarij, suspicionis vel temeraria de proximis.

124 QVoad scrupulos existimationis, & suspicionis temerariæ de proximo, seu iudicij temerarij, quibus plęriq;, pręsertim mulieres, solent vexari; cũ.n. in eorũ intelle-

ctu aliquando, imò etiam sepè, opera Diaboli, vel aliunde excitetur, & insurgat tanquam vera, sinistra, ac temeraria (scilicet sine indicijs, seu rationibus sufficientibus ad id merito sibi persuadendum) cogitatio, seu apprehensio de proximo cum indicijs, seu coniecturis inclinantibus intellectum ad assensum, quibus sibi persuadere videtur, id ita habere; statim ac in illis exoritur talis cogitatio sinistra; seu statim ac simplici actu intellectus cogitantis temerariè concipiunt, vel suspicantur sinistrum aliquid de proximo: existimant, vel dubitant, aut verentur se læthaliter peccasse; ex quo valdè perturbantur, & in talibus cogitationibus in confessione explicandis, non parum se se affligunt, confessarioque grauem adferunt molestiam. Pro remedio.

Aduertendum (vt latè explicat *Molina de iustitia tom.4. tract.4. disp.13.*) solum actum intellectus temerariè apprehendentis, seu cogitantis, aut suspicantis, vel iudicantis aliquid sinistrum de proximo, seu contra famam, & existimationem, quam de proximo habere debemus; nullam per se continere culpam: sed vt sit peccatum, necesse est, præcedat aduertentia rationis circa malitiam moralem (id quod supra latè ostensum est) & etiam accedat actus voluntatis, scilicet voluntas præbeat consensum, quo vel tales actus amplectatur cum delectatione, aut voluntariè non comprimat, & auertat, cum possit; vel etiam imperet; nam culpa, ac peccatum (vt ex supradictis constat) non in intellectu, sed in voluntate, in qua formaliter est ratio voluntarij, & libertas consistit, & consummatur; ac proindè quoties non adest consensus voluntatis plenè deliberatus, non potest timeri culpa mortalis iudicij temerarij, esto negligentia aliqua sit reprimendi, ac expellendi iudicium temerarium, quod est in intellectu, idque etiamsi malitia esset grauis.

Ex quibus, iuxta dicta supra nu.111. colligendum, viros timoratos præsertim scrupulosos, qui tales sinistras cogitationes patiuntur, nunquam aut ferè nunquam peccare mortaliter, quia vel non præbent illis visum consen-

sum,

sum, vel saltem non plenè deliberatum, & sufficientem ad peccatum mortale, sicut eodem nu. 111. dictum est in genere de timoratis, & scrupulosis patientibus quascumque alias prauas cogitationes: imò facilius in hac materia (vt notauit Molina) quam in alijs contingere potest, consensum voluntatis non esse plenè deliberatum propter assuetudinem intellectus iudicandi de rebus oblatis voluntate applicante potentiam intellectus; & concurrente suo imperio cum illa ad iudicia.

125 Quapropter præterea obseruandum, diabolum solere sæpe timoratis, ac scrupulosis offerre huiusmodi sinistras cogitationes de suis proximis, sicut alios infidelitatis, aut blasphemiæ, statim concutiendo ipsorum conscientias timore vano; quod in temerarium iudicium consenserint, peccauerintque lethaliter; & quod necesse illis sit ea de re confiteri, vt pacem illorum turbet, ad amaritudinemque illos perducat, vtque inquieti, & amari, eiusmodique cogitationibus, ac solicitudinibus implicati, deuotionem, ac attentionem ad spiritualia amittant, illis non insistant, insipida illis reddantur, minoremque ad illa habeant applicationem. Atque adeo Pater spiritualis, seu confessarius curet illorum conscientias sedare, eisque persuadere, ea in re (cum illis tales cogitationes non placuerint, sed potius displicuerint,) nullam esse culpam lethalem, sed id totum esse suggestionem diaboli, vt eos perturbet, & auertat a spiritualibus, vel impediat ea quietè, & deuotè exercere. Optimumque consilium sæpè erit, cum confessarius iudicauerit in similibus cogitationibus non interuenire culpam lethalem, præcipere eis, qui illas confitentur, vt nec sibi, nec alijs fateantur, esto diabolus eo vano timore perstrepat. Interdum etiam iuuat confessiones de eis audire, non accuratè, sed genericè potius factas, & si aliud non confiteantur indigens absolutione mittere eos absque absolutione ad sumendam Sacratissimam Eucharistiam; ita enim aliquando melius sedantur eorum conscientiæ, audacioresque fiunt ad eiusmodi vanos timores superandos, dum vident confessarios au-

ctu aliquando, imò etiam ſepè, opera Diaboli, vel aliunde excitetur, & inſurgat tanquam vera, ſiniſtra, ac temeraria (ſcilicet ſine indicijs, ſeu rationibus ſufficientibus ad id merito ſibi perſuadendum) cogitatio, ſeu apprehenſio de proximo cum indicijs, ſeu coniecturis inclinantibus intellectum ad aſſenſum, quibus ſibi perſuadere videtur, id ita habere; ſtatim ac in illis exoritur talis cogitatio ſiniſtra; ſeu ſtatim ac ſimplici actu intellectus cogitantis temerariè concipiunt, vel ſuſpicantur ſiniſtrum aliquid de proximo: exiſtimant, vel dubitant, aut verentur ſe læthaliter peccaſſe; ex quo valdè perturbantur, & in talibus cogitationibus in confeſſione explicandis, non parum ſe ſe affligunt, confeſſarioque grauem adferunt moleſtiam. Pro remedio.

Aduertendum (vt latè explicat *Molina de iuſtitia tom.4. tract.4. diſp.13.*) ſolum actum intellectus temerariè apprehendentis, ſeu cogitantis, aut ſuſpicantis, vel iudicantis aliquid ſiniſtrum de proximo, ſeu contra famam, & exiſtimationem, quam de proximo habere debemus; nullam per ſe continere culpam: ſed vt ſit peccatum, neceſſe eſt, præcedat aduertentia rationis circa malitiam moralem (id quod ſupra latè oſtenſum eſt) & etiam accedat actus voluntatis, ſcilicet voluntas præbeat conſenſum, quo vel tales actus amplectatur cum delectatione, aut voluntariè non comprimat, & auertat, cum poſſit; vel etiam imperet; nam culpa, ac peccatum (vt ex ſupradictis conſtat) non in intellectu, ſed in voluntate, in qua formaliter eſt ratio voluntarij, & libertas conſiſtit, & conſummatur; ac proindè quoties non adeſt conſenſus voluntatis plenè deliberatus, non poteſt timeri culpa mortalis iudicij temerarij, eſto negligentia aliqua ſit reprimendi, ac expellendi iudicium temerarium, quod eſt in intellectu, idque etiamſi malitia eſſet grauis.

Ex quibus, iuxta dicta ſupra nu.111. colligendum, viros timoratos præſertim ſcrupuloſos, qui tales ſiniſtras cogitationes patiuntur, nunquam aut ferè nunquam peccare mortaliter, quia vel non præbent illis vllum conſenſum,

sum, vel saltem non plenè deliberatum, & sufficientem ad peccatum mortale, sicut eodem. nu. 111. dictum est in genere de timoratis, & scrupulosis patientibus quascumque alias prauas cogitationes: imò facilius in hac materia (vt notauit Molina) quam in alijs contingere potest, consensum voluntatis non esse plenè deliberatum propter assuetudinem intellectus iudicandi de rebus oblatis voluntate applicante potentiam intellectus; & concurrente suo imperio cum illa ad iudicia.

125 Quapropter præterea obseruandum, diabolum solere sæpe timoratis, ac scrupulosis offerre huiusmodi sinistras cogitationes de suis proximis, sicut alios infidelitatis, aut blasphemiæ, statim concutiendo ipsorum conscientias timore vano; quod in temerarium iudicium consenserint, peccauerintque lethaliter; & quod necesse illis sit ea de re confiteri, vt pacem illorum turbet, ad amaritudinemque illos perducat, vtque inquieti, & amari, eiusmodique cogitationibus, ac solicitudinibus implicati, deuotionem, ac attentionem ad spiritualia amittant; illis non insistant, insipida illis reddantur, minoremque ad illa habeant applicationem. Atque adeo Pater spiritualis, seu confessarius curet illorum conscientias sedare, eisque persuadere, ea in re (cum illis tales cogitationes non placuerint, sed potius displicuerint,) nullam esse culpam lethalem, sed id totum esse suggestionem diaboli, vt eos perturbet, & auertat a spiritualibus, vel impediat ea quietè, & deuotè exercere. Optimumque consilium sæpè erit, cum confessarius iudicauerit in similibus cogitationibus non interuenire culpam lethalem, præcipere eis, qui illas confitentur, vt nec sibi, nec alijs fateantur; esto diabolus eo vano timore perstrepat. Interdum etiam iuuat confessiones de eis audire, non accuratè, sed genericè potius factas, & si aliud non confiteantur indigens absolutione mittere eos absque absolutione ad sumendam Sacratissimam Eucharistiam; ita enim aliquando melius sedantur eorum conscientiæ, audacioresque fiunt ad eiusmodi vanos timores superandos, dum vident confessarios au-

diris eiusmodi scrupulis eos paruipendere; & mittere eos ad Sacram Eucharistiam absque absolutione sumendam.

Quam praxim seruabit confessarius etiam cum alijs timoratis scrupulosis circa cogitationes infidelitatis, blasphemiæ, rerum inhonestarum, vindictæ, & alias similes.

Remedia scrupulorum circa cogitationes obscænas & impudicas, & præsertim quando offeruntur menti tempore orationis.

126 QVoad importunas, & obscænas cogitationes, siue sint peccatorum præteritorum, siue aliarum turpium voluptatum, quæ aliquando oriuntur ex corruptione naturæ; aliquando, & sæpius a statu peccati conuersis, præsertim de recenti, ad statum salutis Dæmone immittuntur, vt vel frequentibus ictibus cogitationum impudicarũ efficiantur formidolosi, & resiliant a proposito, atq; immoderata absorbeantur tristitia ob persuasionẽ, quod illis consensum præbeant; & sæpissimè huiusmodi importunas, & impudicas cogitationes dæmon excitat tempore orationis; vt vel fructum orationis impediat; vel homo importunitate victus orationis exercitium relinquat; non enim ignorat fraudulentus, quantum bonum sit oratio; propterea malignus huiusmodi cogitationibus, & alijs modis (de quibus Marcus Merula lib. 2. c. 3. de ratione bene, beateque viuendi) piorum, ac Sanctorum orationem conatur interrumpere.

Primo de huiusmodi importunis, & obscenis cogitationibus non multum est curandum, modo homo voluntate propria non consentiat iuxta supradicta; Accidunt enim partim ex corruptione naturæ, partim molestatione inimici; Vnde pœnæ potius sunt, quam culpæ, nisi nos proprio consensu culpas efficiamus; Quemadmodum enim vt supra num. 92. & 99. dictum est, motus primò primi, si inuitis nobis oriantur, & sine causa vlla, non reputantur ad culpam; sic, & huiusmodi molestæ cogitationes, & aliæ eiusmodi (de quibus supra) plus inferunt molestiæ quam damni.

damni. Atque hoc etiam obseruandum, quemadmodum in naturalibus non omnium est eadem dispositio, sed diuersa; sic in rebus animi; quidam facilius perferunt frigus; alij cum maiori molestia; sic in huiusmodi tentationibus plus molestiæ vnus perfert, quam alius; eademque ratio est in omnibus tentationibus. Non tamen hinc sumenda mensura innocentiæ, & sanctitatis, sed ex ipsa resistentia, quæ forti animo fit, illas contemnendo, nec consensu deliberato amplectendo.

127 Secundo pro remedijs contra easdem cogitationes notanda sunt sequentia documenta à varijs doctoribus tradita præsertim à *Turrecremata super regulam S.Benedicti. c.4. tract.38. Gersone tract. de exercitijs discretis deuotorum religiosorum & P.Binsf. de tentationibus.*

Primum diligentissimè caueatur, ne quis aliquo modo dicat, aut faciat vel scriptis, vel picturis, vel gestibus, vel figuris quibuslibet contrarium vtriusque sexus, pueris seu iuuenibus, vnde possit in eo causari postmodum turpium cogitationum incentiuum.

Secundum oportet principijs obstare, nec permittere eiusmodi cogitationes radices figere, nam initio sine læsione reijciuntur; at si diutiùs hæserint, nocent; Quod S. Augustinus de honestate mulierum cap. 5. declarat his verbis; *Quomodo si aliquis carbones apprehenderit, si citò eos reiecerit, nihil ei nocebunt, si vero diutiùs tenere voluerit, sine vulnere abijcere non poterit: ita etiam qui ad concupiscendum oculorum deflexerit intuitum, & libidinis malum in corde suo suscipiens, morari in corde suo permiserit, excutere a se sine anima plaga non poterit.*

Tertium qui lõge a se vult repellere omnes malas cogitationes, studeat mentem salutaribus implere; sicut enim clauus clauo pellitur; ita cogitatio mala salutari fugatur. Vnde, & aduertendum, quod cũ mẽs nostra nunquã possit esse otiosa, sed semper aliquid debeat cõsiderare, si aliũde, vel Sacra lectione, vel sancta meditatione, vel S.Sancti illustratione nõ accipit, quod recogitet; ex propria pharetra, inanes, & perniciosas depromit sagitas, idest fomitẽ

concupiſcentiæ, & carnis; vel diuerſas à Diabolo, & mundo recipit impreſſiones: Quare otium multorum malorum, & turpium cogitationum fomentum præbet: Quemadmodum cor, & animam abſtrahere à malo, & à rebus caducis huius mundi, & applicare æternis, ac ſine impedimento per vnionem dilectionis firmiter adhærere Deo, exhaurit maximè fontem turpium cogitationum. Sicut enim ex abundantia cordis os loquitur iuxta Euangelicam doctrinam *Matth.* 12. & rerum omnium magiſtram experientiam: ſic & cogitationes exeunt de corde. Si pium, & charum Deo cor, pia cogitat, & pia loquitur, Deum, quem ex toto corde diligit, mente reuoluit, ac de eo libenter loquitur; ſi vero cor prauum exiſtat, impoſſibile eſt pro tali tempore, ſanctas prodire cogitationes. Nam iuxta qualitatem ciborum de ſtomacho ructus erumpit; & boni & mali odoris, flatus indicium eſt; *Vbi enim, Matth.6. eſt Theſaurus tuus, ibi eſt, & cor tuum.*

Quartum ad eaſdem cogitationes expellendas prodeſt aliquid ſalutaris pœnitentiæ aſſumere, vt tentatus Deum melius ſibi conciliet; quia facilè ſua gratia Deus ab omni tentatione nos eripit.

28 Quintum, cum quis ſe vult tradere deuotioni, & ſpiritualibus exercitijs, & non habet notitiam S. ſcripturarum, & earum rerum, quæ ad directionem in ſpirituali vita, & ad regimen conſcientiæ ſpectant, debet eligere, & habere bonum directorem, & conſiliarium fidelem, expertum, deuotum, diſcretum, & Deum timentem; de quo audeat, & poſſit totaliter confidere, & conſcientiæ ſecreta ex toto eidem reuelare. Quod ſi non fit, continget ipſum periculoſius errare, quā aliquem, qui ſimplici graditur via. Hinc.

129 Sextum documentum, & ſimul optimum remedium contra cogitationes, & etiam alias omnes tentationes eſt, eas ſe poſita omni verecundia, & timore patri, ac magiſtro ſpirituali ſuo, ſeu confeſſario à ſe electo, vt ab eo dirigatur, aperire; ſic ex ſupradictis circa cogitationes blaſphemiæ conſtat, & omnes antiqui Patres tradiderunt: *Nullatenus enim* (*vt dicitur in Collationibus Patrum cap.* 10.) *decipi poterit* *quiſ-*

quisquis non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorationi eius callidus hostis illudere, qui vniuersas suas cogitationes, in corde nascentes perniciosa verecundia in corde nescit obtegere, sed eas maturò examine seniorum, vel reprobat, vel admittit illicò, Namque vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit & antequam discretionis iudicium proferat, serpens teterrimus virtute confessionis, quodammodo dehonestatus discedit.
Nihil maiori odio prosequitur inimicus, quā quod ij quos ipse callidè ad malum tenat, præsertim iuuenes, & in spirituali disciplina nouitij, cogitationes, & consilia pessima suis patribus spiritualibus, aut confessarijs, siue intra, siue extra sacramentalem Confessionem aperiant. Sequitur enim inimicus noster (vt rectè, & elegāter Binsfeldius) morem nequissimi cuiuspiam amatoris, qui puellam honestorum parētum filiam, vel vxorem alicuius probi viri volens seducere summopere curat, vt verba, & consilia sua occulta maneant; nihilque magis reformidat, ac ægrius fert, quàm vt puella patri suo, vel vxor marito suo patefaciat, cum sciat hoc pacto suos conatus futuros irritos, & absque vllo effectu. Ad eundem modum obnixè satagit Diabolus, vt anima, quam circumuenire vult, ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas: indignatur autem maximè, & grauissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali magistro molimina sua detegantur, ex quibus de suis conatibus actum esse intelligit. Postquam autem persona exposuit patri suo spirituali, vel confessario genericè illam, vel illam cogitationem, seu suggestionem, ac tentationem; non est necessariam, (vt in præcedentibus remedijs dictum est) vltra aliquid in speciali dicere, nisi fortè, vt intelligi possit ex qua causa sit orta, vt melius, & tutius remedium dari possit.

130. Septimum, & vltimum, semper memoriæ retinendum est; tentationem turpium cogitationum vinci communiter melius eam contemnendo, vel obliuioni tradendo: quam multum cum ipsa litigando, repugnando, & disputando; qualis resistentia negatiua maximè adhibēda, cum huiusmodi immoderatæ, & turpes cogitationes occurrunt

tempore orationis; tunc enim præsertim non est illis resistendum cum extremo labore, & fatigatione cerebri, & virium: quæ sic haud facile perseuerare posset, & oratio res molestissima videretur; Cum maximè oratio non sit opus nostrarum virium, sed humilitatis, & Diuinæ gratiæ. Quare confugiendum ad Deum, vt non patiatur nos tentari vltra quod possumus; Sed doceat nos orare, cohibeatque inimici conatus. Præterea Angeli nostri Custodes inuocandi, vt prohibeant inimicorum impetum, & ante orationem anima mumienda est præparatione, & in processu orationis vigilantia adhibenda, ne in huiusmodi cogitationibus, & alijs malis, vel vanis occupemur. & prædicta quoad timoratos.

Similitudines proponendæ ijs, qui voluntariè permittunt obscænas cogitationes, vt illas horreant.

131 CÆterum quoad libertinos, qui turpes cogitationes voluntariè admittunt, seu permittunt in mente morari, placet scribere nonnullas similitudines, quibus confessarius illis poterit persuadere, vt omni modo eiusmodi tentationes, seu cogitationes, immundas, & luxuriosas horreant, & ex pauescant, quas ponit Cæsarius Aurelianus hom. 3. *de fugiendis cogitationibus turpibus, & etiam Binsfeldius descripsit. Attende, ait, ibidem Cæsarius, quomodo si aliquis in vestimentis nostris flegmata, vel sputa proijciat, ita nobis horrorem faciunt, vt nec oculis aspicere, nec summis saltem digitis velimus attingere. Et si nobis sputa, quæ sine peccato proijciuntur, horrorem incutiunt in vestimentis nostris; puta cogitationes libidinosa, quas Diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt Deo in animabus nostris? Et sputa, & flegmata si perhorrescimus, quæ vtique inuiti accipimus; quanto magis cogitationes sordidas, quas cum nostra voluntate in corde nostro motas habere permittimus, opus est cum Dei adiutorio celerius respuamus?* Alia similitudo ex eodem. *Quod si in templum Dei, de lignis, & lapidibus quisque porcos, vel canes introducat, aut lutum mittat, aut stercora*

spar-

spargat, ita offenditur animus noster, vt illum per quem negligentia ipsa facta flagellare velimus. Et cum hæc ita sint, quid de nobis cogitamus, si animabus nostris, vbi sunt templa Dei viuentia, multo peiores, quam sunt stercora, cogitationes luxuriosas, vel malignas suscipientes Deo, qui in nobis habitare dignatur, iniuriam irrogemus? Alia. *Si te in conuentu populi aliqua famosa meretrix, expansis manibus amplecti, aut osculari conetur, vtrum hoc libenter, & patienter aspicies! Nonnè magis eam, & manibus repellis & in faciem conspuis, timensne forte qui viderint hoc, ex consuetudine fecisse diiudicent. Certum est enim, quod non solum qui honesti, vel casti sunt, hoc à se fieri non permittant, sed etiam illi, qui in secretis luxuriæ seruiunt, meretricum amplexus in conuentu hominum perhorrescant, plus timentes opprobria hominum in publico, quã Dei præsentiam in occulto, si ergo propter iudicia hominum nullus est, qui velit publicè à meretricibus osculari, quare in secreto conscientiæ immundissimas meretrices, idest cogitationes luxuriosas, & impias non solum frequenter excipere, sed etiam non paruas moras habere permittimus!* Alia. *Nunquid est vllus homo, qui super secessum, vel cloacam vermibus plenam velit diutius stare, & eorum putredinem ventilare! Corpora nostra fœtorem cloacæ non sustinent, & corda cogitationi luxuriosæ consentiunt! & vide, quæ pars possit exhalare maiorem putorem: Si bene, & iustè iudicas incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quam cloaca: Quomodo ergo in loco fœtoribus pleno diu stare nolumus corpora nostra: sic cogitationes luxuriosas, & sordidas, ne ad momentum quidem moras habere permittimus, in animabus, vel in sensibus nostris.* Hæc Cæsarius Aurelianus: & nos prosequamur aliam remedia scrupulorum specialia.

SVMMARIVM §. SEPTIMI.

132. *& pluribus seqq. Scrupulosi circa delectationes de opere, seu obiecto malo cogitato, & circa motus appertus sensitiui, & carnis inhonestos, & eorum remedia.*

132 *Affectus, seu actus voluntatis duplex: efficax vnus, scilicet desiderium: alter simplex complacentia: seu delectatio.*

Sim-

133 *Simplex delectatis quandonam careat culpa, quando culpabilis, & quid proprie sit delectatio morosa.*

134 *Delectatio simplex alia de solo opere malo cogitato, alia de sola cogitatione, alia de vtroque simul.*

135 *Delectatio de sola cogitatione, & speculatione operis mali, quando contingit sine culpa, quando cum peccato.*

136. & *duobus seqq. Delectatio morosa de opere malo cogitato, vel de opere, & cogitatione simul est mala venialiter si opus sit leuiter malum, mortaliter vero, si opus sit grauiter malum, & procedit in quacumque materia; & non solum in materia luxuriæ, siue venerea.*

135 *Delectatio morosa voluntatis de opere, seu obiecto mortaliter malo, non est mala præsertim mortaliter, nisi tendat in illud quatenus malum, & malitiam proximè fundat.*

Ibidem, & 149 *Discrimen inter simplicem delectationem, & efficacem voluntatem, seu desiderium operis mali exteriùs exequendi, quoad participandam malitiam ab obiecto.*

141 *Delectatio morosa de opere malo ex sola lege positiua, vel prohibito ex voto, aut iuramento non est mala mortaliter.*

Ibidem Discrimen inter delectationem appetitus rationabilis, & delectationem appetitus sensitiui de copula carnali in eo statu, in quo est licita.

142 *Delectatio morosa de solo modo operandi male non est mortaliter mala*

143 *Delecta. io de opere malo non præcisè, sed propter effectum bonum ex eo secutum, sicut & delectatio de solo effectu, ipso bono secuto, non est mala.*

144 *Delectatio morosa de copula cogitata cum coniugata, vel moniali, vel consanguinea vel affine, an præter malitiam fornicationis habeat aliam malitiā specie distinctam in confessione explicandam.*

145. & 146 *Delectatio coniugati, vel habentis votum castitatis, de copula fornicaria cogitata, an præter malitiam fornicationis, habeat malitiam iniustitiæ, vel sacrilegij.*

147. & 148 *Delectatio simplex voluntatis præsens de actibus, seu obiectis mortaliter malis cogitatis sub conditione auferente malitiam, nempè si essent licita, an sit peccatum mortale,*

vel

vel a peccato excusetur, etiam si essent de actibus, a quibus malitia, neque per diuinam potentiam in re separari non potest.

.49 *Quod delectationẽ conditionatam appetitus sensitiui de obiecto mortaliter malo concluditur semper esse mortalem, si sit morosa, scilicet perfectè libera.*

Ibidem Imaginatio non potest (sicut intellectus) repræsentare appetitui obiectum delectabile, sub aliqua conditione, licet aliqui contra sentiant.

Ibidem In praxi tutius est abstinere etiam ab omni delectatione voluntatis de re venerea sub conditione auferente malitiam ob periculum consensus, vel excitationis motus carnalis in appetitum sensitiuum.

150.151.152.& 153 *Delectatio morosa coniugis de copula coniugali cogitata cum altero coniuge, cum quo ob absentiam, vel aliud impedimentum morale, vel phisicum, non potest actum coniugalem exercere, præsertim si sit talis delectatio in appetitu sensitiuo, an sit mortalis.*

150.154.& 155. *Quid de delectatione viduorum de copula maritali præterita cogitata.*

150.156.& 157 *Quid de delectatione morosa sponsorum de copula coniugali tempore matrimonij habenda.*

158 *Quid de delectatione sponsorum de tactibus, aspectibus, & verbis libidinosis cogitatis.*

159.& tribus seqq. *Delectationibus, & motibus venereis appetitus sensitiui, an sub mortali sit resistendum positiuè, an vero sufficiat negatiue, præsertim, si actu displiceant voluntati.*

163 *Delectationibus, & motibus venereis appetitus sensitiui, & carnis, ac ipsi pollutioni dare causam ad genus luxuriæ non spectantem, sed ad alium effectum de se, & ex intentione operantis ordinatam, non est peccatum contra castitatem, vel tantum veniale, secluso periculo consensus in delectationem, vel in opus ipsum venereum, perficiendum.*

Ibidem Pollutio per se non est mala, sed taliter volita.

164 *Dare deliberatam causam motibus venereis, & pollutioni spectantem de se ad genus luxuriæ, & notabiliter, ac proximè in ipsam seminis effusionem influentem absque vrgenti necessitate,*

vel

vel honesta causa id faciendi est peccatum mortale contra castitatem.

165 *Secus si causa apponatur, vel ab ea non cessetur ex necessitate aliqua, aut honesta causa.*

166 *Quid de confessario audiente confessiones, & chirurgo tangente, vel vidente verenda fœmina cum periculo pollutionis, & de nonnullis alijs actibus cum simili periculo absque periculo consensus in pollutionis delectationem; & quid si adsit periculum consensus.*

Ibidem In aliquibus casibus, quis potest exponere se periculo peccati, nec deserere eius occasionem, si habeat iustam causam id faciendi, & semper determinatus sit non peccare.

Ibidem versus finem Refricare pudenda ad arcendam molestiam ingentem orientem ex pruritu cum periculo consentiendi in pollutionis prauisa delectationem, an sit peccatum mortale.

167 *Non est peccatum mortale in genere luxuria dare causam, seu exercere actionem ad genus luxuria, non spectantem, in qua motus venereus, vel pollutio ipsa subsequenda prauidentur, licet causa, seu actio in alio genere, puta gula, sit illicita, & etiam mortalis, dummodo absit periculum consensus in malum.*

Vnde replens se nimio cibo, vel potu, sine vlla necessitate dormiens supinus, vel otiosè iacens in lecto, confessarius audiens confessiones ob inanem gloriam, equitans absque vlla honesta causa, otiosè confabulans cum fœmina, licet ex predictis prauideatur probabiliter secutura pollutio, non peccat mortaliter contra castitatem.

168. & 169 *An peccent saltem venialiter contra castitatem, negat Ariaga, affirmant alij, si periculum pollutionis sit morale, & proximum.*

170 *Minus periculum consensus in pollutionem, vel eius delectationem, & si detur occasio pollutioni secutura in somno, quam in vigilia.*

171 *Res periculosa est dare predictas causas delectationum venerearum, & pollutionis spectata natura corrupta fragilitate.*

172 *Quid si motibus venereis, & pollutioni cum prauisione detur causa*

causa ad genus luxuriæ spectante sed venialiter tantum culpabilis, an tunc committatur peccatum mortale contra castitatem, seu pollutio ipsa sit mortalis, negant Doctores magis communiter.

173 *Amplexus, oscula, tactus, & aspectus leuiter impudica habita solum ex ioco, leuitate, vel curiositate, aut vanitate secluso periculo &c. sunt tantum peccata venialia; & qui sint tactus, & aspectus leues.*

174 & 175 *Quid si fiant ob captandam solam delectationem sensualem prouenientem ex sola proportione, & connaturalitate rei tactæ, vel visæ cum organo tactus, vel visus.*

176. & *tribus sequentibus Quid si tactus, & aspectus leuiter impudici fiant ob captandam modicam illam, & leuem delectationem libidinosam, quæ ex ipsis oritur. Vbi an in materia luxuriæ & delectationibus venereis detur paruitas excusans à peccato mortali.*

180 *Sola membri genitalis erectio non est obiectiuè mala contra castitatem, scilicet cum contingit absque spirituum genitiuorum commotione, & titillatione venerea, sicut contingere potest.*

Ibidem Commotio *spirituum generationi inseruientium, delectatio venerea, & ipsa pollutio, seu seminis effusio potest contingere sine membri genitalis erectione, & exemplis declaratur.*

181 *Motus carnis venerei, scilicet ipsa membri erectio coniunctam habens spirituum commotionem, & ipsa spirituum genitiuorum commotio absque membri erectione, an obiectam malitiam contra castitatem habeant, & quando grauem, quando leuem; & quando illis consentire sit peccatum leue, vel graue.*

182 *Quæ delectatio morosa venerea modica, & parua iuxta communem Doctorum, & veritatem sit peccatum mortale.*

183. & *duobus sequentibus An omnis actus mortaliter turpis, seu qui in genere luxuriæ est peccatum mortale, si in eo præuideatur pollutio subsecutura, habeat specialem malitiam pollutionis, & contra naturam; & qui sint huiusmodi actus mortaliter turpes.*

Recol-

§. SEPTIMVS.

De scrupulis circa delectationes de opere, seu obiecto malo cogitato, & motus appetitus sensitiui, & carnis inhonestus, & venereos seu libidinosos.

132 ALios vexant scrupuli circa delectationes actus, seu obiecti mali præsertim venerei cogitati, seu intellectu apprahensi, & concepti, qui scrupuli sunt frequentes, & importuni, valdeque perturbant timoratos pusillanimes, sicut & scrupuli circa motus corporis, & appetitus sensitiui inhonestos, seu delectationes venereas, & in appetitu sensitiuo insurgentes, & pollutionem, eo quod vereantur semper illis prębuisse deliberatum consensum expressum, vel non restitisse, vel causam voluntariè dedisse: vt igitur horum scrupulorum circa delectationes, & motus inhonestos remedia particularia cognoscantur, oportet hic breuiter explicare, quandonam peccetur delectationibus, & quando non. Itaque.

Affectus voluntatis duplex, alius efficax, alius simplex complacentia seu delectatio, & quando dicatur morosa.

OBseruandum primo duplicem esse voluntatis affectum, seu consensum circa obiectum ab intellectu conceptum, & illi propositum, seu repræsentatum; vnum efficacem, qui est voluntas, seu propositum, aut intentio exequendi, quod cogitatum est, seu re ipsa consequendi obiectum cogitatum; alterum inefficacem, quæ est simplex

plex complacentia, amor, siue delectatio de actu, seu obiecto cogitato, absque voluntate, & desiderio executionis seu exequendi actum, seu rem cogitatam, & de hoc affectu voluntatis, seu simplici delectatione, seu complacentia hic sermo est.

133 Obseruandum secundo hanc delectationem aliquando oriri, seu excitari necessario sine libertate, quia inaduertenter oritur in nobis: & tunc non est peccatum, cum non sit voluntaria, seu libera: cum enim subita appræhensione obiecti turpis ante rationis aduertentiam excitata appetitus naturaliter commouetur, talis motus est primo primus, & omni culpa carens, vt constat ex dictis supra; aliquando vero est voluntaria, & libera, quia post perfectam aduertentiam, seu cognitionem malitiæ obiecti appræhensi, vel delectationis iam naturaliter excitatæ, volũtas illi delectationi consentit, illamvè deliberatè admittit condelectando in ea: nullovè modo resistit, vel illum excitat voluntariè sibi in eo actu, seu obiecto cogitato complacens; & hæc delectatio a Doctoribus dicitur *morosa*, non quod moram temporis requirat, sed quod post plenam rationis animaduersionem voluntas eam ex professo, & liberè admittat, seu in eadem persistat consentiendo, consensumvè ei præbens; quod temporis momento fieri potest; tunc enim statim peccatum consummatur: seu datur, quando data perfecta cognitione, seu aduertentia malitiæ obiecti turpis, voluntas deliberatè ei adhæret cõdelectando in eo, vel consentiendo in opus malum consideratum exterius perficiendum; ac proinde tunc datur delectatio morosa in peccato, quando vel in eo per intellectum cognito, vt tali sibi complacet; & illi consentit; vel illud imperat: Quapropter non dicitur delectatio morosa a mora temporis, seu inhæsionis absolutè loquendo, sed a mora temporis præeunte aduertentiam rationis, & liberum consensum, ita vt homo aduertat ad malitiam obiecti, & illi consentiat, ac condelectetur in ea. Ita *S.Tho. 1.2.quæst.74.art.6.ad 3.& alibi. Nauar. in man. cap. 11. num. 13. Syluester, & alij sum. v. delectatio, Azorius p. 1. lib. 4. c. 5. quæst.*

5.q.4.*Vasquez* 1.2.*disp*.105.*cap*.4.*& disputat*.107.*cap* 3. *Sanchez lib*.1.*summa cap*.2.*num*.1.*Fagundez in decal. lib*.9. *cap*.1. *num*.6.*Layman lib*.1.*tract*.3.*cap* 6.*num*.5.*Ariaga* 1.2. *disp*.47. *num*.1.*& Theologi communiter*.*Dixi,ex professo,& libere permittat, seu in ea consentiendo persistat*. Nam & si ratio aduertat motum sensibilis delectationis in appetitu sensitiuo ex subita apprehensione actus,seu obiecti turpis,ac mali excitatum;tamen potentia sensitiua interior, scilicet imaginatio,seu phantasia,& appetitus sensitiuus,a phantasia moueri natus(vt supra num.102 notatum est) non est subiecta rationi dispoticè, sicut seruus Domino (quo pacto rationi obedit potentia loco motiua v.g.manus,pes)sed politicè, sicut ciuis consuli, cui etiam aliquando repugnat ex Aristotele 1.*Politic.cap*.3. *& Ethic*.3.*cap.Vlt*. Constat namque experientia manum, aut pedem , aliamvè corporis partem habentem in se potentiam loco motiuum non moueri, aduertente ratione, ac volontate prohibente, & motam cessare à motu statim ad voluntatis imperium;nō sic autem phantasiam, seu imaginationem, & appetitum sensitiuum,sed apprehensiones, & imaginationes, ac cogitationes,& appetitus sensitiui motus repugnante voluntate excitari, & etiam perseuerare, & post repressionem iterum insurgere eadem voluntate renitente; sicut in se ipso expertus deplorat Apost. *ad Rom. sentio aliam legem in membris meis &c*. Hinc ergo fit, vt sæpe etiam post rationis animaduersionem perseueret in appetitu motus delectationis de obiecto prauo sine vllo voluntatis libero consensu; & absque culpa; & ita delectatio illa non sit morosa, licet moram temporis habeat: ita Caietanus, & Bresserus locis supra *dictu nu*.102.*citatis,Sanchez d. lib*. 1.*cap*.1.*num*.19.& prius docuit Aluarus *de Eucharistia*. *q*.4. *vbi ait: quamdiu ratio resistit, & si superare non possit,nulla culpa est, sed materia exercenda virtutis, & res magni meriti*.

Dele-

Delectatio morosa alia de opere, seu obiecto cogitato, alia de sola cogitatione alia de vtroque simul.

134 OBseruandum tertio delectationem tripliciter posse contingere. Primo de ipso actu, seu obiecto cogitato tantum (v.g. de fornicatione, homicidio, adulterio, aut quouis alio opere, quod sit malum, & peccatum) ita vt formalis ratio delectandi sit ex ipso opere seu obiecto malo cogitato, cognitio verò sit tantum conditio proponens, & applicans obiectum, seu opus cogitatum, vt delectabile. Secundo de ipsa cogitatione, seu speculatiua cognitione v.g. fornicationis &c. ita vt formalis ratio delectandi sit ex ipsa cogitatione, solum tanquam obiecto pulchro, & iucundo. Delectatur enim anima nostra in considerando, & præcipuè noua, aut mira; & ita dum occurrit aliquis subtilis modus malè operandi, cogitatio illa tanquam subtilis, aut mira, aut noua inhærens animo parit naturaliter delectationem, quod præcipuè potest accidere curiosis, & affectis ad subtiles inuentiones, vt notauit Caietanus loco mox allegando. Delectamur ergo huiusmodi res intelligere, & etiam videre, vel audire narrari, etiam si ipsas detestemur, ac proinde notitia apprehenditur, vt bonum delectabile, non autem res ipsa secundum se, nisi quatenus subit rationem veri, rari, admirandi, quomodo est obiectum notitiæ, & mediante notitia oblectat; quod nihil aliud est, quam cognitionem ipsam delectare, & esse immediatum delectationis obiectum. Tertio delectatio esse potest de vtroque simul, scilicet de opere, seu peccato cogitato, & de ipsa cogitatione, ita vt ratio formalis delectandi sit ex actu, seu opere cogitato, & etiam ex ipsa cogitatione. Hinc triplicem modum delectationis aduertit Caietanus *d.v. delectatio versiculo rursus ex parte rei &c.* quem & alij etiam sequuntur, & tali distinctione delectationis supposita diuersas statuunt conclusiones circa malitiam delectationis de obiecto

malo, seu actu, aut opere cogitato, quod a parte rei est peccatum, & vt tale apprehenditur. Quare.

Delectatio morosa de sola cogitatione, & speculatione operis mali, ex se non est peccatum.

135 OBseruandum quarto delectationem morosam de sola cogitatione, seu speculatione ipsius operis mali, non esse ex se peccatum, ita *Caietanus vbi supra Syluester v. delectatio nu.* 2. § *tertium Corduba in quæst. lib.* 1 *q.* 23. *dub.* 11. *Azorius* 1. *p. lib.* 4. *c.* 6. *q.* 1. *Sanchez d. lib.* 1. *sum. cap.* 2. *n.* 3. & 4. *Lessius de iust. lib.* 4. *cap.* 3. *nu.* 108. *Fagundez d. lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 19. *Layman d. cap.* 6. *nu.* 2. & *alij doctores*, & ratio est primo, quia in hoc casu obiectum delectationis est ipsa sola cognitio rei malæ, vel subtilis modi illam operandi, quæ per se mala non est; imò interdum bona, veluti si quis de rebus turpibus cogitet docendi, aut disputandi, vel admonendi causa: Secundo quia fieri potest, vt cogitatio ipsa delectet, dum intelligimus, qua dexteritate, vel subtilitate res facta sit, aut fieri possit, & res cogitata displiceat, nec delectet. Sicut aspectu duelli, vel alterius rei iniustæ potest quis delectari, ac videre, quod subtiliter, ac ingeniose aliquid fiat, quod fortiter, & strenue pugnetur: & similiter, cum in comedijs, vel extra narrantur furta, fraudes, & insidiæ mirabili dexteritate patrata, oblectamur; non quod de malo gaudeamus, sed quod curiosa naturaliter delectent. Similiter, & si bellum sit iniustum, potest quis cogitatione se fingere ducem strenuè ducentem exercitum, mutas insidias parantem, fortiter pugnãtem, & in hac cogitatione delectari absque delectatione de vulneribus inflictis, aut incedijs. Tertio probatur a priori, quia delectatio sumit totam malitiam, & deformitatem, & conditionẽ ab obiecto, seu opere ex quo oritur iuxta *Aristotilem* 10. *ethicorum cap.* 3. *ad finem cap.* 4. & *cap.* 5. Sed obiectum huius delectationis de cognitione sola rei malæ non est quid malum, & peccatum, sed vel bonum, vel indifferens, nempè ipsa cognitio veritatis, vel cogitatio quædam noua, mira,

mira, subtilis, vel ingeniosa, seu cognitio, aut visio rei raræ, admirandæ ingeniosæ, in qua cognitione nullum reperitur peccatum, & eam homines magni existimant, etiam si obiectum circa quod versatur, maximè detestentur; ergo talis delectatio non est per se mala, & peccatum, ne veniale quidem. Et hoc modo delectantur homines visione, narratione, aut lectione duellorum, & præliorum (vt dixi) & etiam rerum admirandarum, quæ per artem magicam fiunt, imò etiam eorum, quæ ad res venereas, & opus generationis, & conceptum prolis pertineat absque tamen vllo affectu ad res ipsas. Confirmatur, quia talis delectatio de sola cogitatione rei malæ etsi venereæ non est contra aliquod præceptum, non contra illud. *Non mechaberis*, nec contra illud, *non concupisces*, quia talis non vult mechari, neque concupiscere alienam, imò ei omninò displicet; ergo talis delectatio per se non est peccatum. Dico per se, quia per accidens potest esse mala, & peccatum; & quidem veniale, si cogitatio sit otiosa, & ex sola curiositate; mortale vero, si habeat annexum periculum consentiendi in ipsis rebus malis cogitatis faciendis; vel ne ipsæ res per se placere incipiant, vt solet ex nimia curiositate, & delectatione indè orta sequi. Neque doctrinæ huius obseruandi obstant dicta tum sancti Gregorij *lib.4. moral. cap.19. ad illud Ieremiæ 4.* Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ, & ad illud Iob.31. *pepigi fœdus cum oculis meis &c.* vbi damnat delectationes non solum de operibus malis, sed etiam de ipsis cogitationibus earundem rerum: tum *Sancti Augustini* 12.*de Trinit.cap.*1. vbi ait, *Totus homo damnabitur; nisi hæc quæ sine voluntate operandi*. Sed tamen cum voluntate *animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittentur;* non obstant inquam, quia locuti sunt de consensu, & delectatione cogitationis simul, cum consensu delectationis ipsius operis mortaliter mali, quæ delectatio de vtroque est mala, & peccatum iuxta ea, quę infra tradũtur. Addo, dum D.Aug. dicit ob solam delectationem cogitationis totum hominẽ

esse damnandum, posse intelligi (vt explicat Corduba) voluisse id tantum ad summum esse veniale peccatum, ob quod totus homo erit ad tempus in purgatorio beatitudine priuandus, nisi in hac vita satisfaciat; vel quod is, qui contemnit ista peccata venialia, facilè labi potest in mortale, ob quod perpetuò damnabitur; & quo ad priorem intelligentiam facit illud, quod idem D. Aug. dicit in *lib. de mendacio c.6.* & habetur c.si quis 2.q.1.scilicet, quod mentiendo etiam pro vita hominis saluanda, amittitur vita æterna: vbi non intelligitur omne mendacium etiam officiosum esse mortale, sed veniale tantum, & quod ad tempus priuat vita æterna, beatitudineque, dum pro eo in igne purgatorio satisfit.

Delectatio morosa de opere malo cogitato, vel de opere, & cogitatione simul est mala, & venialiter, si opus sit leuiter malum; mortaliter, si opus sit grauiter malum.

136 OBseruandum, quintò, omnem delectationem morosam (scilicet directè, & expressè voluntariam, & liberam, quia post præcedentem plenam, & perfectam aduertentiam, & deliberationem rationis voluntas eam elicit, vel admittit, seu in ea consentit) de obiecto, seu opere ipso malo, & peccato cogitato, vel de vtroque simul, scilicet de cogitatione, & ipso opere malo, esse malam, & peccatum; ita vt si obiectum, seu opus existat leuiter malum, & peccatum veniale. v.g. officiosum mendacium, immoderata comestio, etiam delectatio de eo, seu consensus in eam delectationem est peccatum veniale; si autem obiectum, seu opus existat mortale peccatum v.g. fornicatio, homicidium, delectatio de eo, seu consensus in eam habet malitiam moralem mortaliter malam, estque mortale peccatum. Est hæc communis sententia theologorum, & summistarum; quam certissimam, & indubitatam dicit Fagundez loco mox citando. ita ergo docent. *S. Thomas 1.2.q.74.art.8. ibidem Caietanus, & alij Thomista,*

mistæ; idem Caietanus in sum. d. verbo delectatio morosa. Ioannes Gerson p. 2. operum in compendio Theolog. vbi de consensu in delectationem, Syluester v. delectatio q. 1. Armilla verbo cogitatio. Nauarrus in man. c. 11. nu. 13. & c. 17. nu. 11. 16. 17. & 21. Sotus lib. 4. de iustitia q. 7. art. 3. Azorius 1. p. lib. 4. c. 6. q. 1. Sanch. lib. 1. sum. cap. 2. nu. 8. & 9. Lessius d lib. 4. cap. 3. nu. 109. Petrus Binsfeldius tract de tentationibus, vbi de cogitatione, & delectatione morosa: Layman lib. 1. d. cap. 6. num. 4. Bresserus de conscientia lib. 6. cap. 17. nu. 216. Becanus p. 2. tract. 4. cap. 5. q. 5. Fagundez in decalog. lib. 9. cap. 1. nu. 16. & cap. 2. nu. 1. 7. & seqq. Castrus Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 2. puncto 10. §. 2. nu. 4. & 22. Ioannes Sancius loquens de delectationibus venereis disp. 21. nu. 25. & alij quos Fagundez d. cap. 2. num. 13. allegat, & de delectationibus venereis, vel consensu in eas vniuersaliter tenent etiam *Vasquez 1. 2. disp. 109. cap. 3. & disp. 111. c. 4. & Sairus lib. 8. clauis cap. 7. num. 17.* & si de delectationibus de alijs obiectis, seu operibus mortaliter malis extra materiam veneream id non velint vniuersaliter, sed tantum de aliquibus habentibus notabilem deformitatem, & oppositionem cum aliqua virtute. Hæc sententia probatur primò testimonijs Sanctorum Gregorij, & Augustini numero præcedenti allegatis, & alijs testimonijs eiusdem D. Augustini, & nonnullorum aliorum Patrum, quæ ad id adducunt, & expendunt. Vasquez *d. disp. 109. cap. 3. Sayrus d. cap. 7. num. 9. Azorius & Lessius locis citatis.* Præterea probatur ratione, tum quia delectatio iuxta Aristotelem locis numero præcedenti allegatis sumit suam conditionem, scilicet bonitatem, vel malitiam, ac deformitatem ex opere, ex quo nascitur; ita quod eiusdem bonitatis, vel malitiæ est opus, seu operatio, & eiusdem operis delectatio; ergo si opus est malum, etiam delectatio erit mala, leuiter, vel grauiter, iuxta qualitatem malitiæ ipsius operis: Tum quia delectatio est quædam inclinatio, seu tendentia appetitus, seu voluntatis in obiectum cognitum; ergo, sicut aliæ volitiones, sumit bonitatem, vel malitiam moralem ab eodem obiecto: eadem enim est ratio de delectatione,

ac de alijs volitionibus, & actibus internis voluntatis; siquidem omnibus actibus voluntatis, seu volitionibus commune est, sumere specificationem moralem, sicut & phisicam ex obiecto, vt docuit *S. Thomas 1.2.quæst.18.art.2. & communis sententia*: & indicatur ab ipsa scriptura *Osea 9. facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*: cum enim omnes voluntatis actus, seu volitiones sint quædam tendentiæ in obiectum; si illud genericè sumatur, illæ nec bonæ nec malæ censentur, sed ad vtrumque indifferentes; si vero illud determinetur ad bonum, illæ sunt bonæ; si ad malum, malæ: atque adeo si illud à parte rei, & obiectiuè fuerit grauiter malum, illæ erunt grauiter, moraliter, & formaliter malæ, vt dicto loco Oseæ indicatur. Igitur cum actus iste delectationis internæ, vel consensus deliberatus in eam sit inclinatio, & motus quidam in rem illicitam, & rectæ rationi aduersantem ex necessitate erit eiusdem malitiæ cum illa. Tum quia omne malum morale est rectæ rationi dissonum, & repugnans, ergo rectæ voluntati displicere debet; ergo si non displicet, sed in eo delectatur, illud approbat, & tamquam gratum, & acceptum habet; ergo hoc ipso peccat, & mortaliter, quando moralitas est grauis, & ad peccatum mortale attingens; venialiter, quando est venialis. Confirmatur magis, quia delectatio, vt dixi est tendentia, motus, & inclinatio voluntatis in obiectum cognitum; videtur autem manifestum esse alienum à recta ratione voluntatem deliberatè inclinari in obiectum moraliter malum, & inhonestum. Iterum confirmatur, quia qui delectatur de occisione inimici, vel crudeli tractatione, imaginata, seu cogitata, ita interius afficitur, sicut affici solet is, qui inimicum re ipsa habet præsentem, & in sua potestate, & male tractat; ergo peccat mortaliter contra charitatem; quia illi placet malum graue inimici: illa enim delectatio oritur ex affectu odij, seu complacentia erga malum graue inimici; & similiter, qui sensibiliter delectatur de re turpi venerea v. g. Fornicatione cogitata, ita interius afficitur, sicut qui re ipsa rem turpem exer-

exercet, ergo peccat mortaliter contra castitatem, quia habet complacentiam circa opus, quod grauiter castitati repugnat.

157 Ex quibus patet non in sola materia luxuriæ, sed in alijs etiam rebus omnibus malis delectationem morosam, scilicet voluntariam, & liberam de re, & actu, seu opere mortali, seu consensum in eam esse mortalem; id enim conuincunt rationes adductæ: licet aliter discurrant Vasquez *dict. disp.* 111. *cap.* 3. *&* 4. *& Sayrus dict. cap.* 7. *num.* 3. volentes delectationem de quouis opere malo cogitato grauiter malo, siue per se, & iure naturæ, siue iure positiuo, aut alia ratione prohibito non sumere malitiam moralem ex ipso obiecto, sed ex speciali deformitate, & oppositione ad aliquam virtutem; de qua re ponunt exempla aliquot, in quibus censent esse culpam mortalem ratione huius oppositionis; assignantes rationem differentiæ inter voluntatem efficacem mali exequendi, & simplicem delectationem; quod voluntas efficax, speciem, & malitiam suam totam habet ex opere interno; & consequenter est culpa mortalis, vel venialis pro ratione obiecti; at delectatio, & simplex complacentia interior, cum in eam non deriuetur malitia operis, cum non versetur circa operationem exequendam, nec ex se sit illius causa, malitiam suam non potest capere ex obiecto, sed ipsa secundum se primariè mala est, vel bona; mala quidem si prędictam oppositionem habeat cum aliqua virtute; bona autem, si illa careat; quod latissimè probant. Neque etiam verum est D. Thomam *d. art.* 8. loqui tantum de rebus venereis; vt aliqui putarunt; nam licet in corpore de sola delectatione rei venereæ, seu consensu in eam loquatur; eius tamen ratio (quæ eadem est, ac supra adducta) probat de omni delectatione, cuius obiectum est mortale peccatum. Vnde in solutione ad tertium dicit delectationem de homicidio cogitato esse mortalem. Et idem docuerunt Doctores supra relati, & alij communiter tam antiqui, quam recentiores, qui tamen potiùs in re venerea, quam in alijs vitijs exempla huius delectationis

morosæ exponunt, quod frequentius in illa contingat, & in ea peculiarem quamdam turpitudinem habeat propter commotionem spirituum vitalium generationi inseruientium, & appetitus sensitiui pruriginem, quæ in alijs vitijs, aut non datur, vt in multis, vel si datur in aliquibus, non ita percipitur: & certè si delectari de opere fornicationis omnium (vno, aut altero excepto Doctore) Doctorum consensu est peccatum mortale; ergo etiam delectari de alio quouis opere ex se mortaliter malo; neque enim ratio discriminis afferri potest, vt notauit Armilla *d. v. cogitatio. num.*4. Verum quidem est, quod in delectatione venerea de actu copulæ, videtur habere locum specialis ratio, scilicet quia vniuersaliter à natura permissa tantum, ac destinata videtur eiusmodi delectatio, tamquam dispositio ad generationem, ac multiplicationem speciei, nempe in statu matrimonij; cui, eiusque fini alias multum derogaretur, & hanc eandem rationem approbat Ariaga. *d. disp.*47. *nu.* 14. licet nolit esse sufficientem ad conuincendum delectationem de rebus venereis esse illicitam; sed dicat in delectationibus venereis, vt censeri debeat mortaliter illicitæ, debere concurrere tria: primum, quod per se, & ex natura sua habeant annexos motus carnis graues; Secundum, quod periculum consensus videantur offerre: Tertium, quod per illas, derogetur statui matrimonij; Sed quis negabit, secundum ex se esse sufficiens, vt delectatio morosa de fornicatione sit mortalis? Aliam quoque specialem rationem affert Palaus *d. num.*4. nimirum, quia delectatio de actu, seu obiecto venereo est causa per se, & sua natura coitus, seu pollutionis, cum commoueat appetitum sensitiuum, & spiritus vitales subseruientes generationi excitet; ergo per se est mala, & prohibita; oscula enim, & tactus nulla honesta ratione habiti peccata sunt, quia sunt initium, & causa per se coitus, vel pollutionis; sed delectatio magis, quam tactus, oscula, vel amplexus commouent appetitum sensitiuum ad delectationem similem, maiorique impetu, & efficaciori ad coitum, & pollutionem excitant: & non abest à tali

dele-

delectatione consensus in opus, ergo est peccatum mortale. Verum hæc ratio supponit, quod multi negant, scilicet non posse dari delectationem venerei obiecti in voluntate, quin etiam pręmoueat appetitum, & spiritus generationi inseruientes; non videtur etiam verum, quod sola delectatio appetitus rationalis semper efficacius promoueat ad coitum, vel pollutionem.

138 Ex dictis etiam manet reprobata doctrina Martini de Magistris, & nonnullorum aliorum, quos tacito nomine impugnat *S. Thomas d. art. 8. & Doctores communiter* improbant, scilicet morosam delectationem de re, seu opere mortali non esse peccatum mortale, si quis delectetur in ea re: non quatenus mala, sed quatenus est bona phisicè; eo quia in præceptis diuinis, & humanis sola opera, & desideria eijsdem præceptis contraria nobis prohibeantur, & non delectatio circa illa; quam doctrinam, & si etiam Corduba vbi supra dixerit esse probabilem, & ex parte illi faueat Ariaga *d. disp. 47. sect. 2.* dum dicit nullam rationem efficacem afferri posse, quæ ostendat tales delectationes esse peccaminosas, Azorius tamen *dict. quæst. 1.* merito vocat temerariam; & talem etiam arbitratur Fagundez *d. cap. 2. num. 8.* & videtur satis conuinci ex rationibus supra adductis. Ex quibus rationibus quoque remanet reiecta, & improbata sententia eiusdem Ariagæ *d. disp. 47. sect. 3. num. 8.* absolutè asserentis in materijs omnibus non venereis delectationes morosas de obiecto, seu opere, etiam à parte rei grauiter malo mortaliter, non esse peccatum mortale, secluso periculo consentiendi in opus ipsum exequendum. Qui certè tot difficultatibus, & dubijs, ac inuolucris materiam hanc obnubilat, vt inspectis ab ipso traditis, quid tam de delectationibus morosis in rebus venereis, quàm in alijs rebus moraliter malis iudicari debeat, vix colligi possit. Neque obstat quod eodem *num. 8.* ait, scilicet sine vllo scrupulo peccati grauis viros etiam Sanctos, sæpe delectari, & ridere videndo, & audiendo alios se grauiter excipientes, maximè si sint fœminæ, vbi contentio magis solet esse redicula; idem in bello, & duello (vt supra di-

arctum est, & idem de esu carnis cogitato in die ieiunij, nam non delectantur de ipso opere malo: Sed de nouitate, & speciali modo, vt in pugna fœminarum; vel de dexteritate, vel subtili modo pugnandi, iuxta dicta supra, & dicenda infra: Delectatio autem de esu carnium, in die ieiunij, qua ratione non sit mala, constabit ex dicendis. Igitur,

139 Aliqui doctrinam positi obseruandi limitant procedere in morosa delectatione de rebus per se malis, & iure naturali, vel Diuino vetitis, non vero si quis delectetur de ijs absolutè, & secundum se, quæ ideo tantum mala sunt, quia vel lege positiua, aut humano præcepto, vel voluntario voto prohibita sunt; tunc enim aiunt delectationem morosam non esse peccatum mortale; vt si quis in die ieiunij ex præcepto ecclesiastico, vel voto delectatur de esu carnium cogitato, secundum se, & absolutè, & non quatenus eo die sibi prohibita. Ita post *Adrianum, Gabrielem, & alios, Lessius d. cap. 3. num. 113. & seqq. Diana par. 3. tract. 5. resolut. 5. Palaus d. §. 2. num. 22. & Layman d. cap. 6. num. 9.* Alij vero non admittunt hanc limitationem, ita expressè Sanchez *d. cap. 2. num. 10. Azorius d. quæst. 1. Fagundez d. cap. 2. num. 10.* & alij ex supra allegatis, & quos allegat idem Fagundez asserentes omnem delectationem morosam de opere, grauiter malo, siue per se, siue iure positiuo illud prohibente, esse mortale peccatum; dicunt autem delectationem illam captam de esu carnium in die ieiunij, non esse peccatum mortale, quia non capitur ex re mala quatenu mala, sed ex illius actus substantia, quæ est quid bonum, non ex circunstantia, & deformitate diei ieiunij, in quo prohibetur. Sed hi Doctores re vera non sunt contrarij, idemque sentiunt, vt ex mox dicendis magis constabit, itaque.

Dele-

Delectatio morosa de opere, seu obiecto mortaliter malo non est mala saltem mortaliter, nisi tendat in illud quatenus malum, & malitiam proximè fundat.

140 OBseruandum sexto valde probabile esse, imò fortè probabilius, quod docent multi, nempe *Angelus, & Sà V. luxuria. Azorius d. cap. 6 quæst 3. Vasquez* 1.2. *disp.* 110. *c.* 2. *Sayrus d. cap.* 7. *num.* 19. *Lessius d. cap.* 3. *num.* 23. *Layman d. cap.* 6. *nu.* 9. *& plures alij recentiores*, delectationem de obiecto malo, malam non esse saltem mortaliter, nisi versetur circa illud quatenus malum est, seu quatenus malitiã proximè fundat. Quod probant ex differentia, quę est inter efficacem voluntatem, & simplicem complacentiam, seu delectationem, nam voluntas efficax, cum tendat in obiectum, seu opus prout mandandum executione, tendit etiã in omnes circũstantias, sine quibus mãdari executioni, aut existere aperte rei nequit; sumit malitiam ab obiecto, cum omnibus eius circumstantijs sũpto; at vero delectatio simpliciter versatur circa obiectum abstrahendo ab executione & solũ prout proponitur per cogitationem, & appręhensionem, per quam vnam potest præscindi ab alio, scilicet opus v.g. fornicatio à circumstantia coniugij, monachatus, vel loci Sacri, & ideo est tantum affectio erga idẽ obiectum, seu opus, quatenus expresse id attingit, & cõsequenter non sumit malitiam suam à circumstantijs obiecti, seu operis, nisi circa illas etiam expresse versetur, illasuè attingat: & ex doctrina huius obseruandi deducuntur resolutiones plurium casuum, seu varia corollaria, quibus illa magis explicatur.

Delectatio de opere malo ex sola lege positiua, vel voto an prohibita non est mala mortaliter.

141 PRimum corollarium non est peccatum saltem mortale, delectari de opere illicito extrinsecè ob positiuam legem, vel ob voluntarium votum, si delectatio ver-

fetur tantum circa operis substantiam; v.g. delectari de comestione carniũ in die ieiunij, vel propter votũ prohibita, non quatenus prohibita, sed quatenus vtilis, vel delectabilis, quia tunc delectatio tendit tantum in comestionis substantiam, quæ ex se non est mala; non vero circa circumstantiam, & deformitatem prohibitionis; qua siue sit legis positiuæ, siue voti non vetatur delectatio, sed ipsa comestio in re, & cum tali delectatione stat propositum, & voluntas efficax non comedendi, sicut etiam cum tristitia interna de ieiunij præcepto, vel voto edito, vel de pęnitentia a confessario iniuncta, stat voluntas hęc omnia adimplendi; similiter Sacerdos potest delectari de celebratione sacri, vel administatione Sacramenti, vbi vtrumq; ob aliquod impedimentum excõmunicationis, vel interdicti administrare nõ potest, quatenus Missa, vel administratio esset vtilis audiẽti, vel sumẽti: ita omnes Doctores n.139. relati, & alij. Quod si cum Vasquez 1.2. disp. 100. c.2. obijcias hinc sequi, posse aliquem delectari de copula carnali appræhensa in eo statu, in quo hæc, vel illa mulier esset vxor sua; quia tunc pro eo statu, & substantia est licita, & bona; Respondent Sanchez *d. cap.* 2. *num.* 10. *& 34. & Fagundez d. cap.* 2. *num.* 11. id verum esse loquendo de delectatione appetitus rationalis, de obiecto conditionali, & tali, quod posita ea conditione esset licitum, & sublata illicitum, secluso periculo consensus, commotionis, ac delectationis in parte sensitiua, vt gaudium voluntatis de copula huius, aut illius fœminæ, si esset vxor, non est illicita, sed licita; at delectatio appetitus sensitiui de obiecto est mortaliter illicita, & mala, quia oritur ex commotione corporis, & libidinoso pruritu, qui ex tali imaginatione naturaliter sequi solet, & ideo illa delectatio fertur in obiectum, vt in se est, ac omni conditione spoliatum; ac proinde cum tale obiectum prædicta cõditione nudum sit mortale, delectatio quoque erit mortalis; cum vero delectatio voluntatis seclusa commotione corporis, appetitus sensitiui, & spirituum vitalium inseruientium generationi feratur in obie-

obiectum sub conditione appræhensum, sub qua caret malitia, non est condamnenda tanquam culpabilis, nisi aliqua extrinseca periculi circumstantia ei addatur; si quidem illa delectatio voluntatis nil aliud est, quàm simplex voluntatis motus, ac complacentia quædam, & quies in bono appræhenso, iuxta *S.Thomam* 1.2.*quæst*.3.*art*. 4. ita Sanchez, & Fagundez locis citatis, & prius expresse docuit Caietanus *d. v. delectatio morosa versu: Secundum an delectatio s* quamuis contradicat Palaus allegato §. 2. *num*. 6. existimans etiam delectationem voluntatis de copula sub conditione auferente eius malitiam, si fiat in solutis, esse malam, nō quia ex parte obiecti sit mala; sed ob rationem eiusdem Palai supra num. 137. fine adductam, scilicet quia de facto excitat appetitum, & commouet ad copulam præsentem, quæ solutis est illicita, & quia difficillimè distingui posit delectatio voluntatis a delectatione appetitus; cum habeant huiusmodi potentiæ talem inter se connexionem, vt vix eorum actus distingui possint experientia ipsa attenta, & quia (inquit) si castitas in solutis refrænat delectationem appetitus sensitiui, non apparet ratio, cur non debeat refrænare delectationem voluntatis. ita etiam Diana *p*.3. *to*.2.*tr*.2. *resolut*. 2. verum cur vna delectatio non sit contra castitatem, sit vero altera, apparet ex ipsa respōsione eorundem Sanchez, & Fagundez; quod vero possit delectatio voluntatis esse sine commotione appetitus sensitiui, dictum etiam est supra *d.nu*.137. Verùm quidem est, quod res est valde lubrica, ac proinde tutius, & castius est abstinere a tali delectatione.

Delectatio de solo modo operandi malè non est mortaliter mala.

142 SEcundū corollariū; si delectatio non sit de opere ipso malo, sed tantū de modo operādi male v.g. de fortitudine, vel dexteritate, seu subtilitate, aut artificio, quo v.g. furtū cōmittitur, tauri agitantur, etsi illicitè inimicus occiditur

ditur, ea non est peccatum saltem mortale; & huc spectant exempla tradita supra 135. contingit enim sæpe iuxta eodem num. 135. dicta, vt in otio varia cogitanti, aut legenti, aut audienti, vel comediam spectanti, repræsententur mirabiles modi furandi, alienam sponsam rapiendi, & illi placeat non furtum, raptus secundum se, sed furandi, vel rapiendi modus, arte, & ingenio excogitatus, & ita talis delectatio caret culpa; aliud exemplum ponit *Azorius d. quæst. 1.* scilicet, eius, qui videat hominem ex equo ridiculè, cadentem cum graui læsione, & rideat, ac oblectetur non ob damnum, seu vulnus cadenti illatum, sed ob cadendi, & lædendi modum; iste non peccat mortaliter. ita *Caietanus d. v. delectatio morosa eod. versic. secundum Azorius vbi supra, Sanchez d. cap. 2. num. 3. Layman d. cap. 6. num. 3. Ariaga d. disp. 47. sect. 4. & alij*, quid, quid secus sentire videatur, *Vasquez disp. 111. c. 2.*

Delectatio de opere malo non præcisè, sed propter finem, seu effectum bonum ex eo consequutum, seu quatenus est causa boni effectus non est mala.

143 Corollarium Tertium; non tantum delectatio de solo effectu bono, seu vtilitate secuta ex actu ex se, vel humana prohibitione a parte rei mortaliter malo (v.g. de conseruatione, & tranquillitate rei publicæ sequuta ex occisione Tiranni, de securitate viarum secuta ex latronum interfectione, de prole suscepta ex fornicatione, de sanitate, vel liberatione a graui tentatione sequuta ex pollutione, quæ vel in somno, vel in vigilia inculpabiliter contingit, vel etiam ex fornicatione absque culpa, puta in ebrietate, vel somno, vel dementia, vel vi cōmissa) non est peccatum, cum sit tantum de re bona, & nullo modo versetur circa obiectum malum, vt rectè Ariaga *d. disp. 47. num. 9. & 10. & alij infra allegandi, & communiter Doctores*; sed etiam si quis actu voluntatis delectetur de actu ex se mortali non præcisè, sed propter finem, seu effectum bonum ex eo consequentem, seu quatenus est, causa boni effectus;

fectus;(v.g. delectetur de homicidio inimici, non præcise, sed propter vtilitatem propriam inde sequutam; de interfectione consanguinei propter hæreditatem, quæ inde illi euenit; de occisione Tiranni propter pacem reipublicæ, quæ consequitur; de fornicatione propter prolem susceptam; de pollutione, vel fornicatione absque culpa contingente propter sanitatem, vel liberationem a tentatione inde consequentem) ea delectatio licet attingat actum, seu obiectum malum, quia tamen non versatur circa illud, neque illud attingit præcisè, & quatenus fundat malitiam; sed potiùs quatenus iudicatur continere bonum, scilicet quatenus est boni effectus causa; non est mala: ita *Adrianus in 4. tract. de Euch. §. his præmissis: Nauarus in man. c. 16. num. 7. 8. & 9. Syluester v. pollutio, Vasquez 1. 2. disp. 115. cap. 2. & 3. Sayrus d. lib. 8. cap. 5. num. 15. Lessius de iustitia lib. 4. d. cap. 3. num. 105. & 106. Layman lib. 3. sect. 4. num. 17. Bresserus de conscientia lib. 6. cap. 17. num. 218. versu: Tertio: Fagundez in decalog. lib. 9. cap 4. num. 21. Ariaga loco citato, Castrus Palaus tom. 1. tract. 2. disputat. 2. p. 10. §. 2. num. 11. Diana p. 5. tract. 13. resolut. 99.* & ex parte *nempe, quoad* gaudium de pollutione, *Sanchez d. lib. 1. cap. 2. num. 18.* secus sentiens de delectatione fornicationis, aut homicidij ob finem bonum, & communiter Doctores tam antiqui, quam recentiores, quos referunt *Sanchez num. 15. & 18. & Layman vbi supra, & Fagundez eodem. cap. 4. num. 14. & 18. & lib. 6. cap. 9. num. 36.* quidquid secus senserint nonnulli, quos allegant *Sanchez num. 16. & 17. & Fagundez num. 20.* quorum tamen opinione admissa non inde tamen sequeretur, quod etiam delectari de effectu bono ex actu mortaliter malo, esset peccatum mortale, vt voluit *Vasquez disputat. 111. num. 8.* vbi dicit idem esse delectari de vtilitate, vel commodo prouenientе ex homicidio, & delectari de homicidio sub ea tantum ratione, vt malum proximi est, vel è contra, ac proinde reijcit eos, qui dicunt posse aliquem delectari de vtilitate orta ex morte, non tamen de morte ipsa, vt vtili; Quod non est verum; cnm verè ista duo sint diuersa, & possit esse delectatio de solo effectu bono secuto,

cuto, quæ non attingat actum malum, ex quo ortus est, vt constat ex dictis initio huius corollarij, & declaratur, ac confirmatur; nam cum ea duo obiecta sint realiter distincta, & habeant distinctas bonitates, licet vna causetur de facto efficienter ab alia, potest facillimè quis de vna delectari non attingendo aliam; verum quidem est, quod præsertim quoad pollutionem, tutius est delectari tantum de bono eius effectu, non simul de ipsa pollutione.

Delectatio morosa de copula cogitata cum coniugata, vel moniali, vel consanguinea, aut affine, an habeat malitiam adulterij, sacrilegij, vel incestus in confessione explicandam.

144 Corollarium quartum, si quis delectetur de copula cogitata cum coniugata, vel moniali, vel consanguinea, non quatenus tali, sed quatenus fœmina & pulchra, & obiectum venereæ delectationis, ea delectatio non habebit malitiam adulterij, aut sacrilegij, vel incestus, sed tantum vnicam malitiam fornicationis; quia quatenus versatur circa illam fornicationem, abstulit ab iniuria cōtra maritum, vel Deum, vel pietatem, sed tantum attingit materiam intemperantiæ contra castitatem, iuxta tradita in dicto obseruando sexto. Vnde etiam in confessione non debet explicari circumstantia illa personæ, quod fuerit coniugata, vel monialis, vel consanguinea, quæ foret explicanda, si peccatum opere externo cōsummatum esset, vel fuisset desiderium, & voluntas exequendi exterius peccatum: & idem dicendum, si quis delectaretur de furto in templo patrato tantum, quatenus est sibi vtile, nō quatenus iniurium loco Sacro; ea delectatio contrahet vnicam malitiam iniustitiæ, quia versatur circa obiectum, quatenus fundat hanc malitiam iniustitiæ, non autem sacrilegij. Item qui delectatur de verbis obscænis simul alteri contumeliosis, peccat contra castitatem, non contra iustitiam; quia illa verba, quatenus delectant, fundant proximè malitiam luxuriæ, non iniustitiæ. Quod

si obie-

si obiectum delectationis, qua tale nullam malitiam fundaret, vel tantum venialem, ea vel careret omni culpa vel esset tantum veniale peccatum; vt si quis delectaretur de verbis facetis, alteri contumeliosis, quia faceta sunt, non quia contumeliosa, ea delectatio, vel nullum peccatum esset, si non excedatur modus, vel tantum veniale, si modus leuiter excedatur. Doctrinam huius corollarij, licet non admittant plures (quos refert Sanchez *d. cap.2. num.11. qui eos sequitur, & alij relati a Diana* p.1. tract.7.resolut.48.) asserentes delectationem de obiecto malo, sicut & desiderium ipsum, seu volũtatem efficacem sortiri omnem speciem malitiæ, quam a parte rei habet obiectum; tradunt tamen, & approbant Vasquez 1.2. *disput.112.cap.2.Reginaldus lib.22. num.13. & 14. Azorius 1.p. lib.4.cap.6.q.3.Bresserus d.lib.6.cap.17.num.218.Layman lib.1. tract.3. cap.6.nu.15. Castrus Palaus tom.1. tract.2.disp.2. puncto* 10.§.4. *Diana p.1.tract.7.d.resol.48.par.2.tract.17.resol.34. par.3. tract.4. resolut.67. §. in resolutione 48. & par.5. tract.13. resolut.99. & probabilem putant Lessius lib.4.cap.3.nu.123. Salas Coninch, Bonacinas, & alij,* quos referunt *Diana, & Palaus*, & tandem tenet idem Sanchez d.nu.11. in fine in limitatione, quam apponit conclusioni huic doctrinæ oppositæ. Verum quidem est, quod si fuerit delectatio de copula Sodomitica, vel bestiali; tunc sortietur specialem malitiam (& in confessione explicandam) luxuriæ contra naturam; etsi enim simplex fornicatio, stuprum, incestus, copula cum rapta, & copula cum moniali in genere luxuriæ, sunt eiusdem speciei: copula tamen sodomitica, & bestialis omnino sunt in genere luxuriæ distinctæ a copula fornicationis, & habent specialem contra virtutem castitatis oppositionem, & etiam diuersam inter se; siue talis oppositio illis proueniat a turpitudine obiectorum, quæ respiciant, siue a se ipsis per ordinem ad obiecta. *Ita Vasquez d.cap.2. Lessius d.c.3.nu.22. Reginaldus dict. libr.22. num.13. Palaus d. §.4. num.4. & alij communiter.*

145 Aduertendum etiam, & si simplex delectatio de copu-

L la

la non sumit specialem malitiam ex circumstantijs ipsius obiecti, nisi in illas expressè feratur, accipit tamen aliquando ex circumstantia personæ, quæ delectatur; sic qui habens votum castitatis delectatur de copula fornicaria, vel alio actu venereo, non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra votum, seu religionem, quia votum absolutè emissum, non solum comprehendit opus venereum externum, sed etiam omnem delectationem contra castitatem; cum de hoc emissum sit absolutè, & sine restrictione. ita *Vasquez d. cap. 2. Sanchez d. cap. 2. num. 11. Reginaldus d. lib. 22. nu. 14. Coninch. de Sac. disp. 34. num. 509. Palaus d. §. 4. nu. 4. Diana d. resolut. 34. & d. resolut. 99. & Ariaga d. disp. 47. num. 28.* Secus vero, si quis haberet votum castitatis exterioris tantum, tunc enim non peccaret contra votum per has delectationes venereas simplices morosas, vt colligitur ex Reginaldo, & alijs doctoribus allegatis, qui loquuntur de habente absolutum votum castitatis, & contra Montesinum ait in terminis *Diana d. res. 99. adhærens Gasparo Hurtado de subiecto peccatorum disputat. 4. diff. 10. hoc idem asserenti.*

146 Addit Vasquez *eod. cap. 2.* fine, Coniuges habentes similes delectationes simplices de copula cogitata, cum aliena, vel alieno peccare non solum contra castitatem, sed etiam contra iustitiam; eo quod fides matrimonij obliget non solum corpus, sed etiam mentem, & affectus alterutri coniugi, & consequenter si coniux delectetur de copula alterius a coniuge, iniuriam illi irrogat; & ita sentiunt etiam *Sanchez d. cap. 2. nu. 11. Bonacina de matr. quæst. 4. p. 8. n. 19. versu. Secundus casus Diana p. 2. d. resolut. 34. versu nota & Alphonsus Leo de offic. confessarij. p. 1. recoll. 13. nu. 54.* At probabilius docent oppositum Palaus *d. §. 4. num. 4. Diana p. 3. tract. 6. d. resolut. 73. & p. 5. d. resol. 99. Hurtadus vbi supra, & Ariaga 1. 2. d. disp 47. nu* 28. eo quod minimè verum sit, coniuges sicut per fidem matrimonialem obligant sibi inuicem corpus vsum ad copulæ, ita etiam omninò obligare mentem, & affectum ad abstinendum a quacumque delectatione de copula alterius a sua, vel a suo; sicut ca-

stita-

ſtitatis votum abſolutè emiſſum excludit omnes delectationes etiam non tendentes in opus exterum:& quod coniuges per matrimonium non ſe obligent abſtinere ab his delectationibus: probat Palaus, quia illæ ſunt per ſe incognitæ alteri coniugi, ac proinde ſunt tantum contra temperantiam, non contra iuſtitiam; quia non ſunt alteri iniurioſæ, neque ob illos priuatur copula ſibi debita.

An ſit peccatum ſimplex delectatio præſens de actibus, ſeu obiectis malis mortalibus cogitatis ſub conditione auferente eorum malitiam.

147 EX dictis etiam colligi poteſt, an ſimplex delectatio præſens de actibus, ſeu obiectis mortalibus cogitatis ſub conditione auferente eorum malitiam, ſeu ſi eſſent licita, excuſetur a peccato, ſicut excuſatur a peccato deſiderium, ſeu voluntas efficax exequendi actum malum ſi liceret, iuxta dicta *ſup.n.*110.verſu. Tertio; ita quod ſicut non eſt peccatum ſaltem mortale deſiderium, & voluntas efficax habendi copulam cum fœmina, ſi eſſet ſua; furandi, ſeu accipiendi rem alienam, ſi eſſet licitum; detrahendi, ſi non eſſet peccatum; ita etiam ſimplex delectatio moroſa de ijs obiectis ſub conditione, ſi eſſent licita, cogitationis; nempe delectatio moroſa conſurgens ex cogitatione, & deſiderio habendi copulam cum hac, vel illa fœmina ſi eſſet vxor; vel ex deſiderio, & voluntate furandi, ſi eſſet licitum; aut detrahendi, ſi non eſset malum, non ſit peccatum. Quamuis enim aliqui (vt *Adrianus, Granadus, & Breſſerus* locis ſupra d.n.110.relatis) ſicut tenent licitum eſſe deſiderium de obiectis malis, a quibus aliquo modo ſaltem potentia Dei malitia ſeparari poteſt ſub conditione ſi eſſent licita, & illicitum deſiderium de obiectis omninò malis, a quibus malitia non poteſt ſeparari, etiamſi habeatur deſiderium ſub conditione, ſi eſſent licita; ita etiam abſolutè dicunt licitam, vel illicitam delectationem de ijſdem obiectis conditionatam, elicitam ſub illa conditione, ſi eſſent licita. Et, ſi

etiam *Castrus Palaus loco item supra d.n.*110. allegato;nempè *to.1.tract.2.disp.2.§.3.* ficut affirmat desiderium de quocumque obiecto malo, sub conditione auferente malitiã, .s. si esset licitum non esse peccatũ, ita etiam asserit nõ esse peccatũ delectationem de eodem obiecto malo, sub eadẽ conditione, si esset licitum, conceptam, excipit tamen §.2. *n.5.* delectationem voluntatis de copula sub cõditione cogitata, si esset licita, quam ait esse semper mortalẽ ob rationem ex eodem supra n.141. adductam. s. quia hæc delectatio est præsens, & est causa, & initium coitus, seu pollutionis præsentis, & idẽ quoad hoc docuit, *Vasq.1.2.disp.114. c.2.n.6.* Licet ob aliam rationem, s. quod omnis delectatio voluntaria de copula carnali interna, ficut externa, quãdo non excusatur extante matrimonio, sit peccatum mortale ob specialem deformitatem, & oppositionem cũ virtute castitatis; vult enim Vasq. (vt supra dictum est) delectationes internas voluntatis sumere malitiã non ex obiecto, in quod feruntur, sed ex deformitate, seu oppositione cum aliqua virtute; idem quoq; quod Palaus, sentit Diana *p.3. tract.5.resol.2.fine,* licet quoque *Caiet. in sum. verb. delectatio versus secundum Nauar. Armilla, Medina, Zumel, Valentia Grassius, & Rodriq. quos ad id referunt Sanch. lib.1. sum.c.2. num.31. & Fagundez in decalog. lib.9.c.3.n.14.* asserant, quod etsi quis licitè desideret copulam cum muliere, seu cupiat delectari de copula cum muliere sub conditione, si esset vxor nõ peccat; delectatio tamen voluntaria de tali copula, sub eadem conditione est peccatum mortale; & rationem differentiæ inter desiderium, & delectationem aiunt esse, quia desideriũ fertur in obiectum malũ sub conditione, quę nihil ponit in esse, cum ea conditio non sit re sed sola cogitatione apprehendatur; at vero delectatio cũ sit præsens, non fertur in opus sub conditione, sed de facto, & re vera habetur sine conditione, tenditque in opus tali conditione destitutum, & ita in opus illicitum, & mortale.

148 Nihilominus tamquam probabiliùs videtur delectationem simplicem solius appetitus rationalis, seu volũtatis de quocũq; obiecto malo cogitato sub conditione, si esset licitum,

citum, non esse peccatũ saltẽ mortale, sicut supra d.n.110. dictum est, desiderium de tali obiecto sub conditione, si esset licitũ, seu non esset offensa Dei, non esse malum; & ratio desumitur ex dictis allegato n.110. & n.136. quia delectatio, sicut & desierium, ex quo suppullulat delectatio, non est de tali obiecto quomodocũque, sed tantũ prout est in apprehensione, & affectu; in apprehensione vero, & affectu est licitum, vt cit. nu.110. dictum est; ergo delectatio nõ erit peccatum, sed licita, cum sit de obiecto licito iuxta dicta n.136. Confirmatur quia desideriũ, & volũtas efficax obiecti mali, sub conditione, si esset licitũ, non dicũtur cõditionalia, quia non sint absolutè, verè, & simpliciter in voluntate, sed quia feruntur in obiectũ, sub cõditione apprehensum; in quo statu aprehensionis, cũ non sit malũ, sed licitũ, neq; etiam desideriũ est malũ, & peccatum, vt omnes fatentur de desiderio de obiectis malis, a quibus malitia separari potest, sub conditione si essent licita; & ita etiam delectatio ad desiderium cõsequens, licet verè, & absolutè sit in voluntate, dicitur, & est conditionalis, quia fertur in obiectũ apprehensum sub eadẽ cõditione, si esset licitũ, & quia vt tale, seu in tali apprehensione est licitũ non malũ; ita etiã delectatio volũtatis est licita, nõ mala saltem mortaliter; ita etiam *Sanch. d.c.2.d.n.31.& 33.& Fagundez d.c.3. nu.13. Philiarcus tr.1.de offic.Sacerdotis p.2.lib.4.c.18. & Layman lib.1.tract.3.cap.6.nu.12. speculatiuè loquendo.*

149 Dixi autẽ, *delectationem simplicem solius appetitus rationalis, seu voluntatis:* duplex est enim delectatio, vna appetitus rationalis, s. voluntatis, quæ dicitur gaudium, & nil aliud est, quam simplex motus voluntatis, & cõplacentia quædam iuxta *S.Th.1.2.q.31.a.4.* Altera appetitus sensitiui, quæ propriè dicitur delectatio, & accidit cum quadã corporis commotione; præsertim si sit venerea, s. cum cõmotione spirituũ generationi inseruiẽtiũ. Igitur quod dictũ est; procedit de sola, & simplici delectatione voluntatis de obiecto cõditionali, seu per cõditionẽ denudato à malitia, quod aliàs seclusa cõditione, esset peccatũ mortale; hęc.n. (vt probatum est) non est illicita, & peccatum mortale ex se, & se-

clusо periculo consensus in opus illicitum, aut delectationis in appetitu sensitiuo. At vero delectatio appetitus sensitiui volũtaria,& deliberata de eodem obiecto a parte rei mortaliter malo, circa quod fertur desiderium, & voluntatis complacentia sub illa conditione. si esset licitũ, & non esset offensa Dei, est peccatum mortale, v. g. Qui deliberatè in appetitu sensitiuo delectatur de copula cogitata sub conditione, si esset vxor, peccat mortaliter, & similiter, is cui placet delectatio appetitus sensitiui, si ibidem datur orta ex desiderio, & voluntate furandi, vel detrahendi, si esset licitum detrahere, aut furari peccat mortaliter. ita in terminis Sanchez *d. cap. 2. num. 34. & Fagundez d. cap. 5. num.* 14. qui putant Caietanum,& alios Doctores supra allegatos asserentes delectationem de obiecto malo cogitato sub conditione, si esset licitum, esse peccatum mortale, locutós esse de huiusmodi delectatione deliberata, & voluntaria appetitus sensitiui. Huius autem ratio deducitur ex dictis supra num. 141. & ex fundamento Caietani,& aliorum Doctorum adducto, quia hoc interest inter delectationem voluntatis,& appetitus sensitiui; Quod illa cum sequatur, seu oriatur ex re prout est, ab intellectu cognita, & voluntati proposita;& intellectus possit apprehendere,& proponere volũtati obiectũ a parte rei malum vestitum conditione,& malitia denudatum voluntatis delectatio potest esse de eodẽ obiecto sub eadẽ conditione, & denudatione apprehensio, & ita est licita, quia est de obiecto non malo quatenus apprehẽso, & voluntati ab eodem intellectu proposito; At vero cum appetitus sensitiuus moueatur ex apprehensione potẽtię imaginatiuæ, seu existimatiuæ; & hæc nullã cõditionẽ apponere possit; seu non possit appetitui representare obiectum delectabile sub aliqua conditione, vt benè explicat *Sanchez d. cap. 2. num.* 33. scilicet quia in conditionibus reperitur affirmatio, & negatio; & in copula conditionali est quædam illatio; *v. g. si homo est animal, est sensibilis*, æquiualet huic, *est animal ergo sensibilis*, item in conditionibus est quedam collatio,& pręcisio vnius rõnis ab alia; v. g. si quis desideret copu-

copulam cum aliqua, si esset sua vxor, est præcisio malitiæ à copula, quæ reperitur in ea habita cum non sua, apponendo conditionem, si esset sua; quæ omnia sunt operationes solius intellectus, non imaginatiuæ, quæ est communis hominibus, & brutis; hinc fit, vt delectatio appetitus sensitiui feratur in obiectum, vt in se est, & omni conditione denudatum; si enim imaginatio non proponit, nec proponere potest obiectum delectabile sub conditione, sed tantum absolutè, etiam delectatio appetitus sensitiui, quæ ex eius appræhensione, & repræsentatione mouetur, fertur in obiectum conditione destitutum; quod obiectum, cum sit mortale, delectatio quoque erit mortalis, si deliberatè placeat. Scio huic doctrinæ contradicere Palaum allegata *disp.* 2. §. 2. *num.* 6. Vbi ex Ioanne Sala 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 28. *num.* 189. *& sect.* 30. *num.* 200. asserit etiam imaginatiuam repræsentare posse obiectum vestitum aliqua conditione, & ita etiam appetitum sensitiuum, sicut & voluntatem posse delectari de obiecto sub aliqua conditione; dicit enim cum eodem Sala ad hanc repræsentationem sub conditione non requiri discursum, neque affirmationem, aut negationem, sed solam simplicem appræhensionem, qualis est in brutis; quibus sæpe (inquit) repræsentantur cibi conuenientes vestiti tamen aliqua conditione, quæ illas à sumendo remouet; & verè comederent illos, nisi timor mali subsequuturi retraheret. Sed his obstat ratio adducta.

Aduertendum autem licet id, quod dictum est de delectatione, & complacentia voluntatis de copula apprehensa sub conditione excludente peccatum, eam scilicet non esse peccatum, sit verum speculatiuè loquendo; quia tamen ob naturæ corruptionem huiusmodi delectationes facilè inclinant voluntatem ad consensum in opus externum consummandũ, & etiam ex eisdem oritur motus delectationis carnalis in appetitu sensitiuo, practicè loquendo, tutior, & securior est sententia *Vasquez*, *& Palai*. An autem delectatio fuerit solius appetitus rationalis, dignosci poterit ex commotione, vel carentia

commotionis corporis, & spirituum generationi inseruientiam.

Delectatio morosa coniugis de copula cogitata cum altero coniuge absente, vel cum quo ob aliquid impedimentum morale, vel phisicum commisceri carnaliter non potest, an sit peccatum mortale.

150 EX dictis quoque colligi potest, quid sentiendum sit de delectatione morosa cōiugis de copula cogitata cum altero coniuge absente; Et delectatione morosa viduæ de cogitata copula præterita habita cum coniuge defuncto, & è conuerso; & de delectatione morosa sponsorum de copula habenda tempore matrimonij. Si enim sermo sit de sola delectatione appetitus rationalis, seu voluntatis, secluso periculo pollutionis, vel consensus in copulam de præsenti, vel delectationis, & commotionis venereę in appetitu sensitiuo; non solum in coniugibus, sed etiam in viduis, & sponsis, non erit peccatum mortale talis delectatio, seu complacētia iuxta opinionem Sanchez, & aliorum, quos in præcedentibus secuti sumus, & tradit etiam idem Sanchez *lib.9.de matr.disp.*47.*n.*1. Quid vero si delectatio sit cum commotione appetitus sensitiui, siue in appetitu sensitiuo, hic explicandum est.

151 Quoad coniuges plures asserunt, eos peccare mortaliter, si de maritali copula habita, vel habenda cogitata, eo casu, quo ob absentiam non possunt cōmisceri, delectentur, ac si esset præsens, etiam si absit periculum pollutionis. Ita Nauarrus *in man.c.*16.*n.*10. *Azorius p.*1.*lib.*4.*c.*6.*q.*8. *Basilius Pontius de matr.lib.*16.*c.*16.§.2.*n.*11.*fine*, *Fernandez in medulla p.*4.*c.*4.§.2 *n.*6 *Fagundez in decalog.lib.*9.*c.*4.*n.*5. *Graff.*1.*p.decis.lib.*2.*c.*78.*n.* 9 *Corduba, Lopez, Philiarcus, Rodriquez, Sà, Vega, Nider, quos refert Sanchez d.lib.*9.*disp.*44. *n.*2. Quorum fundamentum est; tum quia delectatio in appetitu sensitiuo cum commotione spirituum vitalium, quando non intenditur ob bonum finem, est mortalis, & omnibus prohibita sub mortali extra actualem copulam coniugalem, vt con-

contingit in præsenti; tum quia ea delectatio est de copula tantum imaginaria,& in animo ficta,ac proinde coniuges sic delectantur de copula extra matrimonium,quod semper est mortale ; tum demum quia delectatio appetitus sensitiui cum commotione spirituum, & membrorum generationi inseruiétium,quæ oritur naturaliter ex motu delectationis venereæ in appetitu excitato, est quædam inchoatio coitus, seu pollutionis, seminisvè effusionis, quæ etiam coniugatis est prohibita sub mortali.

152 At oppositam sententiam, & peccatum mortale non committere coniugatum ; qui de copula maritali habita, vel habenda cogitata, tamquam præsenti in coniugis absentia delectatur morosè, & voluntariè cum commotione,seu delectatione appetitus sensitiui,etiamsi inde insurgat alteratio, & commotio membri pudendi, & spirituum generationi inseruientium , dummodo absit periculum pollutionis, tamquam valdè probabilem tenent Vasquez *1.2.disp.113.cap.2.nu.4.Sanchez d.disp.44.nu.3. & seqq. Lessius lib.4.de iustit.cap.3.n.120.versic.Tertio.Salas* 1.2.*tract.*13. *disp.* 6.*sect.*30.*num.*206. *Layman lib.*1.*tract.*3.*c.*6. *num.*14. *Coninch de Sacram.disput.*34. *num.*113.*Ioannes Sancius in selectis disp.* 21.*num.*26.*Castrus Palaus tom.*1.*tract.*2. *disp.*2.*par.*10.§.2. *nu.* 17.*Diana par.*2. *tractat.*17. *resolut.*36.*par.*3. *tractat.*4. *resolut.* 200.*& resolut.*224.*& tract.*6.*resol* 73.§.*Verum, & nonnulli alij recentiores,& prius* docuerunt *Caietanus in sum.verbo delectatio morosa versu Secundum, Rosella, Armilla, Angelus, Tabiena V.eodem, & alij allegati à Fagundez d.cap.*4. *num.*4. ex quibus etiam plures id probabilius existimant; Ratio est, quia talis delectatio appetitus sensitiui , & commotio membrorum, ac spirituum generationi inseruientium in coniugibus de se, seu per se loquendo ad copulam maritalem ordinantur, sicut & tactus impudici inter eosdem coniuges; per accidens autem est, quod propter absentiam, aut aliud simile impedimentum copula non exerceatur ; ergo sicut tactus impudici inter coniuges ob solam voluptatem , absque animo copulæ eo quod natura sua inter coniuges ordinentur ad actum coniugalem, ratione

matri-

matrimonij excusantur à culpa mortali, sicut excusatur à mortali copula ipsa maritalis, vt tradit Sanchez *d.disp.44. num.* 11. & docent doctores communiter, quos ipse allegat, *& alij tam antiqui, quam recentiores*: Ita etiam matrimonium à mortali excusat in coniugibus delectationem in appetitu sensitiuo de copula maritali cogitata, & ex ea ortam commotionem corporis, & spirituum generationi inseruientium; cum hæc omnia de se in coniugibus, sicut & tactus impudici, oscula, & amplexus, tanquam media ad finem ordinentur ad copulam maritalem, quæ inter coniuges est licita: Quare omnia prædicta, si tantum propter delectationem à coniugibus appetantur, & exerceantur absque pollutionis periculo, essent peccatum veniale, quia extrahunt à suo fine; sicut enim defectus debiti finis in habenda copula coniugali, non est culpa mortalis; sed tantum venialis, nisi finis mortalis intenderetur, vt docet idem Sanchez *eodem lib.9. disp.8. num.8. & 9. & est doctorum communis.* ita etiam defectus debiti finis in prædictis actibus præambulis ad actum coniugalem erit solum culpa venialis secluso alio fine mortali, vel periculo pollutionis, alioqui certum est peccaturos mortaliter coniuges, si animaduertant, ex illa commotione sensitiua venerea, vel ex actibus impudicis sequuturam pollutionem: Limitat præfatam sententiam Salas *vbi supra num.* 205. affirmans esse mortale, si coniuges delectentur de copula maritali imaginaria, & ficta; sed rectè limitationem reijcit Palaus, eo quod parum referat copulam esse fictam, vel veram; si delectatio absolute illis non est prohibita, & nõ tendit ad obiectum formaliter malum. Neque prædictæ sententiæ obstat illam delectationem sensitiui appetitus, & cõmotionem corporis esse initium effusionis semiuiuis; nam ordinatur ad coitum cum coniuge: & seminis effusionem intra legitimum vas; quod sufficit, ne sit mortalis culpa: quãuis tunc copula propter absentiam, vel aliud impedimentum simile haberi non possit: sicut etiam non obstat, quod similis delectatio voluntaria, & commotio non sit licita in vidua ex cogitatione præteritæ copulæ maritalis, vt mox dice-

dicetur: viduæ enim prohibita est copula carnalis, ac proinde etiam delectatio sensitiua illius cogitatæ:& in ea deficit matrimonium, quod vtrumque excusat.

153 Extendit autem (quidquid secus sentiant Rodriquez *in sum.p.1.c.129. concl.3. & Pontius d.§.2.n.12.*) præfactam sententiam, seu doctrinam Sanchez *d.disp.44.n.21.* vt sicut in casu absentiæ alterius coniugis, ita etiam quoties copula coniugibus est illicita, vel ob circunstătiam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugem arcet ab vsu matrimonij, ob periculum sanitatis, vel abortus, vel ob aliquod impedimentum naturale post matrimonium superueniens, puta, ob impotentiam coeundi matrimonio contracto superuenientem, delectationē appetitus sensitiui de copula maritali cogitata vt præsenti in eisdem coniugatis esse licitā; & excusari saltē à culpa mortali, sicut ex similibus casibus liciti sunt inter eosdem coniugatos tactus impudici secluso periculo pollutionis, vt docet etiā Fagundez *d.lib.9.c.6 n.2.3.&* 4. & ratio est eadem, quia talis delectatio, & tactus de se, & ex natura sua ordinantur ad copulā coniugalem, & per accidens est, quod non exerceatur, seu exerceri non possit; Quare cum eadem copula tūc sit licita, & prohibita vel impossibilis solum per accidens, & ab extrinseco; licita etiam erunt delectatio illa, & tactus, qui de se ad actum coniugalem tamquā ad finem tendunt. Et tactus poterunt excusari à veniali, si non ob solā delectationem, sed ad cōciliandū amorem, vel ad vitandā incontinentiā exerceantur absq; pollutionis periculo; & ita pręter Sanch. sentiunt certè etiam alij Doctores relati n.152. & etiam Fagundez *d.c.6.n.4.* qui loquuntur absolutè de cōiugatorum delectatione de copula maritali, quādo ab eis copula ipsa non potest ob absentiam, vel aliud impedimentum simile, scilicet extrinsecum, exerceri: & in terminis ita tenuit Diana *p.3. tract.4. dicta resol.224.* & idem ait Sanchez *n.23.* dicendum, quando copula maritalis est coniugibus prohibita aliquo præcepto Ecclesiastico, vt si coniux contraxit affinitatem, aut cognationem cum altero coniuge, vel si vterque contraxit, & ita sit priuatus iure petendi: Adhuc enim impedimen-

mentum est extrinsecum, & arcens à copula in pœnam delicti, & cum res sit pœnalis non debet extendi ad delectationem, & tactus; idem ait nu.26. dicendum si coniux etiam vterque haberet votum non petendi debitum; quia talis delectatio, & tactus ex vna parte sunt ex natura sua coniugibus licita ratione matrimonij, & ex alia non aduersantur voto, quod solum debiti petitionem vetat. Secus vero si coniux emisisset votum absolutum castitatis etiam absque consensu alterius coniugis; quia votum excludit non solũ actum externum venereum, sed etiam internã delectationem (vt supra n.145. probatum est) & tale votũ licet non impediat debiti redditionem, impedit tamen vsum coniugis habentem originem ab ipso coniuge vouente, & sic etiam omnia ea, quæ ad dictum vsum disponunt, & de se ordinantur; & ita etiam in terminis idẽ Sanchez *d.disp.44.n.25 & 27. & Diana p.3.tract.6.resolut.73.versic.nota.* Verum non solum in hoc casu (in quo de necessitate ad euitandam culpam mortalem abstinendum est ab omni voluntaria delectatione venerea, tam appetitus rationalis, quam sensitiui) sed etiam in alijs casibus, in quibus adest impedimentum copulæ extrinsecum naturale, vel morale, consultius est, non immorari in talibus delectationibus, tum ad euitandam culpam venialem, si habeantur ob solam delectationem, tum quia sæpe ita excitant corpus, & spiritus generationi inseruientes, vt sequatur seminis effusio.

Delectatio morosa viduorum de copula coniugali præterita, si sit in appetitu sensitiuo, an sit peccatum mortale.

154 QVoad viduos. Aliqui id, quod dictum est coniugatis aiunt dicendum etiam esse de viduis, scilicet seclusо pollutionis periculo, illis licitum esse captare delectationem appetitus sensitiui ex cogitatione copulæ maritalis præteritæ, seu habitæ tempore matrimonij. Quorum fundamentum est, tum quia delectatio sapit naturam, & conditionem actus, seu obiecti, ex quo oritur iuxta dicta

supra

supra ex Aristotele; illa autem copula fuit licita: tum quia vidua per talem delectationem non delectatur libidine, seu copula pręsēti, sed de libidine, seu copula in memoria, idest de præterita, vt præterita, quæ fuit licita. ita Caietanus *in sum. v. delectatio versic.* Secundum *& in opus tom. 1. trac. 14. de delectatione morosa dub. 2. Armilla, Rossella, Tabiena V. delectatio, Angelus v. cogitatio. Valentia 1. 2. disputat. 6. quæst. 4. p. 4. Margarita confessor. Peduza, Medina, Zumel, Emanuel Sà, Alphonsus, Curiel, & Herrera*, quos ad id referunt Sanchez *lib. 9. de matrim. disputat. 47. num 3. Fagundez allegat. cap. 4. num. 7. & Diana p. 3. tractat. 5. resolut. 2.* limitant autem *Angelus Rossella, Tabiena, Armilla, Sà, Medina, & Zumel,* nisi coniux vidua, vel viduus cogitet alterum coniugem, quasi præsentem, & sub ratione præsentis & in copula sic cogitata delectetur, quia tunc illud est delectari de copula præsenti, quæ viduis est illicita. Addunt etiam *Caietanus, Valentia, & alij ex prædictis Doctoribus* eiusmodi viduorum delectationes nō carere culpa veniali, quia desit necessitas, vel pietas ad eas capiēdas inducēs, imò plerūque nō vacare culpa mortali propter periculum, vel pollutionis, vel cōsentiēdi directè in copulā pręsentem.

155 At longè verius est etiam secluso pollutionis, vel consentiendi directè in præsentem copulam, talem delectationem appetitus sensitiui voluntariam, & morosā de copula maritali præterita cogitata in viduis esse illicitam, & mortalem; quia (vt supradictum est) hæc delectatio sensibilis appetitus habens naturaliter annexam commotionem membri pudendi, & spirituum generationi inseruientium de se fertur, & natura sua ordinatur in copulam præsentem, non in præteritam, cū sit initiū, & quædā inchoatio præsentis coitus, & cōsequēter natura sua ad illum tendens; cum ergo copula præsens non sit licita viduis, sicut est coniugatis, neque etiam talis delectatio sensibilis illis licita erit, sed mortalis culpa, sicut & præsens copula, ad quam, seu in quam tamquam obiectum directè tendit; atque adeo ab ea malitiam mortalem sumit, & ex hac ratione cōtrariæ sentētiæ fundamentū manet euersū

ita

ita tenent *Nauarus in man.cap.16.num.1. & alibi Sanchez d. disp.47.num.4.& 7.Vasquez 1.2.disp.114.num.3. Fagundez d. cap.4.num.8.Pontius d.§.2.num.10. Layman d. cap.6. num.13. Bonacina de matr.quæst.4.p.8.num.13. Ioannes Sancius d.disp. 21.num.27.Castrus Palaus d.§.2.num.7.Diana d. resolut.2. & p.2.tractat.17.resolut.36.§.ad argumentum. Corduba, Rodriqu. Graffius,Vega, Philliarcus, Lopez,* quos ad id refert Sanchez, & alij recentiores, & idem proculdubio sensit Lessius *de iust.lib.4.cap.3.num.*120. vbi dum asserit viduis non licere delectari de copula maritali præterita appræhensa per imaginationem, vt præsenti,& nunc exercita; licere vero gaudere de illa,tamquam de re præterita; per delectationem de copula,in præsenti intelligit delectationem sensibilis appetitus cum corporis commotione,quæ in præsentem copulam, tamque illius initium fertur; per gaudium vero de ea, vt præterita, intelligit solùm simplicem complacentiā voluntatis,quæ cum sit de actu,seu obiecto licito, & non tendat in copulam præsentem, nec ex se sit illius inchoatio, cum consistat sine corporis commotione, non est illicita iuxta dicta in præcedentibus.

Delectatio sponsorum de copula coniugali habenda tempore matrimonij,an sit lethale peccatum.

156 QVoad sponsos in eis secluso periculo pollutionis, vel consensus in copulam præsentem,licitam esse delectationem appetitus sensitiui de copula maritali tempore matrimonij habenda, seu futura cogitata,tradidere nōnulli; quia ea copula in tempus matrimonij relata est licita, & licitum est eam voluntatis actu desiderare, & de ea habenda complacere, & gaudere, cum eiusmodi actus sint de actu, seu obiecto provt licito; talis autem est delectatio,quale obiectum iuxta supradicta. ita *Medina 1. 2. quæst 74.art.8.dub.3. Zumel ibid.disputat.4.dub.3. Paludanus, & Victoria* quos ad id referunt *Fagundez d. cap.4. num.1. & Palaus d.§.2.n.*8.& probabile putat Corduba *lib.1.99.quæst. 23.dub.3.*

Sed

157 Sed dicendũ etiam in ſponſis illicitam eſſe talem delectationem appetitus ſenſitiui de cogitatione copulæ maritalis habendæ, ſeu futuræ tempore matrimonij, tametſi abſit periculum pollutionis, & conſentiendi directè in præſentem copulam, idque ob ſupradictam rationem, ſcilicet, non quia talis delectationis obiectum directum ſit illicitum, ſed quia delectatio venerea in ſenſibili appetitu cum commotione corporis, ac ſpirituum generationi inſeruientium ex natura ſua fertur in copulam præſentem, ad illamque ordinatur, vtpotè illius initium, & inchoatio; ac proinde eſt ſponſis illicita, ſicut, & ipſa copula de præſenti; Deſiderium autem, & ſimplex complacentia voluntatis de tali copula matrimoniali tempore matrimonij habẽda, ſeu ſub conditione, ſi matrimonium adeſſet, cogitata, cum ſit ſine commotione ſenſitiua venerea, & ſpirituum, non tendit in copulam præſentem, ſed tantum verſatur circa copulam, provt eſt in ipſa appræhenſione intellectus; & ita reſpicit ſolam copulam futuram tempore matrimonij, quæ eſt licita. ita Doctores nu. 104. allegati.

158 Aduertit autem Sanchez *d. diſputat. 47. num. 6.* ſi abſit periculũ pollutionis aut conſenſus in aliquod mortale, delectationem appetitus ſenſitiui ex ſolis tactibus, aſpectibus, & verbis cogitatis a ſponſis de futuro orientem in caſibus, in quibus illa ſunt eis licita, (de quibus idem Sanchez *latè diſputat. 46. num. 48. & ſeqq.*) non eſſe mortalem quia eſt de obiecto eis licito, illudque reſpicit tamquam præſens, & in præſenti eſt illis licitum. Addit tamen futuram venialẽ culpam tamquam otioſam, & quæ neceſſitate, & pietate caret.

Delectationibus venereis appetitus ſenſitiui, & motibus carnis inhoneſtis, an homo ſub mortali teneatur reſiſtere poſitiuè, nec ſufficiat negatiuè ſe habere.

159 OBſeruandum ſeptimò, licet multorum ſententia ſit, hominem ſtatim, ac plenè aduertit cogitationem obie-

obiecti mali, & inhonesti siue a Diabolo immissam, siue naturaliter exurgentem, & ex ea ortam delectationem appetitus sensitiui, commotionemque corporis, peccare mortaliter, non solum expressum & positiuum voluntatis consensum eidem delectationi præbendo, eamque amplectando, & de ea sibi complacendo; sed etiam si eam permittat negatiuè se habens circa consensum (scilicet non consentiens, neque dissentiens) nec positiuè ei resistens, eamque reprimens, cum possit, puta, diuertendo cogitationem ad aliud, vel alia simili positiua resistētia. Quorum fundamentum est, quia consensus voluntatis indirectus, & interpretatiuus æquiualet consensui directo, & expresso; at quando suborta delectatione in appetitu sensitiuo circa obiectum moraliter malum voluntas post plenam rationis aduertentiam potest, & debet, malam, & turpem illam delectationem repellere, aut reprimere, nō reprimit, tacitè, & implicitè censetur in eam consentire; ergo tunc ea delectatio sensitiua censetur voluntaria, & morosa, & consequenter mortaliter mala, ac si expresso, & directo voluntatis consensu placeret, & approbaretur. Confirmatur, quod debeat reprimere, & non reprimendo peccet; tum quia voluntas tenetur semper appetitum sensitiuum gubernare, maximè quando absque magna difficultate potest, ergo si illud non gubernet reijciendo, & repellendo in eo causam peccare; peccat mortaliter, & cum sit in materia mortaliter mala, negligentia, seu omissio erit culpa mortalis: tum quia in mora eiusmodi delectationis sensitiuæ semper adest periculum consentiendi; semper enim inhonesta, & obscæna delectatio, ac commotio, & cogitatio, vel quacumque alia ratione mala de se allicit voluntatem ad consentiendum: imò hæc delectatio appetitus sensitiui, & corporalis in ipsam voluntatem naturaliter deriuatur, sicut cognitio sensus in intellectum, atque ita per consensionem quamdam cum ipso appetitu delectatur, & ita fit, vt voluntas non possit negatiuè se habere, quia si eam expresè non reijcit, sed negatiuè se habeat, illam necessario amplectitur. ita *Azorius* 1. *p. lib.* 4. *c.* 6. *q.* 5.

q.5. Valentia 1.2. disput.4. p.3. Sayrus lib.4. clau.cap.7. num.3. Lessius lib.4. de iustit.cap.3. num.117. Vasquez 1.2. disput.108. cap.2. Petrus Einsfeldius tract.de tent. tit.de cogitatione, seu delectatione morosa. Zumel.1.2.q.74. art.8. disp.2. Bresserus de conscientia lib.6.cap.17. nu.229. Becanus tom.2. tract.2. cap.5. q.5. Bonacina de matr.q.4.p.7.nu.7. & nonnulli alij recentiores, & ita sentit etiam Ariaga 1.2. disp.47. paulo ante numerum 19.*& nu.25.&* 26. ob eam rationem, quod rarò in vigilia absit periculum consentiendi in delectationem turpem sensus, si non reprimitur; vult tamen voluntatem solum teneri resistere per positiuum actum displicentiæ vnde non discrepat a sententia Sanchez,& Layman infra explicanda.

160 Nihilominus licet hęc sententia in praxi securior sit, & semper consulenda; non caret tamen probabilitate imò valde probabilis est opposita sententia,quæ etiam est magis communis;scilicet nō teneri hominem sub culpa mortali positiuè resistere,& causam, ac cōmotionem, seu delectationem sensitiuam,naturaliter,& præter voluntatem exortam reprimere, sed posse se negatiuè habere,illamq; veluti passionem non voluntariam,& tentationem insufficientē ad inclinandam voluntatem,contemnere,& pati, si habeat voluntatem,& firmum propositū non consentiēdi, & confisus de sua fortitudine, & constantia suæ voluntatis ob bonam experientiam probabiliter existimet, se carere periculo consentiendi tam in ipsa delectatione præsenti in sensu exorta,& in actu ipso commotionis,quam in preuisa futura pollutione,ita *Caietan.in sum. v. delectatio morosa. versu.magna tamen. Armilla, Angelus, Syluester v. eod. Tabiena v.cogitatio, Nauarrus in man.cap.11.num.12. S.Thomas D. Bonauentura, Gerson, Adrianus, Toletus, Rodriquez, Angles, Lopez, Graffius, Corduba, Sotus, Alcozer, quos referunt Sanchez, Fagundez, & Layman* locis mox allegandis; & ex recentioribus idem *Sanchez lib.1. summ.cap.2.num.13. Ioannes Sancius in selectis disputat.21. numer.3.4.5. & 11. Castrus Palaus tomo 1. tractat.2. disputat.2. part.10. §.5. Fagundez in decalog. libro 9. capitul.4. numero 17. & 18. Layman*

lib. 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 7. *&* 8. *Diana p.* 2. *tract.* 13. *resolut.* 33. *& alij* recentiores. Probatur hæc sententia, quia qui patitur motum appetitus sensitiui prauum, & turpem habēs voluntatem fixam, & firmam non consentiendi, & ob experientiam sui confisus de constantia, & fortitudine suæ voluntatis animaduertit cessare omne periculum consensus, merè negatiuè se habet; non consentit formaliter in ea delectatione sensitiua, vt supponitur; & per se patet, quia habet animum, seu voluntatem formalem expresso consensui aduersantem: sed nec interpretatiuè, quia per firmum propositum non consentiendi excludit interpretatiuum animum consentiendi, sicut & per probabilem persuasionem, quod sic nulli periculo consentiendi exponitur; ergo non peccat, vel saltem non peccat mortaliter; cum nullo modo consentiat, neque consensu formali, neq; interpretatiuo. Et ita etiam non facit contra præceptum negatiuum. Non concupisces; quod solum obligat ad non consentiendum: Neque verum est delectationem appetitus sensitiui naturaliter deriuari in voluntatem, sicut cognitio sensus deriuatur in intellectum; nam hæc deriuatur naturaliter, illa autem moraliter, ac proinde est diuersa ratio: licet etiam voluntas teneatur gubernare appetitum sensitiuum, tamen suæ obligationi simpliciter satisfacit, negatiuè se habendo, & gubernando, ne consentiat. Et hæc prima, & præcipua obligatio voluntatis est, scilicet, se taliter gubernare, vt appetitui non consentiat resistendo positiuè, & magna cura; nec est necesse, vt omnē causam talis delectationis, & commotionis sensitiuæ remoueat, si hic, & nunc negatiuè se habeat; & ita se habendo iudicet se non consensurum: nam hæc secunda obligatio remouendi causam talis delectationis, & commotionis prauæ, & venereæ) si in ea voluntas deficiat, solum inducit culpā venialem ex paruitate materiæ: sicut homo (inquit Sanch.) tentationibus tenetur solum sub mortali resistere simpliciter, & absolutè, non consentiendo illis negatiuè se habendo, at resistere magna cura tenetur homo, solùm imperfectè, & secundum quid, & si in hac secunda obligatione

ne deficiat tepidè resistendo, solum peccabit venialiter. Ad fundamentum etiam prioris sententiæ respōdet Layman, consensum directum, seu formalem, & interpretatiuum non æquiualere in grauitate culpæ maximè loquēdo de peccatis internæ delectationis, & commotionis appetitus sensitiui; nam permissio voluntatis eatenus (inquit) ad culpam imputatur, quatenus est causa alicuius mali, seu incommodi, quod impediri potest, ac debet, ac proinde si malum, vel incommodum graue, non sit, eius voluntaria permissio non potest ad culpam imputari, inordinata autem commotio appetitus sensitiui, si naturaliter oriatur, non est censenda graue malum, vt colligitur ex eo, quod ob causam honestam etiam non valdè grauem permitti, potest non auertendo animum a cogitatione, vel actione vtili, cum qua homo scit carnis delectationē, & commotionem coniunctam esse, modo absit periculum consensus (vt infra dicetur) & idem præbere causam actione aliqua vana ex natura sua ad ipsam non ordinata est tātum veniale iuxta communem sententiam (de qua infra) eo quod talis commotio, supposita corruptione naturæ, non censeatur graue malum. Qua propter eadem ratione peccatum veniale tantum erit, motum delectationis sensitiuæ naturaliter exortum, sine iusta causa permittere, seu non reprimere applicatione animi ad aliud cogitandum, vel agendum, cum vtrumque sit voluntarium indirectum, & interpretatiuum, ita Layman.

161 Aduertunt autem Sanchez *d.c.2.nu.*13. & idem Layman *d.c.6.n.*8. & idem videtur sentire *Io.Sanc.* vt hæc communis sententia in praxi adhiberi tutè possit saltem absque peccato mortali, requiri, vt voluntas post plenam eius aduertentiam omittens delectationem carnalem depellere, seu reprimere cogitationem ad alia conuertendo, eliciat actū displicentiæ qua cupiat eam non adesse, licet non efficaciter, quia animum ad alia cogitanda, vel agenda negligit conuertere, cum faciè possit; nam estò talis displicentia actualis inefficax sit ad reprimendum appetitum, & depellendam delectationem; est tamen efficax ad tollendum,

ſeu prohibendum liberum voluntatis conſenſum; quippe cui ipſa actualis diſplicentia formaliter,& directè opponitur. Quod ſi poſt rationis animaduerſionem homo in voluntate actum diſplicentię, ſeu improbationis non eliciat, aiunt delectationem cenſeri moroſam, & mortalem in confeſſione explicandam, eo quod exponitur proximo conſenſus periculo; nam & ſi ſimpliciter poſſibile ſit, voluntatem propoſito ſibi obiecto turpi ſuſpendere omnem actum, vt illud nec approbet, nec reprobet, ſed negatiuè ſe habeat; tamen id præſertim in obiecto vehementer alliciente eſt valde difficile; & moraliter ferè impoſſibile; ex quo fit, vt homo proximo, & probabili periculo ſe exponat. *Nam mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio malè ſuos remunerant hoſpites. C. etſi iudæos de iudæis & 13. q. 1. poſt can. Eccleſias.* Et vix etiam dignoſci poteſt voluntatem omni actu carere, quamdiù appetitus delectatione afficitur; poſita autem prædicta voluntatis diſplicentia, iam apparet voluntatem nō approbare ſuo actu, motū appetitus ſenſitiui.

162 Aduertendum quoque etiam iuxta doctores primæ ſententiæ (& addunt etiam Sanchez, Ioannes Sancius, & Fagundez) poſſe dari iuſtam cauſam non repellendi, ſeu reprimendi talem appetitus ſenſitiui delectationem, & commotionem, & conſequenter negatiuè ſe habendi ac proinde data ea cauſa non eſſe peccatum mortale, nec veniale negatiuè ſe circa illam habere maximè ſi actu diſpliceat in voluntate. Cauſa autem non repellendi eſt primò; ſi meritò timet, quod ex illo conatu reprimendi, ac reſiſtēdi in turpiores, & grauiores delectationes incidat, vel illa fiat vehementior, ac moleſtior; quia, vt ſupra dum de cogitationibus dictum eſt, & docet etiam *D. Th. 2. 2. q. 35. a. 1. ad 4.* cogitatio, & ex ea oriens delectatio ſenſitiua, aliquando facilius fuga, quam pugna ſuperantur: ſecundò ſi quis laboret in ea expellenda; & experiatur ſe nihil efficere; ſed in eadem eodē modo permanere: tunc enim nullo modo peccabit, ſi eam reſiſtentiam omittat, & nihil amplius in ea expellenda immoretur; id enim potius eſt pati, & ea paſſione moleſtari, quam in eā conſentire: ſufficit enim

enim in eo casu si non consentit, & voluntatem auersam habeat. Tertiò quando ea delectatio prouenit ex causa alioqui necessaria, vel vtili, & ea insistente durat quoque delectatio: de qua re in sequenti obseruando. Igitur.

Delectationibus venereis appetitus sensitiui, & motibus carnis libidinosis, ac pollutioni dare causam, non est mortale peccatum contra castitatem, nisi causa ad genus luxuriæ spectet, absit necessitas, seu causa honesta talis causa apponenda.

163 OBseruandum octauo, vel probabilius esse, vel saltē probabile, & in praxi securum, nunquam esse peccatum mortale dare causam huiusmodi delectationibus sensus venereis, seu motibus carnis, etiam pollutionis, nisi ea spectet ad genus luxuriæ, & proximè, & notabiliter per se in illos influat, quia sua natura ad actus, & motus venereos, & excitandam seminis effusionem ordinata est, seu tendit; quales causæ sunt cogitationes, aspectus, tactus, oscula, amplexus valde impudica, quæ nulla exigente necessitate, aut causa iusta existente, sed ob solam voluptatē veneream, quæ ex eis percipitur, fiunt: ac proinde si causa est extra genus luxuriæ, & per se, ac natura sua non ordinata ad motum venereum, & ad pollutionem, sed aliū finem, & vtilitatem habet etiam ex intentione operantis, quamuis præter intentionem, & per accidens commotio venerea corporis, & pollutio ipsa oritura, seu sequutura præuideatur absque periculo consensus in illius delectationem, vel nullum est peccatum contra castitatem, vel tantum veniale, ita *D. Antoninus p. 2. lib. 6. c. 5. Angelus v. Pollutio, Syluester v. eodem, Toletus lib. 5. cap. 13. Nauarrus in man. cap. 16. Lopez p. 1. cap. 74. Vasquez 1. 2. disput. 115. num. 9. Sanchez de matr. lib. 9. disput. 45. num. 16. & seqq. Lessius de iustit. lib. 4. cap. 3. num. 98. 99. 100. 101. Reginaldus lib. 22. nu. 43. & 44. Layman lib. 1. tract. 3. cap. 6. nu. 6. & lib. 3. sect. 4. nu. 16. Ioannes Sancius disp. 10. nu. 8. & latius disp. 21. nu. 11. & septem seqq. n. 29. & sequtoribus. Bonacina de mat. q. 4. p. 10. n. 5. & seq. Villa-*

lobos p.2.tract 40.diff.16.n.6.& 7.Filliucius to.2.tract.30 cap.8. nu.151.& 152.Diana p.2.tract.1.misell.resolut.31.& p.3.tract. misell.5.res.22.Bresserus de conscientia lib.6.c.17.n.222.& 223. Turlench.in decal.lib.6.c.1.n.5.6.& 7.Ariaga 1.2.disp.47.n.19. & 24. & alij *apud Sanchez, Diana, & Bresserum; & communiter recentiores.* Doctrina hæc scilicet, quod dare causam commotioni venereæ, ipsiq; pollutioni precisè nō sit mortale, quādo causa natura sua ad hos motus nō ordinatur, si absit periculum consensus in venereā delectationem ex illis consurgentē, probatur primò; quia supposito hominis originali lapsu, & naturæ corruptæ infirmitate hi motus valdè facile, & ex multis causis excitantur, ac proinde intollerabile onus esset homini ꝓhibere sub mortali oēs actiones, ex quibus præuidentur, vel timentur secuturi: & hoc ipso, quo ex naturæ corruptę infirmitate ita facile oriuntur, non cēsentur graue malū, & tenuis est obligatio illos vitandi in causis, quæ de se, & proximè ad illos non ordināntur, vt tradit *Sanch.n.*15. Secundo quia huiusmodi causa non est proxima dispositio, sed remota ex natura rei, & effectus ex illa per accidens, & pręter intentionē prouenit, s. ex dispositione corporis, seu natura, ac naturali cōplexione, & veluti necessitate materiæ: vnde valde imperfectè videtur volita in causa. Ex quo sic cōfirmatur eadē secunda pars; nā licet huiusmodi causa ad cōmotionē corporis, & seminis effusionē cōcurrat per accidens, nō est tamē vere, & moraliter causa illius, quia verè procedit à virtute naturali expulsiua: vnde etiā (vt ait Sanch.n.15.) non infert damnū saltem notabile proli: sed sæpe est in commodum illius; & talis modus expellendi semen non est contra ordinem naturæ, sed imò ordine, & vi ipsius naturę expellitur ad illius leuamen. Quare hæc est differentia inter emissionē seminis, quæ fit interueniente, seu medio appetitu directè, & expresse illam volenti, vel indirectè, & tacitè applicando causas notabiliter sua natura pollutionem excitantes, & hanc seminis effusionem, quod illa tendit sua natura ad coitum, ac proinde per illam extra actum coniugalem violatur ius naturale prolis: hæc autem, quæ fit sola virtute naturali

expul-

expultrice non sua natura tendit ad coitum, sed ad naturæ alleuiationem. Tertiò quia commotio carnalis, & ipsa pollutio hoc modo proueniens, veluti necessitate materiæ, absque vlla intentione, vel dispositione ad illam directa, non solum non censetur graue malum, vt dictum est, sed imò per se non est obiectiuè mala, quod tradunt non solum allegati Doctores, sed & plures alij à Ioanne Sancio nu. 34. allegati: Ergo nec permittere, vel non impedire, ne sic eueniat, censetur peccatum saltem graue: Quod autem per se non sit quid malum probatur, quia alioqui non liceret dari illi causam, illamque permittere, etiamsi causa sit honesta, sicut non licet dare causam, & in se permittere homicidium, vel adulterium, seu fornicationem, & si quis timeat, quid simile à se committendum in somnijs, vel ebrietate, tenetur sub mortali eccitare; secus de pollutione à natura ipsa proueniente. Vnde de obligatione vitandi commotionem carnalem, ad seminis effusionem excitantem, ipsamque pollutionem non est philosophandum, sicut de obligatione vitandi homicidij, vel adulterij in causa præuisi (vt Sanch. d. nu. 15. & omnes alij Doctores supra relati aduertunt) quia pollutio nō volita in se non est secundum se peccatum, vt dictum est, sed taliter habita; sicut est homicidium, vel adulterium. Et cur hæc pollutio præuisa in causa ad illam ex natura sua, & proximè non ordinata non sit peccatum, neq; sit obligatio illam impediendi, nulla alia ratio est, quam quia (vt dictum est) prouenit necessitate materiæ: Et ex ipsa natura mediante vi expultrice absque vlla cooperatione voluntatis, & appetitus illam intendentis, & aliàs etiam habet sua commoda, ob quæ natura sic instituta est, vt iam dixi: Homicidium vero, adulterium, & similia non habent similem causam in natura, nec similia commoda (vt infra etiam magis explicabitur.) Quamuis etiam hæc ob aliquod grande bonum permitti aliquando possint.

164 Quod autem voluntariè, & deliberatè dare causam de natura tua, & per se, ac proximè, & notabiliter influentem, ac tendētē in motus venereos, & pollutionis excitationem

seclusa vrgenti necessitate, vel honesta causa id faciendi sit peccatum mortale contra castitatem, si in illa causa prævideatur, vel prævideri debuerit fore subsecuturam commotionem notabilem corporis veneream, ipsamque pollutionem, siue in somno, siue in vigilia; probatur, quia qui vult,& adhibet huiusmodi causam,eo ipso simpliciter censetur per modum vnius velle effectum proximè,& necessariò ex illa secuturum,& idem esse iudicatur, siue effectus proueniat ex natura,ac necessitate operis, exerciti, siue fiat ex intentione expressa operantis, nam *expliciti, & impliciti est eadem vis;* Vnde sicut qui multum vini bibit, ex quo scit naturaliter sequi ebrietatem, implicitè censetur velle ebrius fieri,licet explicitè non intendat;ita eadem ratione, qui actum notabiliter impudicum exercet, ex quo prævidet pollutionem per se,ac naturaliter secuturam,implicitè censetur,velle pollutionem,quamuis eam explicitè non intendat. Quare sicut mortale peccatum est directè procurare pollutionem, ita etiam applicare huiusmodi causas, ex quibus naturaliter pollutio sequitur; cum idem censeatur: ac proinde lex naturalis, quæ obligat ad non procurandam seminis effusionem, obligat quoque ad euitandas causas per se, & notabiliter influentes ad eam: ita *Sanchez,Lessius,Bresserus,Layman,Reginaldus locis citatis, Ioannes Sancius d.disp.21.num.25. & alij supra allegati.* Quapropter discrimen est inter dare causam his motibus carnis venereis ad ipsos ex se non ordinatam, sed ad aliud, ac proinde remotam, & dare causam proximam ad illos ex natura sua tendentem: quod non debet censeri illos velle, qui vult causam tantum eorum remotam: debet autem, qui vult causam proximam ad aliud non necessariam.

165 Dixi verò,*seclusa vrgenti necessitate,vel honesta causa*:nam ex causa aliqua necessaria, vel conuenienti, seu vtili animæ vel corpori, aut quouis bono fine honesta licet non necessaria, vel valdè vrgenti, nullum esse peccatum dare causam, seu non desistere ab ea causa, siue ex natura sua, siue non tendente in illos motus, quamuis in illa prævideantur inde subsequendi, v.g. sumptio cibi, vel potus modera-

derati,orare,studere, audire confessiones, mederi,fœminis cautè, & cum necessitate alloqui, nullum est peccatum, quamuis ex eisdem actionibus præuideatur pollutio subsecutura præter intentionem, & absque periculo in eius delectationem consentiendi; Ita *non solum Doctores allegati*, sed etiam Fagundez *in decalog.lib.6.cap.9.num.35. & Coninch de Sacram. disp.34.num.111. & 112. & communiter Doctores*, quos latè refert *Sanchez d.disput.45.num.4.* Vbi bene probat, tum quia ille, cui sic accidit carnis cõmotio, & pollutio,illam potius patitur, quam agat,cum ex naturæ corruptæ infirmitate procedat: Tum quia homo habet ius exercendi tales actiones; prosequenti autem ius suum non imputantur effectus per accidens ;ac præter intentionem subsecuti; ergo ob veneream commotionem, seu pollutionem non intentam non est arcendus, ne tales, similesque actiones sibi,vel proximo conuenientes,ad quas ius habet, exerceat; alias multæ actiones necessariæ: v. g. audire confessiones, & mederi fœminis in partibus pudendis, essent omittendæ, ac innumeri laquei iniicerentur,ostiumq; aperiretur infinitis scrupulis. Ex dictis ad cõfirmationem huius obseruãdi plura inferuntur corollaria.

Corollarium de confessario audiente confessiones,& chirurgo tangente,aut vidente verenda fœmina cum præuiso periculo pollutionis: & de nonnullis alijs actibus cum simili periculo.

166 PRimum est, confessarius potest licitè audire confessiones,in quibus multa turpia narrantur; Medicus,& Magister studij, vel docendi, vel disputandi causa legere turpia, & de illis cogitare; cursores, & equestres officium suum exercere, & viuendi modũ retinere, licet ob experientiam præuideatur ex prædictis actionibus subsecutura turpis commotio,& pollutio,dummodo absit periculum cõsensus in eius delectationem. Item,qui debet iter facere, facit licitè equo, nec tenetur illud pedes conficere, licet inde præuideat se passurum pollutionem. Item, qui

assistit

assistit in oratione,& vexatur cōmotione,seu delectatione venerea etiam cum periculo pollutionis, nō tenetur etiam subueniali assurgere à loco orationis,& alio diuertere,licet speret ita motum carnis mitigandum. Item licet quis sæpè expertus sit,si talem, vel talem cibum comedat,vel in tali situ corporis in lecto decūbat,vt dormiat,sibi euenire pollutionem in somno,& in vigilia; non peccat illū comedendo,aut taliter accūbēdo ob iustā,& honestā causam, s.quia vel nō habet alium cibū,vel talis cibus illi sit vtilis,vel quia aliter dormire non possit, vel non ita facile,& bene,vel ad leniendum dolorem, & nullū agnoscitur periculū consensus in pollutionis delectationem. Itē nullum est peccatum virtutis generatiuæ obstacula remouere adhibitis medicinis naturalibus non tendentibus ad verū semen expellendū,sed ad remouendos humores corruptos,licet inde præter intentionē sequatur pollutio absq; consensus periculo; ita doctores supra allegati;quia in prædictis casibus actiones illæ alioqui sunt licitæ, & ex natura sua nō sunt dispositiones ad seminis effusionem,neq; talis effectus intēditur, sed ex miseria naturę sequitur,& sētitur; vnde per accidēs, se habent huiusmodi actiones ad talem effectum.Itē omni culpa caret tactus alioqui licitus,quia necessarius,vel ex honestate, seu vrbanitate debitus, licet præuideatur ex eo subsecuturā vehementē corporis commotionē venereā,& pollutionē ipsā, si absit periculū consensus in eiusdē delectationē.Itē licent amplexus,& oscula iuxta patriæ morem vsitatū,cū præuisione pollutionis subsecuturæ; Licitum est chirurgo verenda fęminæ tangere, vel aspicere causa medicinæ;Quia quamuis hæ causæ valde influant in pollutionem,sunt tamen necessariæ,& debitę,& sua natura licitæ, ac proinde effectus præter intentionem inde sequens non cogit ab eis abstinere; & ob eandem rationem multo magis licita est amica salutatio,& allocutio,ex qua præuideatur secutura corporis venerea commotio,& pollutio, cum hæc magis remotè influant in illam.Quare etiam à peccato excusatur coniugata, quæ ob bonum, & honestum finem, scilicet ad eum alioqui à se auersum reddendum

sibi

sibi beneuolum, viro suo confabulando cum eo dicit verba amatoria,& valdè affectuosa non turpia(v.g.cor meũ, anima mea)licet inde illi soleat euenire pollutio,aut distillatio præter intentionem, & periculum consensus in eius delectationem;quod si absque necessitate,& honesto fine diceret cum præuisione talis effectus,ita vt in eis dicendis peccaret venialiter ex sola otiositate, & defectu debiti finis, adhuc non peccaret mortaliter, vt tradunt *Diana*, *&* *Turllench*, & constabit ex dicendis:Propter præfactam rationem,rectè etiam Diana allegata resolut.22. consuluit, iuuenem, cui necesse erat interuenire in quibusdam festis nuptiarum non peccasse,dum ex tactu manus mulieris in chorea in pollutionem incidebat sine tamen vllo periculo in illius consensum, tactus enim erat licitus ob causam honestam. Ob eandem quoque rationem *Sanchez d. disp. 45.num.9:Reginaldus, Bonacina, Filliucius, Turllench, Diana*, *Ioannes Sancius 9. disputat. 21. num. 29. & sequentibus*, docent non esse peccatum fricare partes pudendas, ad sedandum pruritum magnam inferens molestiam & mundare verenda a lanugine sanguineve menstruo & sordibus ad euitandum pruritum, & fæctorem, quamuis inde præter intentionem secutura præuideatur pollutio;mulierem queque nuptam arectam licite admittere incisionem cum simili periculo effusionis seminis:& matronas cum præuiso periculo pollutionis,licitè aspicere, & tangere verenda puellæ ad probandum, an fuerit a viro cognita; cũ enim adsit necessitas talium actionum, & ex intentione operantis non ordinentur ad effectum illum, sed pollutio sequatur per accidens ex miseria naturæ, & infirmitate operantis, absitque periculum consentiendi in pollutionem,siue eius delectationem, nulla adest culpa in exercitio earumdem actionum.

Dixi semper *secluso periculo,seu si absit periculum consensus in pollutionem ipsam, vel eius delectationem*, nam si subsit tale periculum probabile, quamuis causa sit alioqui licita, & honesta, ab ea abstinendum est sub mortali, nisi sit necessaria, & valdè vigens: quia amans periculum

culũ peribit in illo *Eccl. 3.* & ita aduertunt præallegati Doctores, & alij quos refert Sanch. *d. disp. 45. n. 6.* Ob causam autem necessariam, & valdè vrgentem, atque grauem, & honestam posse quempiam licitè se exponere periculo peccandi, seu consentiendi in peccatum, vel si iam expositus, posse licitè non deserere tale periculum, si alioqui habeat firmum propositum non consentiendi, licet alioqui per experientiam probabiliter, vel etiam certò putet se consensurum, & peccaturum, post plures alios docent *Sanch. d. disp. 45. d. n. 6. & lib. 1. sum. cap. 8. n. 3. Ioannes Sancius d. disp. 10. n. 8. & d. disp. 21. n. 9. & 29. Castrus Palaus to. 1. tract. 2. disp. 2. p. 9. §. 3. n. 8. & Turllench. d. dub. 9. n. 4.* ideoque aiunt, & chirurgum, qui pudenda fœminarum videndo, & tangendo expertus est, illas concupiscere, vel voluntariè pollui, ob illud periculum (si alius chirurgus deest) non teneri cessare à simili curatione; nec peccare se illi cõmittendo, dũ determinatus sit non peccare, quando illas partes videat, aut tangat; & similiter fęminam posse licitè ostendere pudenda chirurgo causa medicinæ, etiam cum periculo consentiendi: & eum, qui pedester ambulare non potest; aut equitare ad eius honorem conducit, seu sine aliqua nota honoris pedester ambulare nequit, non teneri ab æquitatione desistere, licet expertus sit in pollutiones ex ea obuenientes consentire, nec peccare periculo illi consentiendi se exponendo, dum semper determinatus sit non cõsẽtire, quando equester ambulet; & Parochum, vel alium sacerdotem, cui ex officio competit confessiones audire, vel non potest desistere ab audiendis confessionibus, nisi sequatur aliqua nota honoris, & famæ, licet ex auditis confessionibus expertus sit in pollutiones inde obueniẽtes cõsentire, non peccare audiendo confessiones, dummodo habeat firmum propositum non consentiendi, quamuis eas auscultet: & idem aiunt de alijs similibus exemplis: & prædictorum, & similium rationem eam adducunt; quia ex vna parte periculum peccati, non est peccatum formaliter, sed occasio illius; & ex altera non dicitur amare periculũ, qui necessitate compulsus in illud se conijcit, & tunc
potiùs

potiùs patitur periculū, quam illud amet, & poterit meritò confidere de diuina misericordia, fore vt maius auxiliū sibi præbeat, quo a lapsu caueat. Sed de hac re plura apud præfatos Doctores videantur: solū aduerto *Io: Sanc. d. n. 29.* dicere, esse licitum ad sedandum magnum pruritum, refricare verenda, non solum cum periculo pollutionis, sed etiam cum periculo consensus in pollutionem, dum tamē sit determinatus non consentire; sicut cum tali determinatione, & proposito licet chirurgo causa medendi inuisere, & tangere verenda fœminæ cum tali periculo consensus in pollutionem, vt dictum est; nam si (inquit) curare alterum a morbo est sufficiens causa, exponendi se tali periculo consensus, a fortiori erit curare se ipsum; nam vrgentior causa est, se ipsum curare, quam alium; ergo ob curationem pruritus licebit verenda refricare non tantum cum periculo pollutionis, sed & cum periculo consensus in ea: & ad hoc confirmandum magis, addit pruritum esse quamdam infirmitatem pudendorum valde molestam, scilicet salsi humoris in verenda fluentis habentis acrimoniam, & mordacitatem, ad quam sequitur ingens dolor pudendorum, ita vt fœmina, siue vir locis secretis assidue manus admoueant, adeo vt moraliter impossibile sit a refricatione abstinere: & hoc docuisse ait plures medicos nempe Aetium *tom. 4. Sermone 4. capit. 82. de satyriasi, & capit. 74. de furore vterino. Petrum Paulum Peredam in methodo curandi capit. de vteri suffucatione; Mercadum de affectionibus mulierum lib. 2. capit. 10. Castro de morbis mulierum, lib. 2. capit. 11. Rodericum Fonsecam in consult. tom. 2. consult. 68. Lit. D. Merquerumdam in pract. lib. 2. capit. 8. & Plateam in practica tom. 2. verb. genere capit.* 17. vbi dixit tantam molestiam pruritum parere, vt & ad fricandam dilacerandumque cutem vnguibus, aliovè impellat, & id, addit. Ioannes Sancius, docuisse alios medicos a se consultos, & dixisse aliquos, qui huiusmodi infirmitatem sunt experti. Sed & difficile, vt vix credo pruritum, tam ingentem dolorem parere, vt ob

eum

cum mitigandum honestetur refricatio cum periculo consensus in pollutionem.

Non est peccatum mortale, sed tantum veniale contra castitatem exercere actionem ad genus luxuriæ non spectantem cum præuisione commotionis venereæ & pollutionis secuturæ, etiam si actio illa alias sit illicita & non relata in finem honestum: & ponuntur varia exempla.

167 COrollarium secundum, peccatum mortale contra castitatem, seu mollitiei non committi ab eo, qui cũ præuisione commotionis corporis venereæ, & pollutionis subsecuturæ exercet actionem, seu apponit causam extra genus luxuriæ natura sua, & per se non ordinatam ad pollutionem, sed ad alium effectum, licet non sit necessaria, & honesta, sed illicita in se, vel ratione alicuius circumstantiæ, dummodo non intẽdatur ipsa pollutio, nec sit periculum probabile consensus in eius delectationem. Quare replens se nimio cibo, vel potu, aut comedens calida solum, vt gulæ satisfaciat, aut sine vtilitate ob solam commoditatẽ in lecto accubans tali situ v.g. supinus, aut otiosè, & sine necessitate iacens in lecto, aut absque vlla necessitate, & vtilitate equitans, aut otiosè, & inutiliter confabulans cum fœmina; aut audiens confessiones ob vanam gloriam, & si aliàs expertus sit ex his, vel horum aliquo sibi contingere grauem commotionem carnalem, & ipsam pollutionem, & præuideat probabiliter secuturam, non peccat mortaliter contra castitatem, seu peccato malitiæ, si pollutio contingat præter intentionem, & periculum cõsensus in eam: quia & si actio, seu causa ipsa sit peccatum, & culpa venialis in se, vel ratione circumstantiæ, tamen se habet remotè ad pollutionem, nec de natura sua est dispositio ad illam, nec ab operante ad illam ordinatur, sed pollutio sequitur per accidens ex miseria naturæ; & idem ob eandem rationem dicendum, etiamsi actio ipsa esset mortalis; v.g. nimia comestio vbi ob periculum grauis nocumen-

cumenti salutis, aut sumptio vini ratione ebrietatis præuisæ, vel damni notabilis corporis esset mortalis, & ex ea præuideretur subsecutura pollutio præter intentionem, & absque periculo consensus: non enim haberet malitiam mortalem contra castitatem, seu mollitiei; nec ratione pollutionis præcisæ tenetur homo talem causam vitare. Ita Doctores omnes supra *nu.*163. allegati, & alij quos refert Sanchez *d. disputat.* 45. *num.* 17. prædicta etiam confirmans, quia qui comedit, aut bibit, aut facit aliam ex prædictis actionibus de se non tendentibus ad commotionem veneream, prosequitur ius, quod habet a natura id faciendi; & cum difficillimum sit præsertim in cibo, & potu, quæ necessariò sumenda sunt, modum tenere; tum propter corruptionem naturæ & appetitus; tum etiam quia ignoratur quantitas determinata necessitati naturæ, non est quis obligandus ad rem adeo difficilem, vt vitet pollutionem inuoluntariè inde prouenientem. Limitant Doctrinam huius corollarij *Angelus, Syluester, Toletus locis supra allegatis, & Fagundez d. cap. 9. num.* 34. vt prædictas causas dare, seu præfatas actiones exercere non sit peccatum mortale contra castitatem, quando est solum dubium de pollutione subsequenda, secus vero si sit certum, vel probabile fore secuturam; sed talem limitationem non agnocunt alijs Doctores, & expresse reprobat *Lessius d. cap.* 3. *n.* 100. nam si in causa est peccatum mortale pollutio, dum valde probabile est eam secuturam; etiam erit dum est dubium; vt patet in periculo homicidij, vel adulterij, quia sicut non licet se exponere periculo manifesto, ita nec dubio, in quo non potest hic, & nunc prudenter confidere se vitaturum prædicta incommoda. Hinc *Io: Sancius d. disputat.* 21. *num.* 12 *fine Diana d. resolut.* 22. *& Turllench. d. dub.* 9. *num.* 7. aiunt virum, vel fœminam, quæ ob superpositionem vnius fœmoris in aliud, motum sensualitatis, & veneream delectationem sensit, non teneri sub mortali modus situs mutare, dum determinati sint, non consentire, neque sit periculum consensus. Idem quoque Sãcius *d. disputat.* 21. *num.* 18. infert eum, qui manè in lecto

sen-

ſenſit ſurgere membri genitalis erectionem etiam cum titillatione, & guſtu carnis, ſeu venerea commotione, non teneri ſaltem ſub mortali lectum deſerere, ſi abſit periculum conſenſus. Ex eiſdem etiam Sanchez *d.diſputat.*45. *num.*18. infert, quod & ſi nimia comeſtio, aut ebrietas, ex quibus præuidetur futura pollutio, efficerentur læthales in genere luxuriæ, ratione ſolius finis intenti ab operante (vt ſi quis calida comedat, vel excedat in potu, vt potentior fiat ad fornicandum) adhuc pollutionem in illis prçuiſam, & euenientem præter intentionem non eſſe mortalem, quia finis ille nihil cooperatur ad pollutionem, nec ad illam de ſe diſponit, nec deſiderium copulæ ceſſante delectatione in ipſa cogitata habet rationem cauſæ pollutionis; vnde ſolus exceſſus in cibo, & potu eſt illius pollutionis cauſa, pollutio autem in huiuſmodi cauſa, quæ per accidens habet rationem cauſæ illius (cum illius cauſa ſit ipſa natura, & diſpoſitio materiæ) prçuiſa & non intenta non eſt mortalis, vt probatum eſt. Ex eiſdem inſuper infertur de malitia pollutionis, quæ in ſua cauſa non ſpectante ad genus luxuriæ præuiſa eſt, & non intenta, iudicandum non eſſe ex ſpeciali malitia, quam eademmet cauſa habet, ita vt quantumuis eadem cauſa ſuo genere ſit mortalis, ſi pro vt talis nihil conferat, neque diſponat de ſe ad pollutionem, ipſa pollutio non ſit propterea cenſenda mortalis; (vt ſi quis comedat cibum ſuæ ſanitati valdè noxium, in qua præuidet, ſed non intendit pollutionem; id quod tradunt Sanchez *d.diſputat.*45.*num.*17. & 26. *Vaſquez vbi ſupra num.*9. Reginaldus *lib.* 22. *num.* 24. & alij ob eam rationem, quod grauitas peccatorum ſit iudicanda tantum ex his, ſeu accidentibus, quæ ad eam conferunt; cætera vero cenſeri tanquam phyſica, non moralia accidentia. Quare neceſſarium non eſt confiteri pollutionem in ſomnis ſequutã, & præuiſam in cauſa etiã mortali ad genus luxuriæ nõ ſpectãte, nec ad eã ex intẽtione operãtis ordinata; vt in ebrietate; vel in crapula notabiliter corpori nociua ad eamdẽ pollutionẽ nõ ordinata, vt in terminis Io: Sãc. *d. diſp.* 21. *n.* 13.

&

& apertè colligitur ex *Vasquez, Sanchez, & alijs doctoribus* allegatis: & ratio est; quia pollutio in somnis habita non est peccatum in se, vtpotè ab homine non vtente ratione orta, neque etiam est voluntaria pollutio in causa, cum ea per se non habeat influxum in illam, nec ad illum fuerit ordinata; sufficiet ergo fateri peccatum ebrietatis; & licet plurimi fideles explicent pollutionem sequutam, id cuenit, quia nesciunt, non esse peccatum; vel id faciunt, vt magis explicent culpam commissam in appositione causæ, seu occasionis illius pollutionis, vel humilitatis causa.

168 An vero quoties causa, seu actio ad luxuriam non pertinens, in qua præuidetur pollutio præter intentionem secutura, non est necessaria, neque vtilis, neque honesta illam apponere, seu exercere (v.g. superfluum cibum sumere, vel cibum calidum ratione solius gulæ, vel accumbere tali situ absque vtilitate) sit saltem peccatum veniale contra castitatem. Negat *Ariaga* 1.2. *dicta disp.*47. *nu.*19. nam si talis causa (inquit) non prohibetur grauiter, & sub pœna lethalis culpæ a præcepto non fornicandi, etiam si ex illa sequantur motus sensualitatis in se graues contra eam virtutem; ergo nec venialiter; hanc consequentiam subdit euidenter probari ex eo, quia præcepta naturalia, quando prohibent aliquid in materia graui, grauiter illud prohibent; ergo cum causæ illæ sint in materia graui ob grauitatem motuum carnalium venereorum, si prohibeantur eo præcepto naturali, debent necessario prohiberi grauiter, vel si grauiter non prohibentur, nec prohibebuntur venialiter. At communis doctorum opinio affirmat. ita *Sanchez d.disp.*45. *num.*22. *Vasquez d.disput.*115. *num.*9. *Layman d.lib.*3. *sect.*4. 2.16. *fine*. *Bresserus d. capit.*17. *num.*224. *versu. Dixi tamen. Sà v.luxuria, versu. si pollutionis. D. Gregorius, Glosa, & Gerson*, quos allegat Sanchez, & expressè videntur supponere alij doctores supra nu. 163. relati. Et ratio est; quia hæc passio commotionis grauis venereæ, ac pollutionis habet aliquam inordinationē, mētem conturbat, & ad malum incitat contra castitatē, cuius est inimica; ergo eadem castitas aliquantulū offenditur, dū

N nulla

nulla vtilitate, aut honesta causa cogente apponitur, aut non euitatur eiusdem pollutionis causa, licet remota. Ad argumentum vero Ariagæ respondetur non omnia, quæ prohibentur ab aliquo præcepto alicuius virtutis prohiberi grauiter; aliquando enim leuiter prohibentur, eo quod leuiter virtutem offendunt.

169 Aduertendum autem ad hoc peccatum veniale incurrendum non sufficere quoduis remotum periculum eiusmodi commotionum venerearum, nisi sit morale, ita vt probabiliter putentur secuturæ; aliàs multa opera ex se honesta, & plurima indifferentia hac de causa fierent venialiter mala, ac plæraque ex se venialia contraherent nouam malitiam venialem v.g.quiuis excessus in cibo,aut potu,quælibet libertas in agendo, vel loquendo; quę & similia non solent carere omni periculo dictarum commotionum; quapropter alioqui aperiretur aditus infinitis scrupulis de peccatis venialibus.

170 Aduertendum etiam, cum ad euitandum peccatum mortale tam in casibus huius corollarij secundi, quam tertij sequentis, debeat abesse morale periculũ consensus in ipsum motum carnalem, ac pollutionem consequentem; faciliùs peccari mortaliter dando occasionem motibus,& pollutionibus secuturis in vigilia, in qua solet esse periculum consensus, quam in somno; quia tunc cessat illud periculum; & hoc idem notarunt *Sanch. Ariaga, & Bresserus*.

171 Aduertendum insuper, quia spectata hominum fragilitate solet esse periculum consentiendi motibus venereis vehementibus, ac magnæ commotioni spirituum,& multo magis ipsi pollutioni;sæpius a mortali excusari non posse,qui actionibus nõ necessarijs huic periculo se exponũt.

Quid si actiones spectent ad genus luxuriæ sint tamen tantum peccatum veniale, vel ratione aduertentiæ non plenæ, vel ex paruitate materiæ.

172 COrollarium Tertium. actiones ad genus luxuriæ pertinentes in quibus, seu ex quibus exercitis præuide-

uidetur secutura magna commotio corporis venerea, & ipsa pollutio; si sunt tantum peccatum veniale, vel ratione semiplenæ aduertentiæ, vel ex paruitate materiæ non sunt peccatum mortale contra castitatem, seu mollitiei, licet exerceantur cum præuisione talis effectus secuturi, dummodo iste effectus non intendatur, & absit periculum consensus in eum; vel in delectationem. Quare delectatio rei turpis morosa ex se mortalis, at venialis ex defectu plenæ attentionis, seu aduertentiæ, ex qua sequitur pollutio præuisa, sed non intenta, non est mortalis ratione huius effectus: & similiter lectio libri non satis casti, vanus aspectus fœminæ, aut collocutio, aut tactus similiter leuia licet aliquantulum libidinosa, si fiant ex sola otiositate, curiositate, aut leuitate, & non ad excitandam commotionem spirituum generationi inseruientium, & captandam delectationem veneream, licet ex eis præuideatur secutura eadem commotio spirituum, & pollutio ipsa, non sunt peccatum mortale, sed tantum veniale secluso periculo consensus, ita *Vasquez 1.2. disput.* 108 *cap.3. & d. disputat.* 115 *num.* 13. *Sanchez d. disp.* 45 *num.* 19. *Ioannes Sancius d. disput.* 21. *num.* 14. *&* 15. *Lessius. Reginaldus, Layman. Bresserus, Filliucius, Villalobos, Bonacina, Diana locis supra num.* 163. allegatis, & plures alij *à Sanchez, Lessio, & Bressero, & Diana* relati. Corollarium, quando actio est tantum venialis ex defectu plenæ aduertentiæ, probat post alios Sanchez; quia vbi est defectus plenę aduertentiæ, non potest esse culpa mortalis, & sicut semiplena aduertentia rationis excusat a mortali illam delectationem morosam sua natura lethalem, ita pariter excusat à mortali pollutionem inde sequentem non intentam. Quando verò actiones sunt leues, & venialiter tantum turpes ex leuitatè materiæ; probatur quia sunt causæ leuiter influentes in pollutionem, & consequenter non sunt simpliciter causa pollutionis, sed hæc potius à causa naturali procedit, & ita etiam non simpliciter, sed tantum secundum quid, & leuiter pollutionis malitiam participant, atque adeo pollutio ipsa inde sequens non censetur

sufficienter volita, ita vt imputetur ad peccatum mortale. Coufirmat Sanchez: quia si obligatio præcepti castitatis vitandi causas pollutionis obligaret sub mortali ad vitandas causas leues, & leuiter sua natura concurrentes ad eandem pollutionem; videretur obligatio nimis dura, & ferè intollerabilis, cum sit valde difficile in natura corrupta vitare omnes causas leuiter lasciuas. Aliqui corollarium limitant, nisi perseueretur in prædictis actionibus venialiter turpibus, sentiaturque vehemens commotio appetitus, & periculum pollutionis proximum, etiam absque consensus periculo; nam tunc aiunt esse mortale, quia tenetur quilibet sub mortali reprimere appetitum, nec habere se negatiuè iuxta doctrinam supra 159. traditam, quando imminet proximum periculum pollutionis: sed reijcit hanc limitationem *Sanchez num.* 20. dicens illam doctrinam procedere, quando delectatio turpis, vel alia causa notabiliter influit, vt sequatur pollutio; eiusmodi non sunt res leuiter turpes; Mihi vero videtur admittenda propter ea, quæ infra nu. 175. versus finem dicuntur & num. 178. fine: imò idem Sanchez num. 21. addit, quod quamuis actiones illæ leuiter turpes essent mortales ex alia ratione v.g. ex voluntate copulæ, vel habendi tactus inhonestos, adhuc non essent mortales ratione seu malitia pollutionis in eis præuisæ, secluso consensu in delectationem veneream, aut in cogitationem, ac periculo consentiendi in pollutionem ipsam, sed tantum ratione praui illius desiderij; idque ob eamdem rationem, nempè quia non influunt notabiliter ad pollutionem, nec ad desiderium illud, cum non persistitur in cogitatione, & delectatione turpi, quæ solent vehementer excitare appetitum, & commouere vires pollutionis emissiuas.

Ample-

Amplexus, oscula, tactus, & aspectus leuiter impudica habita solum ex ioco, aut curiositate, leuitate, aut vanitate secluso periculo &c. sunt tantum peccata venialia, & quid si fiant causa captandi illam solam veneream delectationem, quæ ex ipsis oritur.

173 AD maiorem intelligentiam, & confirmationem prædictorum aduertendum quod amplexus, oscula, tactus, & aspectus leuiter impudica, cum fiunt solum ex ioco, aut curiositate, leuitate, aut vanitate absque delectatione venerea, & periculo fornicationis, aut pollutionis, sunt tantum peccatum veniale, vt tradunt non solum doctores allegati .n. præcedenti, sed & alij, quos allego in appendice post meum tractatum de triplici *iubilei priuil. num.* 52. *alij infra allegandi, & plures alij, quos refert Sanchez d. lib. de matr. disput*-46. *num.* 10. & 16. vbi dixit tactus leues, vt manum fœminæ, pedem, aut brachium premere, vellicare, digitos intorquere, non esse communiter peccata mortalia, sed venialia, quia communiter ex leuitate quadam, & ioco, & non ex libidine procedunt. dixi *leuiter impudica*, nam si tactus (vel etiam aspectus) sit valde impudicus, videlicet partium verendarum inter personas sexus diuersi, quamuis ex sola curiositate fiat, excusari non posse a mortali post alios docent Sanehez alios allegans *d. disp.* 46. *nu.* 11. & 23. & *Layman lib.* 3. *sect.* 4. *nu.* 10. & communiter doctores agentes de peccatis luxuriæ; quia, & per se, seu ex obiecto magnam deformitatem habet, & graui periculo hominem exponit, cum suapte natura ad veneream delectationem tendat, eamque valde excitet. Inter personas vero eiusdem sexus aiunt idem Sanchez *nu.* 12. Layman *d. n.* 10. eiusmodi tactum ex sola curiositate habitum interdum excusari a mortali peccato; Addit tamen Layman, hoc rarum esse saltem propter adiunctum periculum. Aspectus vero partium verendarum inter personas eiusdem sexus ex sola curiositate iuxta eundem *Layman ibidem*, & Sanchez *dict. numero* 12. facilius a peccato mortali excusatur, & idem de aspectu

N 3 sui

sui ipsius ex curiositate docent ibidem *Layman, & Sanchez d. disp. 46. num. 27. & 28.* Addit Sanchez nu. 11. tactum partium verendarum personæ alterius sexus super vestes, non intenta delectatione consurgente ex tactu mediato cogitato, sed leui quadam ex tactu immediato non esse mortalem, eo quod hæc delectatio ex suo genere non sit tanta, nec tam propinqua copulæ, aut pollutioni, vt reputanda sit materia grauis; quod an sit admittendum, constabit ex mox dicendis, circa difficultatem, an detur delectatio venerea morosa venialis tantum ratione paruitatis materiæ: Certum videtur, quod talis tactus super vestes ex ioco, vel leuitate, aut vanitate esset tantum venialis culpa: Numero quoque 24. ait idem Sanchez, si ob solam curiositatem, quis videat personā diuersi sexus nudam tam breui tempore, vt non detur occasio magnæ commotionis in corpore, vel si ratione ætatis puerilis; aut similis, aut frigidissimæ complexionis cesset id periculum magnæ commotionis, non fore peccatum mortale.

174 An vero ijdem tactus leuiter impudici, nempe manum fœminæ, pedem, vel brachium præmere, vellicare, digitos intorquere ob captandam solam delectationem veneream, seu libidinosam, quæ ex his leuibus tactibus gignitur sistendo in ea, & nullo modo referendo eos tactus ad finem mortalem, scilicet ad fornicationem, pollutionem, vel ad excitandum in se, vel in alia persona effectum horum, & similium, & etiam secluso periculo graui eorumdem, sint tantum venialia, an vero mortalia peccata; grauis difficultas est inter Doctores hic expedienda præmissa tamen prius sequenti distinctione, scilicet delectationem, quæ consurgit, seu consurgere potest ex tactu, aut visu proprij, vel alieni corporis communiter distingui à Doctoribus (ita enim Sanchez *d. disp 46. nu. 5. & lib. 5. sum. cap. 6. n. 13. Comitolus resp. mor. lib. 4. quæst. 20. nu. 5. & 6. Layman d. lib. 3. sect. 4. nu. 10. versic. quadam. Fillinctius tom. 2. tract. 30. cap. 9. nu. 175. & 176. & 180. Ariaga 1. 2. disp 47. n. 18. & alij recentiores, quos allegat Diana p. 4. resolut. 136.*) in sensualem, & veneream, seu libidinosam. Delectatio sensualis (à qua etiam

tactus,

tactus,& aspectus denominantur sensuales) est, quæ sentitur,seu percipitur ex tactu,vel visu proprij,vel alieni corporis ob solam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus,aut visus; qualis est delectatio,quæ sentitur ex tactu rei blandæ,mollis, suauis, vel teneræ (quam ideo Comitolus vocat tactum primarum qualitatum,cuiusmodi est lenitas,& mollitudo,frigidum,calidum.)& ex visu rei pulchræ;tactus enim rei blandæ,& visus rei pulchræ organa tactus, ac visus naturaliter delectant. Quare hæc delectatio nihil aliud est, quam oblectatio de re blanda,molli, leni,suaui,vel tenera, frigida,aut calida, quæ tangitur, aut pulchra, quæ videtur absque vlla prorsus delectatione rei turpis, seu quæ in partibus turpibus insurgit, ac proinde etiam tactus, & aspectus sensuales ab huiusmodi delectatione denominati dicuntur illi, qui purè sistunt in delectatione, quæ sentitur ex tactu rei alicuius mollis, suauis &c. vel visu alicuius rei pulchræ nullo modo procedendo ad delectationem in partibus turpibus insurgentem:Et hi tactus, & aspectus non sunt ex se vllo modo venerei, nec culpa;& etiam in cęlis inter beatos locum habituros communiter omnes docent; & S.Bernardus *ser. de assumpt. Virginis*,suauissima, & dulcissima oscula admittit inter filium, & Matrem; Certum autem est in eo statu procul absfuturam omnem veneream, & culpabilem delectationem; ac proinde ea delectatio, quæ ex tactu consurgit, & ex sola suauitate rei contractæ sentitur,non est venerea.Delectatio autem venerea,& libidinosa est, quæ sentitur in carne, & in ipso turpi membro cum commotione spirituum generationi deseruientium; & ita tactus,& aspectus venerei (qui tales ab hac delectatione venerea appellantur) sunt quando siue manus, siue os,siue turpiores partes corporis proprij,vel alieni tanguntur, vel fœmina,aut eius corporis partes,puta, mammillæ, vel turpiores inspiciuntur ab captandam delectationem inde insurgentem in ipso turpi membro,& ob commotionem spirituum circa partes libidinosas. Hac distinctione supposita.

175 Mihi videtur certum,vel saltem probabilius,prædictos

leues tactus, vel aspectus habitos ob solam delectationem sensualem naturaliter prouenientem ex sola proportione, & connaturalitate rei tactæ, vel visæ cum organo tactus, vel visus; dummodo aliud nō interueniat, siue probabiliter timeatur periculum; puta vlterioris delectationis venereæ, vel magnæ commotionis spirituum circa pudēda, vel pollutionis, aut consensus in fornicationem, non esse mortalia: ita videtur supponere Sanchez locis numero præcedenti allegatis, & indicat d. disp. 46. num. 20. in responsione ad tertium: idem indicat *Villalobos p. 2. tract. 40. diffic. 8. n. 6. versic. al primero.* expressè tradunt *Comitolus, Layman, Ariaga, locis num. præcedenti allegatis,* Bresserus lib. 6. de conscientia *cap. 17. num. 216. versic. preterea vniuersim* (vbi ait esse mortalem delectationem veneream cum spirituum commotione, quia a natura ordinatur tanquam dispositio ad generationem, non vero solam delectationem sensualem, quæ percipitur ex sola rei conformitate cum sensu tactus, qualis percipi solet ex tactu serici, aut floris) *Franciscus Sylicus relatus a Diana d. resolut. 136. & alij recentiores.* Probatur, quia huiusmodi leues tactus, & aspectus ob eam solam delectationem sensibilem naturaliter consurgentem ex suauitate rei tactę, vel visę non habent malitiam mortalem; imò per se loquendo non sunt mali, vt dictum est, sed ad summum indifferentes; ergo ad summum erunt tantum venialia, si fiant ob illā solam sensibilem delectationem ex contactu, vel visu naturaliter ob conformitatem cum sensu tactus; vel visus prouenietem sine relatione ad alium finem honestum, & debitum, idque ob peruersionē, & inordinationem debiti finis naturalis; cum enim ordo, & finis naturalis sit, vt actio fiat propter aliquē honestū finem, nō autem propter delectationem ex ea naturaliter consurgentem, dū sola delectatio illa sensibilis intenditur, peruertitur hic finis, & assumitur actio, vt medium ad habendam delectationem, quę tamē est quid consequens, & conditio quædā a natura tali actioni indita, vt esset motiuū, & incitamentū ad actionē assumendā ob honestum aliquem finem; sicut qui come-

mede-

mederet ob solã delectationẽ, vel biberet ob solã delectationẽ, aut haberet copulã cũ sua vxore ob solã delectationẽ venereã, cũ peruerteret tantũ ordinẽ naturalem actionis comedẽdi, potãdi, copulã habendi, non peccaret quidẽ lethaliter, peccaret tamẽ venialiter ob illã peruersionẽ, & inordinationẽ, vt docent cõmuniter Doctores; licet aliqui excusant etiã a peccato veniali; sed nõ rectè: si ergo hi tactus ex se nõ impudici, & mali nõ fierent ob illã sensibilẽ delectationẽ principaliter, sed ob aliquem honestum finẽ, puta tangeretur manus, vel haberetur osculũ in facie, vel in manibus ad fouendum mutuum amorẽ amicitiæ, vel beneuolentiæ, vel ad seruandam vrbanitatem, & consuetudinem patriæ, licet etiam accessoriè intenderetur illa delectatio sensibilis naturaliter consequens; seu in eam consentiretur, nullum esset peccatum, nec veniale. Confirmantur prædicta; quia si quis tangat more patriæ ob honestum finem manum alteri eiusdem, vel etiam diuersi sexus; & in ea tactione sentiret manus molles, leues, moderate calidas, ex hoc moueatur ad continuandam tactionem, & adstringendam manum ob eam delectationem ex mollitudine, leuitate, & caliditate consequentem absque vlla spirituum commotione, & sensu libidinis, neque in carne, neque in mente, ad summum damnari potest peccati venialis, quia non referat eã actionem in debitum finem, non vero mortalis. Neque verum est huiusmodi delectationem sensibilem tantum sine cõmotione spirituum, & sensu libidinis in corpore, vel mẽte ordinari ex se ad copulã, & corporum cõmixtionẽ, aut tactus sine commotione carnis, & sensu libidinis esse signũ copulæ, vel dispositionẽ ad illã, seu materiã proximã ad effusionẽ seminis; sed solũ quãdo habentur cũ delectatione copulę, vel pollutionis, vel ob captandã voluptatẽ libidinosã, & venereã cõsurgentẽ in carne cum cõmotione spirituũ. Et ita tãdẽ videtur sentire etiam Filliuc. *d. n.* 180. vbi distinguit actus delectabiles, secũdũ sensũ tactus, seu secundũ primas, aut secũdas qualitates naturales mollitiei, leuitatis, a libidinosis, & venereis; & admittit posse haberi
sine

sine vlla libidine, & commotione venerea; & sæpè etiam haberi si simplices sint, & quodammodo transeuntes, non autem replicati, & cum mora; quia tunc (inquit) transeunt in venereos, vtpotè excitantes moraliter commotionem in partibus venereis. Et ego etiam fateor prædictos tactus replicatos, vel diu continuatos, præsertim oscula in ore replicata, & cum mora non solum inter personas diuersi sexus, sed etiam eiusdem (excipio quæ habentur cum infantibus, cum non soleant excitare turpes motus, neque in carne, neque in mente, vt docet Sanchez d. disp. 46.) cauenda omninò esse propter morale periculum commotionis magnæ venereæ, ac libidinosæ in carne, & progressus in adulteriorem delectationē venereā: propterea dixi: *prædictos leues tactus, & aspectus &c.* imò existimo oscula inter virum, & fœminam omnino solutos, habita etiam ob solam delectationem sensibilem, & non principaliter ob alium finem honestum (qualis est quando fiunt iuxta morem patriæ in signum amicitiæ & beneuolentiæ) vix posse carere periculo magnæ commotionis, & delectationis in carne, & consensus in vlteriorem actum libidinis, tactus enim per oscula, & amplexus ob captandam veneream delectationem, quæ ex ipsis oritur, videntur semper graues iuxta tradita à Sanchez dicta disp. 46. nu. 7. Quare quod idem Filliucius *d. cap. 9. n. 179.* & eum sequentes Diana *d. resol. 136. & Turllench. in decalog. lib. 6. cap. 1. dub. 12. n. 5,* dicunt, scilicet tactus ob solam delectationem sensibilem assumptos quoad praxim vitandos esse sub peccato mortali, tanquam periculosos adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxuriosi, quia supposita communi morum corruptione, & propensione naturæ in voluptates carnis, est moraliter impossibile (si præcipuè eiusmodi tactus fiant inter personas habiles ad comixtionem carnalem corporum) vsurpari posse absque morosa delectatione concubitus, vel consensu etiam in ipsam; hoc, inquam, procedit de tactibus ob captandam delectationem veneream consurgentem in carne cum commotione spirituum in partibus pudendis: & de his omninò viden-

videntur loqui Filliucius, & Turllench, cum ad id probandum allegent dicta a *Sanchez allegata disputat. 46. num.7.* vbi certè loquitur de amplexibus,& osculis habitis inter virum, & fœmina solutos lege matrimonij, & sponsalium propter solam delectationem sensibilem in appetitu sensitiuo ex ipsis consurgentem,& ita ob captandam veneream delectationem.

In materia venerea, delectationibusque venereis an detur paucitas materia excusans a culpa mortali.

176 Difficultas ergo proposita præcedenti numero procedit de tactibus non purè sensualibus sed venereis non grauibus,sed leuibus,seu leuiter commouentibus carnem, & leuem, & modicam delectationem veneream, seu commotionem spirituum generationi inseruientium excitantes,quales sunt(vt dixi) fœminæ manum tangere, pedem præmere, brachium vellicare, digitos intorquere, an si habeantur ob captandam illam solam delectationē veneream, quæ ex ipsis oritur, sine relatione eorum ad fornicationem,vel pollutionem,vel ad excitandum in se, vel in alia persona affectum horum,& similium,& cessāte periculo graui eorumdem,sint peccata lethalia:E esse peccata mortalia, est sententia plurium Doctorum, qui asserunt in materia luxuriæ, & delectationibus venereis non dari paruitatem materiæ a mortali excusantem (sicut in alijs rebus) sed quamcumque delectationem veneream quantumcumque exiguam,si sit morosa,& deliberatè capiatur,esse culpam mortalem. ita *Caietanus 2.2.quæst. 154. art.4.Tabiena verbo osculum,*& ex recentioribus,*Comitolus d. quæst.10.num.4.Rebellius de oblig.curt.p.2.lib.3.quæst.19.sect.3. Bresserus d.cap.17.num.226.Filliucius d cap.9. num.179.Turlench vbi supra; Gordonus lib.1.quæst. 11. num.23. Diana p.3. tractat.5.resolut.1.p.4.tract.4.resolut.136.& p.5. tract.5. resolut.5.* Hanc eandem sententiam *Claudius Aquauiua* decreuit esse docendam a Theologis societatis; pro eadem sententia Diana allegat *Baldellum, Lopez, de Taxada*: allegat

gat etiam, *Lessium, Basilium Rusium, Castrum Palaum*, qui tamen in locis à Diana allegatis non loquuntur in casu huius difficultatis, sed de delectatione venerea deliberatè capta de obiecto venereo graui puta, de ipsa copula, aut pollutione cogitata, de osculis, & amplexibus inter marē, & fœminam solutos, de qua etiam delectatione venerea, deliberatè capta ex osculis, & amplexibus loquitur Sanchez *lib.5.sum. d.cap.6.nu.*12. & etiam decretum Clementis Octaui, de quo ibidem *Sanchez, & Diana d.resolut.v.tract. 5. partis* 5. Probatur hæc sententia, quia omnis delectatio venerea insurgens ex aliqua commotione spirituum generationi deseruientium, est quædam inchoatio pollutionis; ergo sicut inchoactus actus pollutionis est mortalis, ita etiam quæcumque eiusmodi delectatio. Præterea probatur ex dictis num.pręcedentis in fine, scilicet, quod supposita corruptione naturæ humanæ ob culpam originalem, videtur moraliter impossibile haberi tactus venereos inter personas diuersi sexus ad copulam habiles absque delectatione morosa concubitus, vel consensu in ipsum; Denique quia quis vix potest sibi rationabiliter persuadere delectationem ex huiusmodi tactibus futuram esse modicam, & quærendo talem delectationem ex huiusmodi tactibus exponitur periculo existimandi leuem, & venialem esse obcęcatus concupiscentia, cum tamen grauis, & mortalis sit.

177 Et etiam Arriaga, licet *d.disp.*48.*num.*17. teneat dari materiam leuem in motibus, & delectationibus venereis à mortali excusantem: puta, si quis commotioni spirituum, & membri genitalis admodum leui præter intentionem, & inuoluntariè exortæ, & delectationi ex tali leui commotione insurgenti deliberatè consentiat, quia, inquit, in talibus motibus non inuenitur malitia grauis, cum exiguam habeat indecentiam, & valdè remotè disponat ad pollutionem; ac proinde non pōtest esse graue peccatum eis insurgentibus consentire; sed tantum veniale, eo quod (addit) nulla ratio sit, cur in alijs materijs sit paruitas materiæ, & non in hac; tamen eodem *num.*17. *tertia conclusione*, & *num.*

*num.*18. procurare eosdem motus, eisque delectari, quantumcumque sint in se leues, & similiter tangere manum, vel os fęminæ, vel aspicere, quærendo deliberatè delectationem insurgētem in carne ob commotionem spirituum, quantumcumque tactus, vel aspectus sint leues, asserit esse peccatum mortale. Probat quia cum natura ex se ad hos venereos motus, & delectationes eis annexas vehementer propendeat, non est in potestate hominis præscribere sibi terminum, vt in alijs materijs furti; iniuriç &c. in quibus potest homo certum terminum sibi præscribere, volo v.g. *furari quatuor cruciferos*, & non plus; qua posita voluntate, certo plus non furabitur; non sic in materia carnis; dum enim quis vult expressè excitare in se motus leues, & ad hoc apponit causam, excitabit grauissimos; & cum habeat iam affectum positiuum ad illos saltem in genere, valdè ponus erit ad consentiendum eis etiam maioribus; & ita citra dubium se exponit periculo graui maiorū motuum, & delectationum in carne inde insurgentium: Quare licet in ipso tactu, vel aspectu, quo quis directè intēdit leuem motum, leuemque delectationem in carne excitare, posset sibi præscribere terminum, quem certò seruet, vt in voluntate furandi; tamē in motu & delectatione in membris insurgente non potest eum terminum præfigere, vt dictum est: sed imò potiùs procurando leuem delectationem excitabit in se grauissimam commotionem veneream; sæpè enim etiam quando homo nullam procurat, ex solo aspectu fœminæ etiam leui excitari solet grauissima tentatio; multò magis igitur simili tentationi occasio datur, quando homo positiuè bene afficitur erga eam delectationem saltem in specie, eamque procurat; ergo homo procurando eos motus, easque delectationes per tactus, & aspectus quantumcumque leues, per se peccat mortaliter ob euidens periculum excitationis grauium commotionum, & delectationum, & consensus in eas. Ita Ariaga addens *num.* 17. fine hanc rationem non habere locum, quando aliundè huiusmodi actus, & delectationes excitantur, & sunt leues; estò tunc homo illis consentiat: nam

cum

cum homo ipse tales motus, & delectationes non procurauerit, non se exposuit ipse ei periculo; item quia causæ iam aliundè non excitarunt nisi leues; per consensum autem in eis non apponit nouam causam maiorem motuū, & delectationum, ac proinde non apparet, vnde tunc iudicandus sit grauiter peccare. Verum si ipsa procuratio harum commotionum,& delectationum in membris attenta hominis corruptione, & propensione vehementi in eas est semper obnoxia graui periculo maiorum commotionum,& consensus in eas; ac proindè in praxi ipsa procuratio est censenda mortalis culpa; eumdem effectum habebit consensus in commotionem , & delectationem leuem aliunde excitatam; nam, cum iam deliberatè placeat,& approbetur, censetur homo procurare continuationem,& non est in sua potestate, vt eadem commotio, & delectatio,dum placet,non efficiatur maior attenta naturæ humanæ corruptione, & propensione in venereas delectationes ; ergo consentiendo commotioni, & delectationi leui aliunde exortæ, exponit se graui periculo excitationis grauis commotionis, & delectationis & consensus in eam, cum iam habeat positiuum affectum in illam,& ita peccat mortaliter.

178 Cæterum aliorum sententia probabilis, vel forte probabilior est tactus fœminæ leues, (quales sunt expositi in propositione difficultatis) & etiam aspectus leues (quales sunt inspicere faciem & etiam crura, brachia, vel pectora nuda fœminæ iuxta *Sanchez d. disputat. 46. num. 26.*) habitos ob captandam solam illam delectationem libidinosam leuem ex ipsis consurgentem absque periculo cōsensus in maiorem delectationem, vel in copulam; aut pollutionem, non esse peccata mortalia, sed tantum venialia ob leuitatem materiæ. Quare fundamentum, seu ratio est; quia hi tactus, & aspectus etiam si libidinosi, & fiant causa captandi delectationem veneream, & ad genus luxuriæ spectantem ex ipsis consurgentem, sunt leuiter turpes,cum & ipsa delectatio,& commotio venerea, quam de se causant , & ob quam exercentur , sit modica;

dica; tales enim tactus, & aspectus leues de se apti sunt tantum leuiter commouere corporis membra,& spiritus, leuiterque incitare ad coitum vel pollutionem, atque adeo solum remotè influunt,& disponunt ad concubitum carnalem, & pollutionem, atque ad voluptatem mortalem,quæ in copula, & pollutione est; ergo non sunt de se peccata mortalia, sed tantum venialia ob materiæ paruitatem; sicut enim materiæ leuitas excusat a mortali in alijs materijs(vt patet in furto,in detractione in contumelia, in læsione corporali, in impatientia, in gula, & in alijs peccatis exceptis ijs, de quibus supra nu.85.) ita nulla apparet ratio, cur non etiam in materia luxuriæ, præsertim cum in hac materia sint diuersi gradus tum actuum tum delectationum ordine quodam secundum magis, & minus se habentium. ita Nauarrus *in man.cap.14.nu.42. vers. decimo nono Sanchez d. disputat.46. num.9.* (vbi ait oscula, & amplexus inter personas diuersi sexus solutas ob solam delectationem sensibilem in appetitu sensitiuo ex ipsis consurgentem excusari a mortali ob paruitatem materiæ, scilicet, si delectatio venerea sit modica, & absit periculum pollutionis,& consensus in actum carnalem;quia, inquit, quamuis paruitas copulæ carnalis dari nequeat, potest tamen dari paruitas delectationis venereę,quæ ex solo tactu, vel cogitatione insurgat; & si merito hanc sententiam de osculis,& amplexibus retractauerit *d.lib.5. summæ cap.6.num.12.*) *num.*17. *&* 20.(vbi loquitur de prædictis tactibus leuibus,seu leuiter turpibus) *& num.*26.(vbi loquitur de visu fœminæ, & partium corporis eiusdem leuiter turpi.) *& num.* 30.(vbi excusat a mortali dicere verba turpia ab delectationem rei turpis cogitatæ, si delectatio sit modica,)idem Sanchez d.lib.9. disputat. 17. num.18.(vbi ait procurare leuem spirituum vitalium commotionem leuemque distillationem absque periculo pollutionis excusari a culpa mortali ob materiæ paruitatem) Salas 1.2.*disputat.6.sect.*21.*num.*149.*Villalobos tom.*2.*summa tract.* 40.*diff.*9.*num.*8. *Lessius de iust. lib.*4.*cap.*3.*num.*59.*in responsione ad secundam rationem* (vbi ita habet, etiam hic fortè

potest

potest dari materia parua, vt si contactus sit adeo leuis, & breuis, vt non sit aptus notabilem commotionem excitare. Dici etiam potest, & si in contactu nō sit materia leuis, posse tamen eam dari in visu) *Freitas ad Rodericum Achuna de sollicitantibus quæst.7.nu.28. Ioannes Sancius in selectis disputat.11.num.22.& disputat.21.num.21.& 22. Granadus 1.2.controu.6.tractat.4. disputat.7.num.6. & alij* quos referunt *Sanchez, Salas, Ioannes Sancius locis citatis, Arriaga, d. disputat. 47.num.17.& Diana p.3.tractat.5.dicta resolut.1.& p.5. tract. 5.d.resolut.5.* & asserit idem *Diana p.3. dicto tractat.5. resolut. 89.* Neque obstant prioris sententiæ rationes; nam ad primam respondetur ex dictis supra corollario tertio. num. 171. huiusmodi tactus, & aspectus, & delectationem inde consurgentem, cum leuiter & remotè influant, & disponāt ad pollutionem, secundum quid tantum, & leuiter participare eius malitiam. Neque quæcumque delectatio venerea ex quocumque tactu capta, sed tantum vehemens capta ex grauioribus tactibus venereis, censetur inchoatio quædam coitus, seu pollutionis, vt dicit *Sanchez d. disp. 46.num.17.* Ad secundam, & etiam ad rationem Arriagæ, respondetur non apparere quod sit moraliter impossibile haberi prædictos tactus, & aspectus leues absque deliberata delectatione concubitus, vel consensu in ipsum, vel absque morali periculo excitandi vehementem commotionem spirituum & delectationem, si prædicti tactus, & aspectus ex se leuiter libidinosi sint breues, & minime replicati; Quod si diù continuarentur, vel sæpè replicarentur, tunc facilè excitarent magnam commotionem, & delectationem in membris, iuxta dicta supra num.165. Secus verò si sint simplices, & transeuntes. Ad tertiam respondetur non esse in praxi moraliter impossibile discernere delectationem modicam a graui, & notabili, seu quando delectatio venerea sit modica, quando notabilis.

179 Et quidem *Sanchez d.disputat.46. num.9.* & 17. videtur modicam delectationem veneream appellare illam, quæ non incitat vehementer ad coitum, seu pollutionem; seu secum non trahit periculum pollutionis, aut consensus in

copu-

copulam carnalem, notabilem vero, quæ vehementer incitat ad copulam, vel pollutionem, illiusque periculum habet annexum. Ioannes Sancius autem *d. disput.* 21. *num.* 22. licet admittat hoc signum, seu hanc rationem frequenter, & vt in pluribus procedere, negat tamen in omnibus casibus admitti, eo quod in senibus, ægris, vel conualescentibus, aut in defessis ex pluribus coitibus periculum pollutionis, & copulæ deficiat, non tamen notabilis delectatio venerea; Additque non deficere in his periculum pollutionis, quia in illis deficiat membri erectio, cum absque membri erectione pollutio illis euenire possit, vt ipse explicat numero 18. Quare ipse ait signum generale, seu rationem vniuersalem ad ferendum iudicium de grauitate, vel leuitate delectationis ab experimento illam sentientis esse desumendam, ita quod si delectationem ferè turbantem rationem sentiat homo, ad aliaque cogitanda præter carnalia non permittentem, notabilis, & grauis iudicanda sit; & si hæ circumstantiæ deficiunt, leuis, & modica censeri debeat, sed vt idem Sancius ibidem sibi obijcit, videtur nunquam contingere posse delectationem veneream mentem turbare, nisi adsit periculum pollutionis. Igitur puto leuem delectationem esse, si contingat cum leui titillatione, seu commotione spirituum circa pudenda, & in ipsis genitalibus; grauem vero, & notabilem, si contingat cum vehementi, & magna eorumdem spirituum commotione, siue coniugatur etiam ipsius membri erectio, vt ferè semper euenire solet, siue non; eiusmodi enim vehemens titillatio, & commotio spirituum generationi, seu effusioni seminis deseruientium, de se est proxima dispositio ad ipsam pollutionem, & ideo si deliberatè volita, habet malitiam mortalem ipsius pollutionis, & consequenter etiam delectatio venerea ex eadem commotione insurgens; & hoc idem sentire existimo *Sanchez d. n.* 17. & alij, dum aiũt tactus, & aspectus leues, etsi libidinosos, scilicet, habitos ob captandam solam venereã delectationẽ ex ipsis cõsurgentem esse veniales, quia leuiter incitant ad seminis effu-

O sio-

sionem, tactus autem, & aspectus, grauiores libidinosos, vt oscula, & amplexus inter virum, & fęminam solutos; aspectus partium verendarum personæ diuersi sexus habitus ob captandam solam voluptatem ex ipsis consurgentem sine relatione ad copulam, vel pollutionem, & periculo consensus in eas, esse mortales, quia vehementius incitant ad coitum, & seminis effusionem.

180 Dixi siue *coniungatur ipsius membri erectio, siue non.* Nam (vt notauit Ioannes Sancius *d. disp. 21. num. 18.*) Sicut sola membri erectio non est motus inordinatus contra castitatem, nisi contingat cum commotione spirituum, & carnis delectatio sentiatur; experientia enim teste sola membri erectio delectationem carnis non affert; si quidem ex retentione vrinæ contingit sæpè membrum erigi, qua tamen expulsa, statim membrum laxatur; & licet dicatur ille motus inordinatus, non tamen talis dicitur, quia contra virtutem; sed latò tantum vocabulo, quatenus voluntati non subditur; subderetur tamen in statu innocentiæ, in quo nisi voluntas vellet membri erectionem; nunquam appetitus inciperet: vt ergo motus ille erectionis sit obiectiuè aduersus castitatem, coniunctus esse debet cum delectatione venerea, & cum commotione spirituum generationi deseruientium, qua homo incitatur ad copulam carnalem, aut effusionem seminis: Castitas enim velut proprium obiectum respicit delectationes venereas moderari, vt docet *S. Thom. 2.2.q.151.art.3.* quare vbi non aderit commotio illa spirituum, & carnalis delectatio, neque etiam erit in ordinatio cõtra castitatem: sicut inquam reperitur ipsa membri erectio absque commotione, & delectatione venerea ita e contra experientia ipsa teste reperitur aliquando absque membri erectione commotio ea spirituum, & carnis delectatio, vt patet in ægris, vel conualescentibus, aut iis iam defessis ex coitibus, qui intentantes secundum, vel tertium accessum membrum non erigunt, sentiunt tamen spirituum commotionem & veneream delectationem in genitalibus, & aliquando etiam seminis effusionem, vt Sanchez de matr. lib. 7. disput. 98.

sput.94. num.4. docet; & reperitur in patientibus fluxum feminis, aut in ligatis maleficio; his enim opera dæmonis membrum laxatur, itaut penetrare non queant vas fœmineum; emittunt tamen semen de quo idem Sanchez *d.lib.7.disputatione 94. numero 6.* Ex quibus exemplis constat motum, seu erectionem membri interdum separari a commotione, & delectatione venerea; & e contra.

181 Colligitur etiam ex modo dictis resolutio difficultatis (de qua latè Ariaga 1. 2. disp.47. sect.4. eam ferè inextricabilem existimans) an scilicet prædicti motus carnis venerei, scilicet, ipsa membri virilis erectio coniunctam habens eam spirituum commotionem, vel ipsa spirituum commotio sola absque erectione &c. habeant moralem malitiam obiectiuam contra castitatem, & an leuem vel grauem; tamquam certum enim tenendum est habere in se obiectiuè malitiam moralem, quæ consistit in illa inordinatione aduersus castitatem omnes venereas delectationes moderantem; cum enim eiusmodi motus carnis suapte natura ordinentur, & disponant, ac incitent ad carnalem copulam, & pollutionem, nec alium honestum finem habere possunt: sicut ergo ex præcepto castitatis prohibetur ipsa pollutio, & copula fornicaria, ita etiam eodem præcepto vetatur hi motus; prohibito enim fine, censentur etiam prohibita media necessariò ad illum finem ordinata, & tendentia; & ita ijdem motus participabunt malitiam a pollutione, vel a copula fornicaria; id quod fatentur omnes doctores in præcedentibus allegatis, & idemmet *Aringa d.disput.47. num.15. & seqq.* Et quidem grauiter, & mortaliter mali obiectiuè censendi sunt, si sint hi motus magni, & vehementes, quia tunc proximè, & efficaciter disponunt, & valdè, ac grauiter incitant ad pollutionem; censendi autem erunt leuiter inhonesti, & mali obiectiuè, si sint leues, scilicet si sentiatur leuis commotio spirituum, quia tunc leuiter incitant, & valdè remotè disponunt, & inducunt ad pollutionem. Vnde de his motibus, sicut de tactibus leuiter turpibus, philo-

sophandum est. Et ita etiam sensit idem Ariaga d. num.15. fine, ex quo fit, vt liberè consentire commotioni spirituum, & membri valde leui naturaliter, vel aliunde præter intentionem & voluntatem exortę sit tantum culpa venialis, secluso periculo consensus in alium actum mortalem, id, quod docuit idem Ariaga d.disput.47. num.17. vt dixi supra num.177. & tenentur fateri etiam doctores num.178. allegati: eo enim ipso quod commotio ipsa est tantum obiectiuè venialiter mala, etiam consensus in illam contrahet tantum venialem malitiam; dummodo tamen non sit diu continuatus, vel sæpe circa eamdem commotionem replicatus; nam tunc non careret graui periculo excitandi vehementem commotionem (vt dixi de tactibus leuiter turpibus diu continuatis, vel replicatis) & etiam consentiendi in copulam fornicariam, vel pollutionem.

Quæ delectatio morosa venerea modica sit peccatum mortale.

182 Porrò non quæcumque delectatio venerea morosa modica est tantum peccatum veniale; sed quæuis delectatio venerea, & libidinosa quantumuis modica, & remissa, si deliberatè capiatur, ex obiecto graui, vt delectatio non solum copulæ fornicariæ, vel pollutionis cogitatæ, sed etiam amplexus, & osculi inter marem, & fœminam causa gustus veneri ex illis insurgentis, secluso etiam periculo pollutionis, & consensus in aliud obiectum graue, est semper peccatum mortale, sicut complacentia de furto, aut homicidio mortalis est quantumuis modica, & remissa. Delectatio enim (vt supra num.135. & 136. dictum est) sumit suam malitiam, & deformitatem ab obiecto, & opere, ex quo oritur; ac proinde si obiectum sit obiectiuè mortaliter malum, ita etiam delectatio deliberatè capta de illo: & ita sentiunt doctores relati a Diana par.3. tractat.1.

reso-

resolut. 1. *nempe Castrus Palaus tomo* 1. *tractat.* 2. *disputat.* 2. *part.* 10. §. 2. *num.* 4. *Basilius* Pontius de matrim. libro 10. capit. 16. §. 2. numero 8. Rebellus *de obligat. iustit. par.* 2. *libro* 3. *quæst.* 19. *sect.* 3. ita etiam oportet sentiant doctores allegati supra d. num. 136. & in terminis etiam solius delectationis venereæ insurgentis ex osculis, & amplexibus inter virum, & fœminam solutos ad finem eius delectationis captandæ habitis absque imaginatione, vel intentione copulæ, vel pollutionis eiusdem periculo, vel consentiendi in alium actum mortaliter malum, eam scilicet quamtumuis modicam esse peccatum mortale contra Martinum de magistris *tractat. de temperantia, quæst.* 3. *de luxuria, & nonnullos alios à Sanchez lib.* 9. *de matrim. disput.* 46. *num.* 6. *relatos* sentiunt doctores communiter ab eodem *Sanchez ibidem num.* 6. *allegati*, *& præter eos Aponius* 3. *part. lib.* 3. *capit* 25. *initio versu : hac opinio est vera, Lessius de iustit. lib.* 4. *cap.* 3. *numero* 59. *Layman libro* 3. *sect.* 4. *num.* 10. *Ioannes Sancius d. disputat.* 21. *num.* 25. *versic.* aduertendum, & idem *Sanchez in summ. libro* 5. *capit.* 6. *num.* 12. retractans oppositum (scilicet esse solum culpam venialem delectationem veneream de amplexibus, & osculis, & de re turpi cogitata, dum quis loquitur de re turpi grauiter mala ad eundem finem; quando est modica. Quod docuit d. disputat. 46. numero 9. & 30. & eodem numero 12.) vbi etiam refert sententiam doctorum communem, nempè amplexus, & oscula libidinosa; quamuis sola venerea delectatio, quæ in ipsis sentitur, placeat excluso alio ordine ad copulam esse mortalia peccata, approbatam fuisse, & contrariam Martini de magistris damnatam à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. qui Inquisitoribus fidei denunciari iusserunt asserentem in illis amplexibus, & osculis non committi crimen lethale; Et ratio est, quia amplexus, & oscula libidinosa ex se sunt valde turpia, vtpote proximè disponentia ad copulam, & notabiliter excitantia vehementem corporis, & spirituum generationi subseruientium,

commotionem, ac proinde delectatio, quæ eis capitur, est inchoatio copulæ carnalis, seu pollutionis: & ita participat totam malitiam pollutionis, de qua re plura Sanchez *d. disput. 46. nu. 7. & Lessius d. nu. 59.*

Quodlibet peccatum mortale in genere luxuriæ, in quo prævidetur, vel prævideri debet pollutio sequutura, habet specialem malitiam mortalem contra naturam, seu mollitiei.

183 COrollarium quartum, & vltimum, omnis actus turpis in genere luxuriæ (seu contra sextum præceptum) mortalis, in quo prævidetur pollutio secutura etiam non intenta, habet specialem malitiam mortalem contra naturam, seu mollitiei ratione illius pollutionis præuisæ, ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 45. num. 6. & 23.* & alij Doctores supra *num.* 163. & 172. allegati præter Ioannem Sancium. Et ratio iuxta eosdem Doctores est, quia actus turpes in genere luxuriæ mortales (quales sunt cogitatio de actu mortaliter turpi, amplexus, oscula, tactus, aspectus partium verendarum, cum ob necessitatem non excusantur à culpa, & similes actus grauiter turpes) de natura sua notabiliter influunt ad pollutionem, suntque per se causa illius, & propinqua dispositio ad illam; ac proinde adhibere talem causam sine vrgenti necessitate, est peccatum eiusdem qualitatis, & conditionis, ac pollutio ipsa directè intenta, vt supra *numer.* 164. latiùs probatum est. Quare iuxta hos auctores, si in vigilia prædicti actus turpes mortales exerceantur cum præuisione pollutionis futuræ in somnio licet non intentæ, pollutio ipsa in somno contingens erit mortale peccatum tamquam indirectè volita in appositione causæ per se illius.

184 At doctrinæ huius corollarij, illiusque probationi aduersatur Ioannes Sancius *dict. disputat. 21. numer. 15.* dicens cogitationem turpem, verba impudica, & tactus, quæ sunt crimina mortalia, etsi sint causæ per se ordinatæ ad pollutio-

lutionem, non tamen efficaciter in illam influere; quia alioqui ferè nunquam apponerentur, quin sequeretur pollutio. Contrarium tamen euenire testatur experientia: Qua propter, inquit, cum sint causæ inefficaces pollutionis, non magis influunt in eam, quam si essent per accidens causæ; imò aliquando (addit) crapula, quæ est causa per accidens pollutionis, efficacius influit in pollutionem, quam turpis cogitatio. Quare si quando in vigilia cogitatio turpis, vel tactus impudicus præsens est, non influit efficaciter in pollutionem, nec appetitum efficaciter mouet ad illam habendam experientia magistra, credi non potest influxuram, quando absens nempe in somnis: Explicari enim non potest, quænam virtus phisica maneat in appetitu causata à cogitatione turpi habita in vigilia, vt possit influere phisicè in pollutionem habitam in somnis; certum autem est causam nullam posse phisicè operari, nisi ipsa, vel aliqua virtus eius actu existat. Quod si cogitatio turpis coniungeretur cum membri erectione per tempus durante, seu cum magna commotione spirituum, tunc habebit influxum in pollutionem, cum illa commotio sit causa per se efficaciter influens in eamdem pollutionem, & ipsa cogitatio turpis sit causa illius commotionis, quam proinde tenebitur homo auferre: nihilominus cogitatio turpis sola tantum est causa remotè influens in pollutionem; causas vero remotè influentes vitare non tenemur ratione pollutionis; licet quatenus in se malæ sunt, obligemur semper illas fugere: Confirmat prædicta Ioannes Sancius ex eodem Sanchez d. num. 23. vbi postquam dixit omnem actum turpem mortalem contra sextum præceptum, si in eo præuideatur pollutio etiam non intenta, esse peccatum contra naturam postea limitat dicens, *si tamen ita non duret illa cogitatio turpis, vel ba adsint circumstantiæ, vt non timeatur probabiliter pollutio, non erit peccatum mortale pollutio præter intentionem sequuta; quia aliàs omnis consensus in delectationem veneream, si præter spem sequatur pollutio,*

haberet pollutionis malitiam, essetque peccatum contra naturam: imò licet non sequatur, ratione periculi; quia daretur causa notabilis pollutionis; quod nemo dicet. Ex quibus Sanchez fateri tenetur (infert Ioannes Sancius) actus turpes de se non esse per se causas efficaciter influentes in pollutionem, sed ratione commotionis spirituum genitalium; Quare hanc sententiam suam Ioannes Sancius ait differre à doctrina corollarij, & sententia Doctorum numero præcedenti relatorum; quod hi volunt committere peccatum habens malitiam pollutionis, qui habet cogitationem turpem, seu aspectum mortalem, in quo præuidetur pollutio; ipse vero id non admittit, licet præuideatur, quia præuidetur in causa non efficaciter influente; quæ quoad influxum in pollutionem ita se habet, ac si esset causa per accidens. v. g. crapula; quæ, licet in ea sit præuisa pollutio, non habet pollutionis malitiam, vt supra dictum est. Neque his obstat (inquit idem Sancius nu. 16.) prædictos actus turpes mortales diei causas per se ordinatas ad pollutionem, vel copulam fornicariam, quia (respondet) ita appellantur, quod à pollutione accipiant malitiam tamquam ab obiecto, & in ordine ad illam prohibeantur, vel in ordine ad copulam fornicariam. Valdè autem distat aliquam causam esse per se ordinatam ad effectum, & esse per se solam efficacem ad producendum effectum. Admittit tamen idem Io. Sancius eod. nu. 16. tactus tunc esse causam per se efficaciter influentem in pollutionem, quando essent nimis continuati (vt dicit etiam *Sanchez d. nu. 23.*) quia tunc incipit pollutio: nam ex illo motu, & agitatione mouentur spiritus deseruientes generationi, & semen è lumbis incipit decidere; ac proindè æquiualent illi tactus confricationi membri, quam esse causam per se efficaciter influentem in seminis effusionem, nemo potest dubitare. Ita Io. Sancius, aiens etiàm *Nicolaum Garziam* à se consulum ita respondisse. Ex quibus *nu.* 17. infert habentem per diem cogitationem turpem mortalem, verba impudica, & tactus, dummodo non sint continuati

modo

modo mox explicato, scilicet, cum commotione spirituum genitalium non teneri confiteri pollutionem sequutam in somnis, & præuisam magis, quã si apposuisset causam per accidens ad illam; imò addit, & si tactus sint continuati cum commotione spirituum magna, non adest obligatio confitendi pollutionem sequutam insomnis: nam si statim non sequitur pollutio, signum est talem commotionem influxum efficacem non habere in pollutionem, & multo minus in eam, quæ in somnis euenit cum ipsa longius à commotione distet: & ita sentisse etiam virum doctissimum è Societate Iesu testatur idem Sancius, tandem cõcludens, nullam dari causam intra genus luxuriæ, quæ efficax sit ad pollutionem sequutam in somnis; nam si dum adest causa præsens, influxum efficacem non habet, multo minus illum habebit, dum absens reperitur: ac proinde opus non erit fateri pollutionem præuisam in omni causa, quæ sit peccatum mortale in genere luxuriæ, nisi quando causa fuisset apposita ea intentione, vt sequeretur in somnis pollutio; quod ait aduertere, & sentire *Vasquez 1.2.disputat.115.cap.3.num.9.* Quod tamen non est verum; nam Vasquez id dicit solum, quando applicantur causæ, quæ de se habent alium effectum, secus si non habeant alium effectum, quam irritare naturam ad seminis effusionem. Verba illius sunt. *Puto pollutionem indirectè voluntariam non excusari à culpa propter honestam causam, & occupationem; sed quia malitia huius peccati in eo consistit, vt sit contra ordinem debitum naturæ; huic autem solum aduersatur aliquis, vel, si illam directè velit, vel ex voluntate, & intentione circa illam causam quamcumque adhibeat; vel denique si eam causam applicet, quæ ex se non habeat alium effectum, vt si sumat medicinam, quæ nihil aliud operatur, quam irritare naturam, vel tactibus videat illam prouocari, quæ omnia per se ad pollutionem tendunt.*

185 Vt etiam intelligatur quid senserit Thomas Sanchez illo *num.* 23. illius verba sunt notanda: postquam enim initio eius numeri intulit corollarium hoc quartum; nem-

nempe, omnem actum turpem mortalem contra sextum præceptum, si in eo prævideatur pollutio etiam non intenta, habere specialem malitiam contra naturam ratione illius pollutionis, quia notabiliter ad illam influit, estque per se causa illius; ampliat corollarium, *dicens etiam quando quis persistit in turpi actu, puta cogitatione turpi, si sequatur pollutio, licet adsit illius periculum, quamuis non prauideatur, contrahi culpam pollutionis, quia est ea causa notabiliter influens, & tenebatur illa prauidere*; Deinde ampliationem limitat subiungens illa verba à Ioanne Sancio notata, scilicet *si tamen non ita duret ea cogitatio turpis, vel ea adsint circunstantia, vt non timeatur probabiliter pollutio; non erit peccatum mortale pollutione præter opinionem secuta*. Quod confirmat, tum quia aliàs omnis consensus in delectationem veneream, si præter spem sequatur pollutio, haberet pollutionis malitiam, essetque peccatum contra naturam; imò licet non sequatur, ratione periculi, quia daretur causa notabilis pollutionis, quod nemo dicet: tum quia, cum probabile non sit fore, vt illa pollutio subsequatur non debuit præuideri, ac subinde nec indirectè est volita, nec culpæ potest tribui, Ita Sanchez; quibus tantum declarat, quandonam pollutio censeri debet indirectè voluntaria in causa turpi mortali, & consequenter causam talem apponens, contrahat culpam pollutionis, licet formaliter non fuerit præuisa, scilicet quando tali causa apposita morale, & probabile periculum illius secuturæ est omnibus consideratis, quia tunc apponens talem causam turpem grauem de natura sua tendentem ad pollutionem, & per se notabiliter incitantem ad seminis effusionem, seu natura sua aptam excitare notabilem, & magnam commotionem spirituum genitalium, tenetur præuidere illum effectum fore sequendum, & ita cum ignorantia sit culpabilis, effectus censetur indirectè voluntarius, seu volitus in appositione talis causæ; secus vero si ex exercitio turpis actus, licet mortalis, intra genus

luxu-

luxuriæ omnibus consideratis ex parte actus; & ex parte subiecti, seu personæ exercentis non sit morale periculum pollutionis, seu probabiliter existimetur non secuturam, scilicet putetur ex actu turpi non secuturam notabilem, & vehementem spirituum genitalium commotionem, vt solet contingere in momentanea, & transeunti cogitatione, & delectatione morosa, & voluntaria de opere turpi, & momentaneo consensu in eam, sicut enim supra num. 169. dictum est, ad hoc, vt appositione causæ de se ad alium effectum, quam pollutionem; tendēte; contrahatur peccatum veniale contra castitatem, requiritur, vt periculum pollutionis, seu commotionis venereæ non sit remotum, sed debet esse mortale, ita vt probabiliter putetur secutura; ita etiam vt in appositione causæ de se ad talem effectum tendentis contrahatur peccatum mortale contra naturam, vel requiritur præuisio certæ pollutionis, vel probabile periculū illius, seu quod probabiliter timeatur, vel timeri debeat secutura, alioqui non poterit dici vllo modo voluntaria, seu volita in causa. Ex quibus quidem infertur non omnem actum notabiliter turpem contra sextum præceptum notabiliter, & vehementer excitare commotionem spirituum genitalium, & efficaciter influere in pollutionem: sed tamen firma permanet Doctrina corollarij, nempe omnem actum turpē contra sextum præceptum, si in eo præuideatur certa pollutio, tametsi non intenta, aut morale, & probabile periculum illius, vel debeat probabiliter timeri, habere malitiam specialem contra naturam, seu mollitiei, quia notabiliter ad illam influat, sitque per se causa illius: præuisio enim certæ pollutionis, vel moralis, ac probabilis periculi illius, non potest contingere in appositione talis causæ, nisi ex eo quod illam apponens, agnoscit, vel agnoscere debet grauitatem illius, & notabilem ac magnam efficacitatem, quam de se habet ad commouendum appetitum sensitiuum, & spiritus genitales, & ad excitandam ad seminis effusionem, ac proindè eo ipso, quod directè vult, & apponit talem causam, indirectè etiam vult effectum; quem meritò

ritò præuidet, vel præuidere debet ex ea causa per se sequuturum; & ita voluntaria appositio habet specialem malitiam effectus. Neque verum est, quod actus turpis, & si sit per se causa magnæ commotionis spirituum genitalium, debeat dici causa remotè influens in pollutionem; commotio autem ipsa efficaciter influens in pollutionem causa proxima; nam vehemens commotio spirituum genitalium est ipsamet pollutio inchoata ad externam seminis effusionem terminans; nam cum ipso motu, & agitatione spirituum genitiuorum intra venas incipit moueri, & e lumbis decidere humor seminalis, & paulatim descendere ad partes obscænas; vnde ipsa vehemens commotio spirituum genitalium est seminis adhuc intra venas latentis ad genitalia continua, & lenta deductio tandem ad externam illius effusionem terminans, licet aliquando ex aliquo accidenti eadem seminis effusio externa non sequatur, vel non statim, dum est præsens actus, seu tactus turpis, sed postea, vel in vigilia, vel in somno, quæ tamen ideo non desinit esse per se effectus turpis tactus antea in vigilia habiti: nam euenit ex eo, quod vi, & influxu tactus iam humor seminarius fuit intra venas excitus, & præparatus, ac dispositus ad externam effusionem, licet hæc postea cõsummetur ipsa naturali vi expultrice illud expellente absque vlla alia hominis voluntaria cooperatione. Possunt quoque cogitatio turpis, verba obscæna; tactus impudici ob delectationem venereàm captandam habita in vigilia, dici per se causa pollutionis postea in somno contingentis, quatenus in imaginatione obfirmant phantasmata rerum obscęnarum, & relinquunt appetitum sensitiuum ad venerea inclinatum. Sed de his satis.

Recollectio, & praxis remediorum pro curatione scrupulorum circa inhonestos motus appetitus sensitiui, & carnis, & quascumque delectationes de re turpi, & illicita.

EX dictis a num. 134. huc vsque colligi facilè possunt remedia scrupulorum circa delectationes, & motus appetitus sensitiui de quacunque re illicita præsertim venerea, & quosvis sensualitatis, seu carnis inhonestos motus. Vt tamen praxis facilior reddatur noto sequentia.

186 Primò enim recolendum huiusmodi delectationes, & motus prauos insurgentes in appetitu, & in carne, seu membris corporis non esse peccata independenter a nostra libertate, ac proinde nunquam esse peccata, nisi prius præcognoscantur aliquo modo sub ratione mali moraliter, aliàs non essent liberi quatenus mali, & nunquam esse peccata mortalia, nisi cognitio, & aduertentia malitiæ moralis sit plena, & deliberata perfectè; si enim aduertentia rationis ad malitiam mortalem, esset imperfecta, esset motus secundo primi, & consequenter solum culpa venialis in eis in esse posset; quæ omnia constant ex dictis supra num. 92. 96. 99. & 133. Quare si homo non aduertat ad malitiam moralem (scilicet cognoscat esse quid malum, & legi Dei contrarium) rei cogitatæ, vel motus in appetitu, vel carne exorti, vel tantum semiplenè; etiam si in eiusmodi cogitatione, & motu perseueret per diem integrum, non censetur peccatum mortale committere; vt constat ex dictis in præcedentibus, & tradunt etiam Caietanus *V. delectatio sub initium*, *Nauarrus in man. capit.* 11. *numer.* 9. *& Reginaldus lib.* 22. *numer.* 10. Quod si vir timoratæ conscientiæ, & multo magis scrupulosus dubitet, an habuerit plenam, & perfectam aduertentiam, atque perfectam deliberationem, & perfectum voluntatis consensum, potest probabiliter crede-

credere, se non habuisse, nec plenè deliberatè consensisse iuxta tradita supra num. 162. *versic. aliam regulam.*

187 Secundo, etiam si motus sensibilis delectationis in appetitu sensitiuo, & in membris præter intentionem, & culpam subitò exortus, duret post plenam rationis aduertentiam resistente, & repugnante voluntate, & non valente illum superare, nulla est culpa, sed potiùs materia virtutis. Constat ex dictis supra num. 102. & 133. & iuxta probabilem opinionem, de qua supra num. 160. & duobus sequētibus ad euitandam culpam saltem mortalem sufficit resistentia negatiuè, scilicet se habere negatiuè non consentiendo, nec animum ad aliud cogitandum, vel agendum diuertendo, dummodo actu voluntati displiceat; & non timeatur probabile periculum consentiendi; imò in scrupulosis, quoties illis displicent tales motus sensualitatis, & propter eos, aut eorum durationem ita vexantur, & anguntur: signum est sufficientis resistentiæ iuxta dicta supra de remedijs scrupulorum generalibus, & de remedijs scrupulorum circa cogitationes turpes.

188 Quin imò, motu illo sensuali diu perseuerante post aliquam resistentiam positiuam, consulenda est resistentia negatiua; ita quod scrupulosus talem motum patiens non sit nimis anxius ad illum reprimendum, & repellendum: nam (vt supra num. 162. dictum est) si vir probus, & timēs Deum fatigatur, & laborat in commotione, seu delectatione illa reprimenda, & repellenda, & nihilominus eam adhuc manere sentiat, nec peccat eam negligens, nec curans repellere; sufficit enim si in eam non consentiat expresse, præsertim si expertus esset ea magis delectationem roborari, quo illi magis obnititur, & e contra minui, aut etiam totaliter desinere, cum negligitur, vt allegato numero 162. explicatum est; quod est conforme doctrinæ *S. Thomæ 2. 2. quæst. 35. art. 1. ad 4. & 1. ad cor. 6. lect. 6.* vbi exponens id, quod D. Paulus dicit fugiendam esse fornicationem, ait, tentationem luxuriæ vitandam esse potiùs fugiendo, quam resistendo, quia continua eius cogitatio auget potiùs incentiuum peccati. Ex quo etiam consulunt

Docto-

Doctores non nimis immorari oportere pœnitentes in cogitatione rerum carnalium, dum faciunt examen ad eas confitendas, imò si quis expertus fuisset se in delectationem aliquam consentire, quoties ad confitenda peccata carnalia examinat conscientiam, non tenebitur ad numerum fornicationum examinandum (vt etiam Ioannes Sancius disp. 21. num. 11. notauit) nam cum præceptum de integritate confessionis, sit diuinum, non obligat cum tanto rigore, vt ob illum implendum, quis se exponat vehemēti tentationi, quam nimis difficulter vitare potest; sicut nec tenetur quis sacrum audire, dum cognosceret ibi adesse fœminam, in cuius concupiscentiam exardesceret aut inimicum, ad cuius vindictam concitaretur nimis. Et enim si ob commodum aliquod temporale vitandum potest omitti confessio; multò magis sola integritas ob fugiēdum aliquod nocumentum spirituale; quod & si in potestate pœnitentis sit illud vitare, nimis tamen ægrè. Verum quidem est, quod semoto periculo consentiendi in aliquod peccatum, tenebitur postea numerum fornicationum inuestigare, & fateri: Sicut qui ob aliquam causam taceret peccati circunstantiam aliàs necessario aperiendam, cessante causa, illam manifestare tenetur in confessione: tunc ergo sufficiet cōfiteri numerum fornicationum, quas verosimiliter credit fuisse commissas; fit enim eo casu confessio eo modo, quo potest fieri.

189 Prædictus quoque neglectus, seu contemptus adhibēdus præsertim erit, quando quis vexatur venereis delectationibus, & motibus inhonestis, dum assistit orationi, præsertim mentali; quam etiam iuxta dicta supra nu. 166. non tenetur a loco orationis recidendo deserere, licet speret motum carnis mitigandum, si nullum sit periculum morale consentiendi; & ad id faciunt tradita supra n. 129. circa scrupulos turpium cogitationum.

190 Tertiò motus delectationis in appetitu sensitiuo, & etiam in membris non censetur voluntarius, & culpabilis in causa, quoties est necessaria, vtilis, & honesta, scilicet ratione necessitatis, vtilitatis, & honesti finis apposita, & ab

fuit

fuit periculum consensus in delectationem, vt latè ostentum est a num. 163. ad 166. Item non est mortaliter culpabilis in causa licet alias illicita, quando causa non spectat ad genus luxuriæ, & de se ad alium effectum ordinatur, vt nimius cibus, vel potus, comestio calidorum, talis situs in dormiendo, & aliæ actiones, de quibus supra num. 167. si similiter non adsit periculum consensus in delectationem, vel in aliud peccatum carnale: item non est mortaliter culpabilis (secluso eodem periculo) in causa ad genus luxuriæ spectante, si ea sit tantum culpa venialis, vel ratione semiplenæ aduertentiæ, vel ex paruitate materiæ, vt si delectatio, & commotio venerea præter intentionem exorta sit ex curiosa lectione libri, vel inspectione fœminę, vana allocutione, leui tactu habito ex ioco, & similibus de quibus supra.

191 Quartò delectatio de bono effectu ex opere malo secuto, & etiam de ipso opere malo non præcisè, sed propter bonum effectum consequutum non est mala, vt latè, explicatum est supra num. 143. sicut nec mala est delectatio morosa de sola cogitatione, seu speculatione operis mali, vel de solo modo operandi malè, prout latè traditum est supra num. 135. & 142. Quod si dubium sit, an delectatio ex cogitatione aut subtili modo, an vero ex re cogitata oriatur; id iuxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 4. *corp. Caietani v. delectatio morosa*, versic. Rursus ex parte, *Valentia* 1. 2. *disputat.* 6. *quæst.* 4. *p.* 3. *& Sanchez lib.* 1 *summa cap.* 2. *num.* 7. discerni potest ex affectu cogitantis; nam si delectatio oriatur ad cogitationem ipsam nouam, miram, & subtilem, eo quod cogitans sit affectus erga speculationes subtiles, & inuentiones, non ad res ipsas cogitatas, signum est delectationem esse de ipsa sola cogitatione, vel de solo modo; si verò ex affectu ad res cogitatas, vt luxuriam, vindictam, ad quas cogitans afficitur, signum est delectationem capi de re cogitata; vt enim dicit S. Thomas loco citato quod aliquis consentiat in talem delectationem rei cogitatæ, prouenit hinc, quod nullus delectatur nisi in re, quæ est conformis suo appetitui, vnde carnalis facilè incidet

cidet in delectationem morosam circa peccatum carnis, iracundus circa materiam vindictę, vel percussionis, quod autem delectatio ex affectu ad cogitationem potius, quam ad rem cogitatam proueniat, dijudicari potest ex occasione talis delectationis; etenim si quis quia de fornicatione, aut homicidio disputaturus, aut concionaturus, aut scripturus de ijs cogitauit, & cogitando veram aliquam doctrinam, delectatus fuit; indicium est delectationis ortę ex affectu ad solam cogitationem; secus si delectatio orta est ex occasione mala, puta aspectu impudico, vel ex occasione sumendæ vindictæ: item quando simile aliarum rerum piarum artificium non delectat, est signum non artificium, sed rem ipsam cogitatam delectare. Aliud signum, quod ponunt aliqui relati à Sanchez *d. num. 7.* scilicet quando quis non habet actum reflexum supra cogitationem, quia non cogitat se cogitare, tunc cogitatio non sit de cogitatione, sed de cogitata, quod nil volitum sit, quin præcognitum, non esse verum, constat ex dictis præallegatis numeris 135. & 142. vbi ostensum est delectationem de re mala cogitata non quatenus mala, sed propter talem modum, seu quatenus mira, subtilis, artificiosa, ridicula, dicitur verè capta ex ipsa cogitatione, vel modo rei; & ita caret culpa saltem mortali.

192 Quintò puto aduertendum hoc peccatum internæ delectationis morosæ de opere turpi communiter non ita sæpè committi a bene dispositis, & vigilantibus in suis actionibus, sed a malè ordinatis in animo, & otiosis, qui callum in vitijs, & prauis concupiscentijs obducunt; quiq; semper parati essent ad explendum peccatum in opere, nisi infamia, & pudor humanus prohiberet; vnde quia in opere non possunt habere delectationem, illa suauiter in recordatione tenentur, vt docet *S. Augustinus in 12. de Trinit cap. 12.*

193 Sextò scrupulis circa delectationes, & motus carnales applicanda sunt remedia supra nu. 127. & duobus sequentibus applicata scrupulis circa turpes cogitationes. Et aduertendo circa confessionem delectationis morosæ

quando constat in ea fuisse commissum peccatum mortale esse quidem explicandum, an fuerit delectatio iræ, vel fornicationis, vel concubitus bestialis, aut sodomitici; non tamen de necessitate esse aperiendas speciales aliàs circumstantias, se tenentes ex parte operis in re ipsa, nisi delectatio ipsa interior circa easdem circumstantias versata sit, iuxta dicta supra num. 144. Quod si quis dubius sit, an in delectatione peccauerit, vel an venialiter, aut mortaliter, si quidem dubium sit de culpa mortali, quia dubitetur, an deliberatio rationis fuerit plena, an semiplena, iam supra num. 186. dictum est, credi posse non adfuisse plenam, & perfectam deliberationem, & ita non contractam culpam mortalem, nec esse necessariã confessionem; si vero dubium sit de culpa mortali, quia dubitetur, an post plenam aduertentiam malitię placuerit, præstitusq. sit deliberatus consensus, cum in scrupulosis timoratis dubium habeatur pro credulitate in eius fauorem, vt sæpius supra dictum est, nulla erit obligatio confitendi: licet si voluerit, possit sub illo dubio confiteri causa humilitatis, dummodo faciat sine anxietate, & confessarius se gerat erga huiusmodi scrupulosos, sicut supra dixi eum se gerere debere erga alios scrupulosos, & præsertim erga scrupulosos circa malas cogitationes.

194 Postremò quoad omnes aduerto contra peccata, seu obscæna interna, obscænasve cogitationes, & internas delectationes, & commotiones in carne ex eis insurgentes, duo mirum in modum iuuare. Vnum habere omni tempore vigilantem cordis munditiam quemadmodum ait *S. Isaias Abbas orat. 19.* virgo quotidie manè cum surgit, nihil aliud curat; nisi vt ornet se sponso suo, & speculo explorat diligenter, nè qua macula resideat in vultu suo, qua sponsus offendatur: sic magna quotidie cura, & diligentia Sancti cogitationes, sermones, actionesque explorant suas, ne quid in illis sit, quod cælesti sponso displiceat; Alterum oratio, nempè integro corde Dominum nostrum deprecari, vt ab his interioribus animi, & appetitus

titus

titus motibus venereis, & tentationibus liberare dignetur, qui eo periculosiores, quo magis nostra voluntas ob summam carnis vnionem ad carnalia desideria inclinat: & ita piè, & sapienter admonet *Nauarrus in man. d.c. 11. n.9.* & prædicta quoad scrupulos de delectationibus, & commotionibus internis.

SVMMARIVM §. OCTAVI.

195. & pluribus seqq. Remedia scrupulorum circa pollutiones tam diurnas, quam nocturnas.

195 Quot humores defluant per meatus pudendorum, & quinam humor sit propriè semen.

196 Verum semen reperitur etiam in fœminis, quæ & vere pollutiones patiuntur.

Ibid. Pollutio quid sit.

197 Pollutionis diurna, & nocturna triplex causa esse potest.

198 Procurare pollutionem directè, vel indirectè, siue vt contingat in vigilia, siue in somno est intrinsecè malum, & semper peccatum mortale, & duplex huius assertur ratio.

199 & duobus seqq. Idem dicendum de procuratione distillationis, si sit notabilis, & cum magna corporis, seu spirituum commotione, in non coniugatis.

202 Sicut procurare ita etiam deliberatè desiderare pollutionem euenturam in vigilia, vel in somno ob veneream delectationem est peccatum mortale.

203 Pollutio nullo modo in se volita, sed tantum indirectè, & in causa non habet malitiam intrinsecam, sed solam exteriorem causæ.

204 Reprobantur dicentes fieri posse, vt ebrietatis, somniuè tempore gratia amittatur.

Ibid. Pollutio subsecuta post pœnitentiam legitimam causa data caret omni culpa.

205. & 206 An in confessione necesse sit fateri pollutionem præcessam, secutam ex causa data ante pœnitentiam, eiusdem causæ, an vero satis sit fateri causam datam.

206 Pollutionem, homicidium, & alia opera externa prohibita,

& etiam omissionem vetitam volita indirectè in causa, non solum quando sequuntur post pœnitentiam causa, sed etiam quando ante pœnitentiam causa sequuntur, non esse aperienda in confessione, sed satis esse fateri causam tenent multi.

207 *Somnia impudica volita indirectè in causa, puta in cogitationibus, aut locutionibus per diem habitis an sint peccata, & in confessione aperienda: an vero sufficiat fateri cogitationes, & locutiones inhonestas.*

208 *Pollutio nocturna tota contingens in somno nulla præcedente causa, vel subsequente complacentia, caret omni culpa mortali: & quando possit esse venialis culpa.*

209. & 210 *Quid de pollutione partim in somno, partim in vigilia semiplena, vel plena contingente: & an pollutio in somno, vel semiplena vigilia inchoata in plena vigilia sit reprimenda, ne sequatur seminis effusio: & quid si voluntariè sit inchoata in vigilia, & ante consummationem culpa præterita delinquentem pænituerit: & quid si tota pollutio semidormienti eueniat.*

211. & 212 *Casus plures enumerantur, in quibus pollutio, aut distillatio absque consensu in eius delectationem non procurata, neque vllo modo volita non est peccatum.*

211 *Fœmina inuita violata pollutionem patiens, & veneream delectationem sentiens, non peccat, quamuis non vociferatur, aut aliquo modo se defendat ob verecundiam, dummodo non se accommodet actui, nec animo consentiat.*

213 *Licitum est ob finem bonum, & honestum v.g. corporis sanitatem, vel liberationem a vehementi tentatione desiderare pollutionem naturaliter euenturam in vigilia, vel in somno: quamuis tutius sit nunquam desiderare, & hoc desiderium sit indicium hominis nundum castitatis perfectionem assecuti.*

214. & duobus sequentibus *Pollutio nocturna, quod fiat à Diabolo, quibus indicijs cognosci possit, & quomodo ex Dæmonis illusione fiat.*

214 *Gula, cibiuè, ac potus immoderata sumptio facit ad pollutionem: contrarius effectus prouenit ex restricta sumptione.*

Gur

§. OCTAVVS.

Remedia particularia scrupulorum circa pollutiones tam diurnas quam nocturnas, vbi quandonam pollutio sit peccatum, quando careat culpa, & qua ratione cognosci possit, an pollutio nocturna contingat ex resolutione naturæ, an vero per illusionem Dæmonis.

AD medendum vero scrupulis circa pollutiones contingentes tam in vigilia, quam in somno, illosque abigendos sequentia in specie sunt obseruanda; præmonendo prius omnia esse munda mundis.

Quot humores defluant per meatus pudendorum; & quotuplex causa pollutionis in somnis.

195 PRimo igitur aduertendum a corpore humano præter vrinam, & menstruum duos alios humores defluere per meatus pudendorũ, quæ generationi deputata sunt, de quibus *Gal. latissimè li. 14. & in alijs locis de vsu partiũ corporis humani, & in alijs de sanguine; & breuiter Gerson de pollutione diurna notabil. primo S. Th. opusc. 64. c. de fluxu libidinis Caiet. t. 1. opusc. tr. 22. de pollutione ex auditu cõfession. q. vnic. a. 2.*

§. *enim aduerte tamen in fine, Margarita confessorũ q. Moralibus, & Sanchez de matr. lib. 9. disp.* 45. *nu.* 2. Vnus est humor verè seminalis, qui nil aliud est, quam superfluum vltimæ digestionis, superfluum autem non intelligitur in qualitate, sed quantitate: quãdo enim natura habet sufficientem cibum pro alimẽto corporis, emittit ex omnibus membris superfluum ad vasa genitalia, & quando natura superabundat, conatur varijs modis expellere, quandoque in actu concubitus, & generationis, quandoque ex infirmitate, quandoque cum somnio in somnis, quãdoq; in somno sine phantasmatibus, & alijs modis. Alius humor est quodammodo medius, qui ab aliquibus vocatur saliualis, vel sputalis, & differt a vero semine, eo quod non sit ita mordax, ac grossus; faciliusque fluat; nec cum tãta carnis commotione, & in minori copia, ac aliquando imperceptibiliter, & sine motu carnis; & solet appellari distillatio, de qua Caietanus, & Margarita aiunt non esse magis curandum, quam de sudore, nisi ipsam carnis rebellio comitaretur; & S. Thomas dicit, signum, quod non sit pollutio, hoc esse; quod pollutio in vigilia contingere nequit absque carnis commotione, ac venerea delectatione.

106 Porro verum semen reperitur non solum in mare, sed etiam in fœmina; quam proinde non solum passiuè, sed etiam actiuè mediante proprio semine concurrere ad generationem scripsit Galenus in libris duobus de semine, & alij Medici docent contra Aristotelem *in lib. præsertim primo de generatione animalium*, & post plures alios tradidere Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 10. *sect.* 1. *& Sanchez de matrim. lib.* 2. *disp.* 21. *num.* 11. *& lib.* 7. *disp.* 64. *num.* 20. ex quo etiam plures Theologi, & Canonistæ quos locis citatis allegat Sanchez, tenent ad consummationem matrimonij, & ad contrahendam affinitatem, requiri seminationem vtriusque coniugis intra vas, ac seminis vtriusque commixtionem. Qua propter contingit non solum mares, sed etiam fœminas pollui tam in vigilia, quam in somno, cum pollutio nil aliud sit, quam expulsio, & euacuatio seminis; id quod testatur Galenus *in primo libro ex duobus allegatis*: & ipsamet

expe-

experiẽtia conſtat, virgines quaſdam habuiſſe illuſiones nocturnas; ſic legitur in Monaſterio Thebaidis, in quo virtutibus claruit Euſraſia Virgo, morem fuiſſe in terra Cilicino ſtragulo cubare, ac quoties aliqua ſororum minus pudici ſomnij præſtigijs ludificatam ſe cognouiſſet, Abbatiſſæ confiteri; & quantum viſa diſplicerent, cinere ſtratis reſperto teſtari. Verum eſt quidem fœminas rariùs pollui, cum menſtruum ſeminis abundantiam auferat.

197 Pollutionis autem præſertim in ſomnijs, vel in ſomno contingentis triplex iuxta D. Antoninum 2. p. tit. 6. c. 5. cauſa aſſignari poteſt. Prima extrinſeca ſpiritualis, cum ex operatione dæmonis commouentur phantaſmata dormientis ad talem effectum; quod inimicus tentator, qui nunquam dormit, ſed ſemper humanam ſtudioſè contendit impedire ſalutem, frequentiſſimè facere ſolet, vt piorum præſertim incipientium ad profectionem tendentium mentes perturbet; & id præſertim perſæpè pręſtat in diebus feſtis, quando cognoſcit hominem ſacra Miſteria frequentare, vt per hoc a ſacra Cõmunione impediat, vel deuotionem perturbet, aut ſcrupulos inijciat, quibus impacatam reddat mentem. Secunda animalis intrinſeca, cũ ex cogitatione præcedenti contingit in ſomno pollutio. Tertia eſt intrinſeca corporalis, cum humor ſeminalis ſuperabundat in corpore; vel cum facta eſt humoris reſolutio per nimiam calefactionem corporis, aut aliam commotionem; vel natura ob ſuperfluitatem expellit abundans; vel etiam accidit ex infirmitate, & debilitate virtutis retentiuæ ſeminis.

Procuratio pollutionis eſt intrinſecè, & ſemper mala, & peccatum mortale, vbi etiam de pollutione indirectè voluntaria in cauſa.

198 SEcundo aduertendum directè, & efficaciter procurare, vel intendere pollutionem, ſeu ſeminis effuſionem in vigilia, vel in ſomno euenturam, nõ ſolum cauſa venereæ delectationis, ſed etiam ob bonum finem v. g. ob ſanitatem recuperandam, vitamvè conſeruandam, vel ob ſe-

dandas carnis; tentationes, est intrinsecè malum, & semper peccatum mortale contra naturam. Est omnium Doctorum sententia, & certissima, & constat ex illo Apostoli. ad Corinth.6.*Neque molles regnum Dei possidebunt.* Sed laborant Doctores in reddenda ratione huius rei, quod neque propter vitā conseruandam, licita sit procuratio effusionis seminis. Nam vitæ conseruandæ causa licitum est pedem, vel manum, aut aliud corporis membrū sibi resecare, ergo ob similem causam etiam semen effundere; nulla enim videtur apparere disparitatis ratio. Item licitum est pollutionem desiderio simplici desiderare ob corporis sanitatē, vt infra dicetur; ergo etiam licitum erit illam, ob eundem finē procurare, vt contingat siue in vigilia, siue in somno. Doctores magis cōmuniter rationē, cùr pollutio seu seminis effusio directè intenta, & procurata, ac perfectè voluntaria in se, vel in causa sit intrinsecè, & semper mala, & peccatum mortale, eam esse aiunt, quod natura destinauit semen tantum ad generationem, aut multiplicationem, seu conseruationem speciei; atque adeo meritò naturali lege, ac dictamine conscientiæ, nisi saltem corruptum sit, prohibuit omnem eius administrationem, nisi ad illum finem; cui, ac statui matrimonij aliàs multum derogaretur. Et hæc est ratio disparitatis inter effusionem sermonis, & effusionem sanguinis e venis, aut abscissionem membri ob vitam conseruandam, scilicet, quod semen; cum a natura ipsa destinatum fit ad generationem, & conseruationem speciei, lege ipsa naturali prohibetur illius effusio, ex qua finis ille, scilicet, generatio obtineri non potest, & consequenter etiam est prohibita, etiam ob indiuidui, seu vitæ propriæ conseruationem; & cum contineat in se grauem inordinationem, erit peccatum mortale: At vero cum alia omnia corporis membra, natura ipsa destinauerit ad indiuidui conseruationem, ideo etiam illi plenā administrationem, & dominiū illorū in ordine ad bonū totius indiuidui dedit, & cōsequenter membrū resecare ob conseruationē totius indiuidui, nullum est peccatum, quia non est a natura ipsa alienum; hanc rationem præter Doctores antiquos,

appro-

approbarunt etiam ex recentioribus *Azorius p.3. lib.3. cap. 23. initio. Lessius de iust lib.4. cap.3. dub.14. num.94. & 95. Bresserus de conscientia lib.6. cap.17. num.228. Turllench lib.6. cap.1. dub.9. num.3.* & nonnulli alij licet, eam impugnent, (sed verè non efficaciter) *Sanchez de matrim. lib.9. disput.17. num.16. Fagundez in decalogum lib.6. cap.9. nu.32. & Ariaga t.2. disp. 47. nu.21.* Quare idem *Sanchez d. nu.16.* & post eam ijdem *Fagundez d. nu.32. & Ariaga nu.22.* cur a natura ipsius hominis alienum sit, ipsaque lege naturali prohibitum quocumque casu, etiam necessitatis, seu conseruandæ vitæ causa procurare, & intendere vel directè, & immediatè, vel in causa, & indirectè pollutionem, seu seminis effusionem extra naturalem concubitum, aliam rationem assignant; scilicet quod adeo vehemens sit delectatio, quæ in voluntaria seminis effusione sẽtitur, vt illam homines tamquam bonum naturale vehementer sensibile, maximè prosequantur, & appetant, & propterea natura in omni euentu illius administrationem illis prouidè denegauit; nam si in aliquo casu eam illis concederet; & eis persuasum esset aliquando extra naturalem concubitum licitum esse semen profundere ob illam vehementem voluptatem, & appetitus inclinationem, & pronitatem in eandem voluptatem, quæ ex tali profusione sentitur; facile, ac euidentissimum periculum foret, eiusmodi facultate abutendi, & sibi persuadendi causam passim iustam illius procurandæ habere, atque adeo semen prodigendi cum maximo detrimento speciei, & matrimonij; quando quidem extra illud, & extra ipsius onera, liceret voluptatem illam maximam habere; imò inde etiam fornicationes, adulteria, sodomiæ, & vniuersa alia luxuriæ vitia pullularent; non ita autem euenire potest in membri abscissione corporis conseruandi causa, cum enim ab ea propter dolorem maximum, qui in ea sentitur, appetitus animalis abhorreat, non facile homo sibi persuadebit illam sibi licere, neque potestatem illam adhibendi vltra casum necessitatis extendet, vt de se manifestum est. Et hinc quoque patet, cum ad conseruandam

dam vitam matris licitum sit expellere fętum nondũ animatum; non ita vero propter eamdem vitæ seruandę causam licet seminis effusionem procurare. Et hęc ratio quoque est bona, & cum præcedẽti coniuncta efficaciter probat. Prædictis addo iuxta medicorum sententiam pollutionẽ ad hunc finem sanitatis, vel vitæ conseruandæ nunquam esse necessariam, quia arte medica potest, & licitum est, procurari resolutionem seminis naturam grauantis, & nocituri in sanguinem, aliumvè humorem. Denique confirmatur aduertendum; quia minus a natura abhorret effusio seminis in fornicatione, quam in pollutione procurata; illa autem nullo in casu est licita; ergo neque hæc: Etsi vt rectè notauit *Toletus lib. 5. sum. cap.* 13. hoc peccatum quantumuis turpe, & magnum sit difficillimæ emendationis (quia semper occasio hominibus in promptu est,) & adeo vniuersale; vt maxima damnatorum pars eo infecta sit; & remedium vix sit aliud, quam frequens confessio eidem confessario facta. Ad illud vero, quod licitum sit pollutionem causa sanitatis desiderare; respondetur, inde non sequi licitum esse illam procurare; multa enim licet desiderare, quæ non licet procurare, puta, etsi licitum est desiderare mortem huius hominis iniqui, non tamen licitum est illam procurare; & etiam quamuis liceat desiderare esse martirem: non tamen licitum est se occidere illius desiderij causa: de qua re Vasquez 1. 2. *disput.* 115. *capit.* 3. *num.* 10.

199 Ex his autem infertur esse etiam peccatum mortale, procurare distillationem, seu fluxionem illam humoris medij (de qua supra 195.) euenturam cum sensu carnali, & commotione spirituum generationi inseruientium: quia talis alteratio, & spirituum genitalium commotio censetur pollutio inchoata, & ad illius consummationem ordinatur, vt supra n. 185. dictum est. Ita Sanchez *d. disp.* 17. *nu.* 18. Reginaldus *lib.* 22. *num.* 40. *vers. qua ratio, & Layman lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 18. Declarant autem Sanchez, & Reginaldus, tũc esse mortalia procurationem cõmotionis spirituum genitiuorũ, & distillationis eam cõmotionẽ coniunctã habẽtis; quan-

quando commotio eſt notabilis, & item diſtillatio eſt notabilis; ſecus ſi vtraque eſſet leuis, & ceſſaret omninò pollutionis periculum, tunc enim aiunt excuſari procurationem a mortali, ratione paruitatis materię; ad quod faciunt tradita ſupra n.178.& ſeqq.

200 Infertur quoque quoties iuxta tradita ſupra num. 183. & num. 185. peccatum mortale eſt pollutioni præuiſæ dare cauſam applicando, vel non remouendo cauſas notabiliter in illam influentes, ſimiliter eſſe peccatum mortale dare cauſam præuiſæ notabili diſtillationi, aut commotioni notabili ſpirituum genitiuorum per ſimiles cauſas per ſe notabiliter in eam influentes. ita *Sanchez lib. 9. dicta diſputat. 45. num. 32. Reginaldus num. 45. & Layman d. num.* 18. & colligitur ex dictis citatis numeris 183. & 185. talis enim diſtillatio, & commotio eſt notabiliter turpis, & quędam pollutio inchoata: ac proindè etiam ſicut peccatum mortale eſt delectari deliberatè de ipſa pollutione, præter intentionem contingentem; ita etiam delectari de ipſa diſtillatione, & vehementi ſpirituum commotione, & ſi non voluntarie procurata, vt etiam in terminis *Layman dicto num.* 18.

201 Excipiuntur autem coniugati, qui ſicut poſſunt ſine mortali culpa ſe mutuò tangere, & aſpicere; ac inter ſe verba turpia habere, & de futura copula cogitare cum aliqua delectatione venerea iuxta tradita ſupra num. 192. ita etiam poſſunt a mortali excuſari, etiam ſi in eo ſentiant voluntariè aliquam commotionem ſpirituum vitalium generationi deſeruientium, & etiam diſtillationem prædictam. ita Sanchez *d. diſputat. 45. num. 43. & Reginaldus loco citato.*

202 Infertur tertio, quod ſicut eſt peccatum mortale procurare pollutionem, ſiue vt eueniat in vigilia, ſiue in ſomno; ita etiam eſt peccatum mortale, ſi quis in vigilia plenè, & deliberatè deſideret, vt pollutio ſibi de nocte contingat ob veneream delectationem, quia deſiderium delectationis carnalis eſt eiuſdem malitiæ cum pollutione: & quod non licet procurare, non licet plenè, & deliberatè deſiderare,

rare;non est autem licitum procurare pollutionem ob delectationem carnalem,vt probatum est,ergo nec illam desiderare,ita *Sanchez lib.1.summa c.2.num.18. Lessius d.cap.3. n.104.versic dico primo;Fagundez d.cap.9.num.29.*& alij communiter,quos Sanchez,& Fagundez referunt.

203 Porrò ad maiorem explicationem, seu intelligentiam eorum,quæ in hoc aduertẽdo,& etiam supra n.183.& 185. dicta sunt,notandum;quod pollutio nullo modo in se volita,sed indirectè tantum in causa mortali,de qua supra d. n.183.non est peccatum sua malitia interiore,sed exteriore suæ causæ,in qua est præuisa, & volita; ac proindè non addit nouam malitiam de nouo imputabilem malitiæ volitionis causæ. Et ratio est, quia non aliter quidquam peccatum est, quã prout voluntarium, cũ vbicũque cessat ratio voluntarij,cesset,& ratio peccati; pollutio autẽ solũ est volita in causa , ac proinde est peccatũ sola malitia exteriori causæ, ita *Sanch.innumeros alios allegãs d.disp.45.n.28. Reginaldus d.lib.22.num.44.& Io:Sancius disp.21.num.13.*

204 Quare si is, qui occasionem, seu causam culpabilem dedit pollutioni,de eo,seu ea causa data legitimè pœnituerit, antequam subsequatur, postea subsequens pollutio vacabit culpa ; cum tunc non habeat malitiam intrinsecam,vt potè in se non voluntaria seu volita; nec extrinsecam ex data illius causa, quia culpa commissa eam dando iam est sublata , & praua voluntas reuocata , & emẽdata per pœnitentiam; vnde iam est pollutio omnino inuoluntaria.; ita *Sanchez quoque pluribus citatis num. 29. & 31. Reginaldus , Ioannes Sancius locis citatis & late plures alios allegans Salas 1.2 tractat.7.disputat.6.sect.8.num.55.& 56. & Turllench in decalogum. lib.6. cap.1. dub.8. §. 1. num. 16. Contra Marsilium in 2. quæst. 21. art. 2. supplemento 2.* malè censentem posse gratiam amitti tum in somnis per pollutionem præuisam in delectatione venerea antea habita, tum in ebrietate per homicidium tunc commissum, & præuisum antea: si enim causa iam per pœnitentiam legitimam emendata est,& intercisa,a culpa per eam commissa abstersa, effectus postea subsequutus non potest

test imputari ad culpam, & ita nec per eum amitti gratiam, a dormiente, vel ebrio.

205 Addit autem *Sanchez num.* 30. in confessione non satis esse fateri causam pollutioni datam, sed etiam esse aperiendam ipsam pollutionem ante pœnitentiam legitimam de causa data subsequutam ad plenam manifestationẽ culpæ integræ, eo quod ipsa pollutio verè, & propriè peccatum sit; & idem aiunt *Reginaldus loco citato, Villalobos p. 2. trac. 40. diff. 16. num. 6. Turllench loco cit. & alij allegati ab eodem Sanchez* subdente, si is, qui dedit causam ante subsecutam pollutionem confiteatur causam datam, probabile esse, eum non teneri postea fateri pollutionem subsecutam; quia iam nullam habet malitiam, & satis expressa est in sua causa: neque obstare, quod qui percussit hominem, & fassus est percussionem teneatur mortem postea subsecutam fateri: quia non est simile; nam pollutio nullo modo fuit in se volita, sed præter intentionem accidit, nec ita influit causa data in eam, sicut percussio in mortem. Et si ego nec mortem in tali casu fore ex necessitate in confessione aperiendum putem ob eandem rationem, nisi manifestatio esset necessaria ad dignoscendam obligationem alicuius restitutionis ex morte ortam, & ita sentit etiam *Salas d. num. 56.*

206 At Ioannes Sancius *d. num.* 13. *versic. e contra* docet semper satis esse fateri dedisse causam pollutioni, tacendo ipsam pollutionem subsequutam in somnis, quia tunc peccatum non est, sed peccati effectus; aitque non obstare Ecclesiam in hymno completorij rogare somnia recedere, ne corpora polluantur; nam id rogare non est existimandũ, quod ipsa putet pollutionẽ in somnis habitã esse peccatum; sed ne recordatione delectationis in somnis captæ suboriatur in vigilia pollutionis delectatio, & acceptatio. Addit idem Sanc. ibid. hoc idẽ docuisse *Sotũ in 4 d. 12. q. 1. a. 7. & Salam d. n. 16.* sed hi Doctores loquuntur quãdo pollutio, homicidium, vel alius actus externus præmisus in causa culpabili subsecutus est post reuocationem voluntatis ob legitimam pœnitentiam causæ datæ: quia tunc

tunc effectus postea secutus non est verè peccatum, cum dum tales effectus fiunt, neque in se, neque etiam in causa, seu in voluntate causæ, quæ iam est reuocata, nec moraliter manet, sint voluntarij iuxta dicta num. 203. & 204. Ac proindè qui in vigilia nocturnæ pollutionis causam dedit, si ante somnum de causa ipsum pœniteat, pollutionem postea sequutam in somno non tenetur in confessione aperire, cum tunc nullo modo sit peccatum, vt nu. 204. probatum est; sed sufficit, dicat se dedisse causam pollutionis; quod etiam in terminis ait *Turllench d. nu. 16.* Doctrinam tamen Io: Sancij tradit, & tenet *Vasquez 1. 2. disputat. 74. cap. 9. num. 46. & 47. & disputat. 94. cap. 3. & 4.* quibus in locis afferit, pollutionem, homicidium, & alia opera externa prohibita, & etiam omissionem vetitam, non solum quando post pœnitentiam datæ causæ fiunt, seu contingunt in somno, furia, ebrietate, aut alio statu, in quo iam impediri non possunt, non esse peccata, sed etiam quando nulla præcedit pœnitentia causæ, si in simili statu, in quo impediri nō possent, fiant, seu contingant; quod idē tenent *Bonacina de legibus d. 2. quæst. 4. p. 4. num. 8. & Diana p. 1. tract. de circumstantijs resolut. 64.* & est probabile propter ea, quibus Vasquez confirmat, quæ apud eundem citatis locis videri possunt: licet sententia Sanchez sit communior, & in praxi securior; sic enim integrè manifestatur culpa, eo enim ipso, quod voluntas non est per pœnitentiā reuocata sed adhuc moraliter manet, effectus malus; licet in eo statu, in quo voluntas illum non potest impedire, contingat, participat malitiam illius voluntatis; & ita verè, & propriè est peccatum malitia illa exteriore causæ datæ, iuxta supradicta.

207 Addit idem *Ioannes Sancius eodem loco*, cum quis per diē cogitationibus, aut locutionibus inhonestis fuit deditus; & inde habuit somnia impudica, satis esse si in confessione accuset se de peccato turpis cogitationis, aut locutionis, nō autem necesse esse somnia impudica inde orta fateri cum somnium peccatum non sit in se, nec in causa. Quia (inquit) licet turpis locutio, aut cogitatio sit causa somnij impu-

impudici, non inde est causa peccati; quia somnium impudicum non solum non imputatur ad culpam somnianti, verum nec essentialiter est peccatum: ebrio namque licet, dum occidit hominem, non imputetur ad culpam homicidum, ex se tamen agit actum peccati; & ei, qui edit calida eo fine, quo nocturnam habeat pollutionem, estò imputetur pollutio, inde est, quia pollutio voluntaria in se, vel in sua causa peccatum est: verum qui ederet calida, vt somnia immunda haberet, non peccaret, quia somnium impudicum voluntarium in causa, nullo iure prohibitum est, cum ex somnio immundo non impediatur generatio, sicut ex pollutione. ita Sancius. Quibus tamen videtur obstare, quod somnium impudicum ex se disponat, & influat ad pollutionem, vt constat experientia, & ita ab ea malitiam obiectiuè participat, sicut participant alia opera ex suapte natura ad eamdem pollutionem disponentia, & notabiliter influentia. ex quo sequitur etiam somnium impudicum voluntarium in causa esse prohibitum eodem præcepto quo prohibetur pollutio ipsa.

Quandonam pollutio contingat sine vllo peccato.

208 TErtio aduertendum pollutionem non esse peccatum in sequentibus casibus. Inprimis igitur pollutio nocturna, quæ tota contingit in somno, nulla in vigilia præcedente causa, nec vlla subsequente complacentia, nullum est peccatum; quia omninò inuoluntaria est. ita *S. Thomas 2.2. quæst. 154. art. 5. (ait. ibidem & tomo 1. opuscul. 22. Azorius tom. 3. lib. 3. cap. 24. quæst. 1. To lectus lib. 5. summa cap. 13. Sanchez de matrim. lib. 9. disputat. 17. num. 17. Filliucius to. 2. tractat. 30. cap. 8. num. 144. Fagundez in decalog. lib. 6. cap. 9. num. 27. Turllenth d. dub.* 8. §. 1. *num.* 6. & Doctores communiter: poterit autem esse venialis pollutio nocturna contingens arte dæmonis mouentis phantasmata dormientis ad talem actum prouocantia, si patiens negligens fuerit in præparando se contra dæmonis tentationes, contra quas adest illud Ecclesiæ in hymno Completorij;

procul

procul recedant somnia, & noctium phantasmata &c. ita Turlelench num. 18. & prius D. Anton. 2. p. tit. 6. cap. 5.

209 Quid vero si nulla præcedente causa, nec subsequente complacentia, seu consensu deliberato partim accidat in somno, partim in vigilia; vt si commotio carnis, & decisio seminis calescentibus spiritibus contingat in somno; effusio vero seminis in vigilia semiplena, vel plena? Et quidem si effusio accidat in vigilia semiplena, in qua homo imperfectè euigilet, & non habeat plenam libertatem se cohibendi, certum est, nullum esse peccatum, nec veniale, vt colligitur ex præallegatis Doctoribus, excepto Toleto, qui dixit esse veniale, cuius tamen dicti nullum apparet fundamentum; est enim talis effusio omninò inuoluntaria, nec impediri in eo statu potest, atque adeo vacat omni culpa; quod patebit magis ex sequentibus. & aduertendum nunquam posse esse mortale peccatum pollutionem semidormientis, & non habentis plenum vsum rationis, cum ad mortale requiratur plenum iudiciũ, vt supra probatum est. Si verò pollutio per fluxum, & decisionem seminis e lumbis inchoata in somno cõsummetur in vigilia plena, seu ipsa exterior effusio seminis accidat in plena vigilia, in qua quis effusionem illam potest reprimere, & impedire; licet *Toletus d. cap. 13. num. 3.* putet mortale peccatum illam non reprimere, qui ad id asserendum fortè motus est; quod non reprimendo detur periculum consentiendi: Nihilominus Doctores communiter sentiunt nullum esse peccatum nec veniale, nec vllo modo teneri semen, seu illius effusionem, & fluxum reprimere, sed sufficere non complacere. ita Doctores numero præcedenti, & præter eos *Gerson in tractat. de preparatione ad Missam, & pollutione nocturna consideratione 5. & in tractatu de pollutione diurna proposit. 12. Nauarrus in man. cap. 16. num. 7. Graffius lib. 2. decis. aur. cap. 81. nu. 14. & alij allegati a Sanchez d. num. 17.* Probatur, quia iudicanda est pollutio magis secundum principium, quam secundum finem; principium autem illius fuit in somno, & sine libertate factum; postea verò cũ semen iam e lumbis sit decisum in somno, est in via natu-

rali

rali ad erumpendum foras; seu illius fluxus naturaliter continuatur,& ideo vel impossibile, vel difficillimum, & etiam nociuum valde est, violenter illam seminis fluxionem, seu expulsionem coercere, & impedire, cum sit veluti naturalis; & cohibita supra modum naturam grauaret; quare confirmatur, quia in hoc casu non est pollutionem procurare, sed pati emissionem seminis, ne violenter retentum noceat; vnde etiam Gerson ait sanctos consulere, vt non prohibeatur ille fluxus,& *Sanchez d.n.*17. ex eodem Gersone dicit communiter expedire tunc manibus quietis non hic, vel illic tangendo, signo crucis se munire,& Deum feruenter orare, ne permittat lapsum in delectationem. & idem a fortiori dicendum est, si eadem effusio seminis partim contingat in somno, & partim in vigilia, tunc enim multò minus habet rationem aliquam peccati, nec etiam venialis, vt ex dictis patet, & tradunt allegati doctores. Addit *Sanchez d. num.*17. idem dicendum esse, vbi pollutio cæpit culpa patientis; si enim in ipso fluxu præteritæ culpæ eum pæniteat, non tenetur fluxum reprimere, quia iam pœnitentia interrupit actionem præteritam, nunc autem solum patitur. Neque prædictis obstat; quod pollutio illa inchoata in somnis possit in vigilia coerceri, quia secluso periculo consentiendi in eandem, vel eius delectationem, non sufficit potentia, quam habet plenè euigilans reprimendi illam naturalem effusionem, nisi adsit aliundè obligatio id faciendi: nulla autem datur talis obligatio, cum illa sit naturalis continuatio fluxus sine culpa cæpti, sicut ob eandem rationem, nec etiam datur in confessione, neque in doctore, qui dum docet, aut audit turpes confessiones, citra consensum pollutionem sentit, vt supra 166. dictum est; & sicut etiam si alicui inuito seminis fluxum patienti ea effusio accideret absque illius consensu, non teneretur illam reprimere, vt docent citati doctores præsertim Nauarrus. Verum & si pollutio nocturna, & etiam diurna inculpabiliter inchoata, dum sentitur effluere, non debet ex obligatione coerceri, vel violenter prohiberi, quia (vt dictum est) vel esset frustra ille conatus, vel naturam

notabiliter grauaret, & fluxus ille exterior a natura solà prouenit. Nihilominus (vt Gerson vbi supra ait) pro exercitatione virtutis, & euasione periculi consensus in delectationem videtur expediens, vt homo prohibere conetur, quantum sentit, & experitur id commodè fieri posse.
210 Quod autem dictum est de pollutione in somno inchoata, & consummata in vigilia, idem dicendũ de pollutione, quæ tota accidit, quando homo neque dormit, neq; vigilat, sed medio modo se habet, nam sic se habens non habet plenum vsum rationis, sed ratio impedita est; & ideo non potest pollutio esse peccatum saltem mortale.
211 Præterea nullum adest peccatum mortale, vbi quis ex infirmitate v.g. ex complexione calidiori, & humida cum valida imaginatione, & renum debilitate, omninò inuoluntariè patitur seminis fluxum, vel distillationem absque vllo delectationis consensu: item nec est peccatum, si fœmina, vel mas pollutionem patiatur ex tactu alterius violento, vt contingere potest, tum in eo, qui per tactus membrorum ad peccandum traheretur, vel aliàs excitaretur ad peccandum secluso consensu in delectationem: & similiter fœmina inuita violata pollutionem patiens, & veneream delectationem sentiens non peccat, quamuis non vociferetur, aut aliquo modo se defendat ob verecundiam, dummodo non se actui accõmodet, nec animo consentiat: ita post *S.Thom.22.q.152.a.1.ad 4. Nauarrum in man.cap.16.num.7.& alios, Sayrus lib.8.clau. c.5.num.8.*
212 Item non est peccatum pollutio, licet in vigilia contingens, quoties prouenit ex causa, seu operatione necessaria, vel vtili sibi, vel alijs, vel honesta, si absit consensus in delectationem, vt constat ex dictis suprà nu.163.166. & 190. & tradunt *Nauarrus d.nu.7. Caietanus in sum.v. pollutio, & communiter alij tum à Nauarro relati tum supra praedictis numeris allegati*. Caret quoque culpa mortali pollutio absque consensu, vel periculo morali consensus in eius delectationem oriens ex causis ad genus luxuriç non spectantibus, & de se ad alium affectum tendentibus nec ab agente ad eamdem pollutionem ordinatis, quod constat ex dictis supra num.167.172. & 190. & tradunt doctores.

præ-

prædictis numeris allegati. Idem dicendum de pollutione præter intentionem orta ex causa leui ad genus luxuriæ spectante, dummodo absit consensus in delectationem, vt patet ex dictis n.172.& tradunt doctores ibidẽ allegati.
213 Quartò aduertendum, sicut nullum est peccatum habere simplicem complacentiam de pollutione nocturna, & naturaliter secuta ob finem seu effectum bonum consecutum, iuxta tradita supra nu.143.ita etiam ob honestum finem v.g.ob corporis sanitatem, aut mitigationem libidinis,& tentationis licitum esse simplici affectu, & sine vlla procuratione, aut procurandi proposito optare, & in vigilia desiderare, vt pollutio naturaliter præsertim in somno eueniat.ita *Angelus v.pollutio n.2.Syluest.v.eod.D Antonin.2.p. tit.6. c. 5. Gerson tract. de pollutione diurna proposit.12. Nauar. d.c.16.n.7.Tolet.lib.5.c.13.n.2. Vasqu.1.2.disp.115.c.3. Sanch. lib.1.sum c.2.n.18.Lessius lib.4.c.3.nu.105.Layman lib.3. sect.4. n.17.Filliuc.d.c.8.n.144.Fagund.d.lib.6.c.9 n.29.Io Sanc. in selectis disp.21.n.35.versus finem, & alij doctores supra n.143. & alij,quos refert Sanch.contra Sotum n.4.d.12.q.1.a.7.& nonnullos alios ab eod.Sanch.n.17.relatos* asserẽtes esse mortale peccatum. Ratio autem est,quia pollutio via naturali per causas a natura constitutas prouenien, sine omni libera hominis cooperatione non est intrinsecè mala,& peccatum, sed indifferens ad bonum,& malum,vt latè n.163.probatum est;ergo si finis ob quem desideratur,sit bonus,& per se optabilis, & appetibilis,tale desiderium omni culpa vacabit;nullum.n.peccatũ est simplici affectu desiderare aliquem effectũ ob bonũ finem, & de eo gaudere, quamuis non liceat talem effectum efficaciter intendere,& procurare,vt constat ex exemplis supra n.198. sine adductis, & latiùs explicat Vasqu. d.c.3. Neq; vrget, quod non liceat ob quemcumque bonum finem desiderare fornicationẽ, aut homicidium sequutura in somno; nam pollutio in se (vt modo dixi, & probatum est d.n.163.)nõ est peccatum, sed taliter habita;si enim proueniat via naturali absq; hominis cooperatione non est actus hominis,nec eius voluntati subiectus, sed actus, seu euacuatio naturalis, sicut sudor,& fluxus sanguinis, vt *Sanchez loco citato post Lopez*

1.p. Instructoris cap.74. Fornicatio autem,& homicidium secundum se sunt peccata, cum non sint actus naturales, sed suapte natura liberi, ac hominis voluntati subiecti. Cæterum etsi tale desiderium pollutionis non prohibeatur sub obligatione peccati; nihilominus securius est castitatis amatoribus,& ad maiorem illorum perfectionem, eam nec etiam ob honestum finem desiderare. Vnde Gerson vbi supra aduertit, eiusmodi simplex desiderium, aut gaudium de pollutione naturaliter proueniente, quia v.g. ad sanitatem conducere videtur, esse indicium hominis, nec dum castitatis perfectionem assecuti. Nam viri perfecti ob amorem puritatis, atque timorem periculi consentiendi in carnis delectationem, quam maximè abhorrent ab omni carnis impuritate, quamuis naturaliter proueniente. Ad superandas etiam libidinis tentationes securiora remedia, & à sanctis viris vsurpata non desunt.

Quare ratione possit quis cognoscere, an pollutio sibi in somno sequuta processerit ex illusione dæmonis.

214 Verum cum supra n.193. dictum sit pollutionem nocturnam aliquando prouenire ex operatione Dæmonis, aliquando per solam intrinsecam vim naturæ expultricem, seu per risolutionem naturæ, & vt quoad fieri potest, scrupulosis succurratur, oportet hic explicare, qua ratione quis possit cognoscere, an pollutio in somno sequuta processerit ex illusione dęmonis, an vero ex sola causa intrinseca corporali, seu resolutione naturæ. Huius ergo rei non potest certa reddi regula; sed circunstantiæ sunt inspiciendæ,& considerandæ. Pro quibus bene agnoscendis aduertendum, quod supra n.196. notatum est, scilicet semē esse superfluum vltimæ digestionis ex omnibus membris à natura emissum ad vasa genitalia; quod si multum suprabundat, natura ipsa conatur expellere, vt ibidem dictum est ex quo deducitur gulam, seu cibi, potusq; immoderatam sumptionem multum facere ad pollutionem: contrarium vero affectum prouenire ex moderata, ac restricta sumptione. Qui enim multum comedit, & bibit, multa colligit superflua vnde natura multum oneratur,

plu-

pluraq; reponit in vasa seminalia. Qui autem temperatè viuit, tantum necessaria habet pro sustentatione naturæ. Vnde legitur in collationibus Patrum; quod multum illis videbatur, si bis, aut ter in anno aliquis pollueretur; eo quod ipsi etiam naturæ necessaria detrahebant.

215 Igitur si quis piè,& temperatè viuat;& pollutio cõtingat sine operatione imaginationis, & motu phantasmatum, censenda est contingere ex sola vi intrinseca expultrice,& resolutione naturæ:& similiter iudicandũ est prouenire ex sola causa intrinseca naturali,& resolutione naturę,si quis crapulosè viuat intemperatè comedendo & potãdo semper, etiamsi pollutio contingat cum motu imaginationis, & phantasmatis erit à natura; quia cum natura multum colligat superflui, facile excitat phantasmata, quibus se exoneret in ordine ad talem effectum.

216 Si verò quis vacet rebus diuinis,cogitationes omnes carnis,quantũ pręsentis vitę fragilitas permittit, à se repellat, & abstinentia,& tẽperantia vitã degat; si ei frequẽter obijciantur phantasmata fœda, & obscæna: signũ est esse a Dęmone;& huius pręsumptionis ratio est,quia qui abstinẽter, & temperatè viuit,non congregat superfluũ, quod per viã naturę frequenter debeat expelli;sed quidquid alimẽti habet,necessariũ est ad sustentationẽ,quæ fuit causa,cur antiqui Patres tã rarò in somno (vt dictum est) polluerentur. Quoties ergo cõtingit post arctissimam abstinentiã etiã in pane, & aqua aliquẽ pollui,& hoc sæpè per tã fœda phãtasmata,indiciũ videtur illusionis dæmonis:nam natura quæ parcè nutritur,cũ non multũ grauetur,nõ facilè mouet simulacra inclinantia ad tã immundũ effectũ;quãdo ipsa nõ ita possit formare,& proponere,sicut Diabolus,qui ratione vititur,& materiã horũ inferiorũ(secundũ diuinam permissionẽ)subiectã habet. Quare cũ quis saltẽ mediocrẽ tẽperantiã in cibo,& potu seruat,si frequẽter v.g.bis,vel ter,aut sæpius in hebdomada polluatur,videtur certissimũ signũ, si per repręsentationẽ turpiũ imaginũ id eueniat, esse illusionẽ Diaboli:Nã vt docet *Gall.li.1.de semine*,& demõstrat experientia dilectionũ ex immoderato vsu venereorum, exhauritur semen,ita vt nihil supersit;& abstiẽntia ab acti-

bus venereis multũ, & crassum semẽ colligit, sicut immoderatus vsus dispergit cũ ergo frequẽtes pollutiones æquè exhaurierint, ac frequentes concubitus; impossibile est, vbi tam frequentes pollutiones contingunt, vt natura ipsa se sola vrgeat pollutionem in temperantibus, ac proinde sequitur, quod Diabolus id procuret: imò sicut ex his sequitur naturaliter non posse contingere huiusmodi frequentes pollutiones; sic etiam infertur, quæ cõtingunt frequenter illudente Diabolo, non posse esse immundas multũ, & magnas, quia exhausto semine, causa pollutionis tollitur. Ex quo etiam licet concludere illas tam frequentes pollutiones fortasse non esse seminales, sed permixtas per artificium Dæmonis, ita vt alius humor accedat: multa enim Deo permittente potest naturaliter operari dæmon non solùm in alijs rebus inferioribus, sed etiã in humano corpore, quæ nobis incognita sũt ob naturæ suæ subtilitatem.

Cur Dæmon nocturnas illusiones, & pollutiones excitet.

217 PORrò huiusmodi illusiones Deo permittente fiunt à Dæmone, vel ad terrẽdum, vel inquietandum timorosæ conscientiæ puritatem, vel ad bonum opus (vt communionem, vel celebrationem, sicut referente D. Anton. p.2. tit.6. c.5. in collationibus patrum legitur de quodã, qui semper diebus festiuis patiebatur pollutionem hoc Diabolo procurãte, vt eum retraheret a Sacra communione) impediendum; vel vt vigilanti placeat, quod somnians pertulit: vel vt abstinentiam periculosam, & indiscretum vitæ rigorem suadeat; & in insaniam, aliaque mala præcipitet, vel vt Deo propitio deuotam mentẽ sic exerceat; & ex tali fæditate in humilitate custodiat. *Cassianus de institutis cænobiorum lib.2. c.13. & lib.3. c.5. ex traditione Patrum docet*, quare post matutinas orationes monachis ad somnum reuerti non liceat: & hanc inter alias causas reddit: quia tunc præcipuè fiduciam nostram deijcere, atque eneruare contendit, cum feruentius nos ad Deum tendere orationum nostrarum puritate, & pietate præuiderit, ita vt nonnunquam quos per totum noctis spacium sauciare non potuit, sub illius horæ breuissimo tempore dehonestare conetur: & ita

puri-

purificationem noſtram in nocturnis Pſalmi, & orationibus acquiſitam, quadam ſeminis illuſione cōtaminet. Aliā rationē ex ſe addit idem Caſſianus quia (inquit) omnia noſtra ferè exercitia religionis, & pietatis in die complemus, tēpore illo intermedio, quo monachi ad quietē ſe tradunt, intendit obijcere impedimentū, vt retrahantur a communione, vel celebratione, aut vt huiuſmodi phantaſmatibus conſcientiæ tranquillitatem perturbet, aut cogitationes imprimat: nouit enim integræ diei deuotionem dependere ab ordinatione mentis, tēpore matutino formata. Hinc contingit, quod quidam, quibus multum inimicus inuidet, etiamſi non polluti ante tempus matutinum, ſi ſe ad quietem etiam breuiſſimam conferant, polluantur.

218 Circa huiuſmodi illuſiones, & pollutiones aduertendū; quod licet, vt monuit D. Gregor. ſupra allegatus, bonarum mentium ſit ibi agnoſcere culpam, vbi culpa non eſt, ſi tamen agnoſcatur, vt non indiſcretè impediatur iuſta operatio, neque corporis debita ſuſtentatio deſeratur, nihilominus magis dolēdum eſt, illas pertuliſſe, quàm feciſſe. Et ad cuſtodiendam humilitatem, & timorem, cum quis frequenter polluitur arte Dæmonis, cogitet hoc ſæpè ſignum eſſe, quod multum adhuc habeat in ſe oleris ad paſcendū vitium carnis, & luxuriæ: Atque ob id inimicus nō tarò ita tentat, vt homo cadat in delectationem, & conſenſum vitij carnalis. Imitatur enim aduerſarius noſter exercitatum in bello ducem, qui obſeſſam arcem expugnare cupiens, explorata prius natura, & munitione loci, debiliorem partem aggreditur; vbi ſe aliquid commoditatis habiturum conſpicit, ibi muros tentat, ſuaſque vires exercet: ſic & deceptor callidè animam attendit, & in qua parte ipſam debiliorem conſpicit, ibi expugnare contendit. Si quem multum adhuc vitio carnali deditum conſpicit; illuſionibus nocturnis, quando aliter ad vitium carnis trahere non poteſt, moleſtat, vt tandem ad aliquem conſenſum inducat. Quapropter qui toties Diabolo procurante illuditur, & ſi ipſemet in ſe non experiatur, cogitet tamen ſecum, quod adhuc multum in carne habet de fætore libidi-

nis. Inimicus noster, qui substantiam corpoream perlustrat, quandoque in carne nostra, eiusque prauis inclinationibus agnoscit, quæ ignoramus.

Remedia contra nocturnas illusiones, & pollutiones arte Dæmonis prouenientes.

219 CONtra huiusmodi illusiones iuuat primò oratio, quæ est remedium contra omnia mala præsentis vitæ; & hoc remedium docet ecclesia in hymno completorij. *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.* Hac de causa vesperè, quando se homo confert ad quietem corporis, a Deo expostulare debet, vt obtineat etiam tranquillitatem mentis. Et licet accidat quãdoq; experientia demonstrante, vt cum aliquis sequenti die ad communionem accessurus vel sacrificium peracturus, ante somnum præparat se specialibus orationibus, & cogitationibus contra huiusmodi sordes, tali exercitio renouat phantasmata, & sic noctè dormiẽs, incidat in malum, quod timebat, maximè si inclinatur ad hunc defectum; tunc tamen nullum peccatum committit, imò meretur sanctis exercitijs, quibus sic se disponere studebat. Proderit tamen ad euitandã immunditiã, si non nimis anxiè, & timidè cogitet de casu pollutionis.

220 Contra easdem illusiones secundò iuuat assumere aliquid pęnitentiæ, & satisfactionis, præsertim de consilio cõfessarij, seu patris spiritualis: sic.n. recõciliatur anima Deo; satisfacit, si quid culpæ commisit; humiliatur; & Dei amicitiam impetrat: & hoc remediũ adhibendum est præcipuè ab incipiẽtibus; in quibus adhuc abundat calidus sanguis; & redundant tentationes multũ vehementes, & turbulentæ, quæ animã tristitia, & anxietate perniciosa cõmouent.

221 Tertiò iuuat animosè siue in cõfessione, siue extra confessionem has tentationes cõfessario, & magistro spirituali aperire causa cõsilij, & remedij; multi.n. in religionibus pręsertim pereunt, vel perditionis periculo expositi manent, quia sua secreta non aperiunt; & sic miserè a dæmone, & proprio sensu seducuntur. Oportet autem, vt confessarius,

seu

seu magister spiritualis sit peritus,& exercitatus, qui nouerit oportuna remedia adhibere; qui etiam, omni benignitate,& patientia tales excipiat,audiat,& soletur.

222 Quartò,& vltimo.Quoties quis probabilibus signis agnoscit nocturnam pollutioné esse illusionem Dæmonis, seu ex Dæmonis illusione causatam ad impedienda communionem,vel celebrationem;non est cessandum a communione,vel celebratione;sed quantum potest se disponat;& confiteatur, si fortasse fuisset aliqua culpa, si confessarij sit facultas; & confidenter accedat. Constãtia enim tunc vincenda est Dæmonis iniquitas: Etenim si quis in tali casu cessaret; alia quoque vice tentaret: sed quando quis ei se opponit; faciliùs ipsum relinquit.

Quando pollutio non impediat communionem, & celebrationem.

223 SI hac occasione quis quærat,an,& quando pollutio impediat communionem, aut celebrationem. De hac materia latè agunt *S.Th.3.p.q.*80.*& in 4.d.9.ibidem alij Theologi. Gerson in tract.de preparatione ad Missam, & pollutione nocturna consid.*5.*& in tractatu de pollut.diurna.Gabriel Biel super canon.Missæ lectione* 10.*Ioannes a Turrecremata super d.6.& pracipuè super c.Testamentum,& cap.sed pensandum;Syluester verbo pollutio.* §.10. & alij summistæ *verbo eodem*. Placet resolutio Gabrielis *in fine dictæ* lectionis, vbi sic concludit. *Pollutus in somno absque consensu in vigilia sequente, vel preuio, dum se non sentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum alijs impedimentis non obstantibus, etiam extra casum necessitatis, aut remouendi scandali, potest sine peccato, & meritoriè communicare,& celebrare:dum deuotio trahit,pietas suadet,& susceptum officium exigit, aut requirit*: Plura videri possunt apud eundem Gabrielem,& alios allegatos doctores,præsertim apud Syluestrum. Et prædicta latè tradita sunt de materia delectationum turpium, motuum inhonestorũ, ac pollutionum,quia non infrequens apud plurimos maximè scrupulosos. Proponamus remedia particularia aliorum scrupulorum frequentium.

SVM-

SVMMARIVM §. NONI.

224 *Scrupulosi circa impletionem præceptorum, præsertim audiendi sacrum & recitandi horas canonicas.*

Ibid. & tribus seqq. & n. 232 Remedia contra huiusmodi scrupulos circa expletionem præceptorum.

227. 232. 233. & 234. *Agendum omnino contra huiusmodi scrupulos, & abstinendum ab reiteratione operis præcepti v. g. auditionis noui sacri, & recitationis horarum semel dictarum.*

228 *Ad satisfaciendum præcepto audiendi sacrum, vel recitandi diuinum officium sufficit attentio virtualis; & quæ sit intentio & attentio actualis, quæ virtualis; & quomodum hæc perseuerare censeatur, saltem quoad vitandum peccatum mortale.*

Ibid. fine. Propositum attendendi ab initio non requiritur formale, & explicitum, sed sufficit implicitum, & virtuale; hocque quando adsit.

229 *Multorum sententia est, ad satisfaciendum præcepto audiendi Sacri, & recitandi Diuinum officium non requiri internam attentionem, sed exteriorem, & hæc in quo consistat.*

Ibid. Sine vlla attentione interna recitare officium, vel audire sacrum est peccatum veniale tantùm, iuxta eosdem Doctores.

230 *Alij licet dicant esse mortale, tamen asserunt non impedire expletionem præcepti audiendi sacri, vel recitationis horarum.*

231 *Attentio interna non solum ad Deum, vel ad sensum verborum, sed etiam ad verba tantum sufficit ad satisfactionem præcepti sacri, & horarum canonicarum etiam cum præcisione attentionis ad sensum, & ad Deum.*

232 *Diuagatio, seu distractio mentis inter recitandum Diuinum officium, vel audiendum sacrum, non solum quando & toto tempore quo non aduertitur inculpabiliter, sed etiam quando prouenit ex negligentia etiam crassa non impedit expletionem præcepti horarum, & sacri; & est tantum peccatum veniale.*

234 *Qui in fine Diuini officij, vel alicuius horæ non recordatur se dixisse aliquam horam, vel aliquem Psalmum, vel Hymnum, an teneatur repetere.*

Quid

Ibid. Quid de celebrante Missam, qui non recordatur, vel dubitat an dixerit Epistolam, vel Euangelium, vel verba consecrationis, vel integrè protulerit, vel habuerit intentionem sufficientem ad Consecrationem.

235 *Scrupulosus quando eximatur ab obligatione recitandi Diuinum officium.*

236 *Intentio circa opus preceptum duplex est; vna, qua quis intendat vt liberè velit exequi opus preceptum materialiter tantum cogitatum: altera qua intendat velit exequi opus preceptum, intendendo etiam volendo expressè, vel implicitè, aut virtualiter precepto ipso satisfacere, seu illud implere.*

237 *Ad satisfaciendum ecclesiastico precepto, voto, Sacramento, vel iniunctæ pœnitentiæ Sacramentali requiritur intentio & libera voluntas efficiendi opus preceptum materialiter vt talis natura.*

Ibid. Precepta implenda sunt per actum humanum.

238 *Exequens opus preceptum dum non est sui compos, vt ebrius, dormiens &c non satisfacit precepto.*

239 *Qui inuitus, & coactus, coactione omnino libertatem tollente exequitur opus preceptum, an illud impleat: vbi quid de audiente Missam, ieiunante, vel dante eleemosinam, vel soluente debitum coactè.*

240 *Recitans horas Canonicas absque animo orandi, sed solum causa legendi, vel discendi, vel memoriter retinendi non satisfacit precepto horarum Canonicarum.*

241 *Quid de accedente ad Ecclesiam animo solum meditandi res diuinas, & interim dum meditatur, celebratur Missa, cui interest an satisfaciat precepto audiendi sacrum.*

242 *Ad formalem legis, seu precepti impletionem, & vt expletio est actus obedientiæ, requiritur intentio seu voluntas expressa, vel virtualis implendi preceptum per operis precepti executionem.*

243. & 244 *Intentio satisfaciendi precepto, illudvè implendi, non requiritur ad implendum materialiter & re ipsa preceptum, sed sufficit executio ipsa operis precepti voluntaria, & libera: & idem de voto, iuramento, & pœnitentia à Confessario iniuncta.*

Vnde

Ibid. Vnde qui recitauit horas Canonicas, vel audiuit sacrum cum debita attentione ignorans suam obligationem præcepti ecclesiastici, vel voti, vel ex pœnitentia, satisfacit obligationi.

244. *Versic. Secundo Remedium pro Sacerdote scrupulizante an habuerit intentionem requisitam ad consecrandum.*

245 *An debens alicui centum satisfaciat obligationi suæ, si debiti immemor tantundem ei donet, vel debens incerta debiti in eius tantundem in eleemosynam eroget.*

246. *& tribus seqq. An quando expressè adest intentio non satisfaciendi præcepto per voluntariam & liberam operis præcepti executionem satisfiat, & præceptum impleatur.*

248 *Audiens Missam in die festo, & recitans horas obligatorias intentione expressa non satisfaciendi per hanc auditionem, & recitationem, neque per aliam, qua ratione peccet.*

249 *Ad satisfaciendum præcepto non requiretur actus obedientiæ formalis, sed sufficit obedientia materialis.*

250. *& 251 An satis fiat voto, & pœnitentiæ à confessario iniunctæ, si in executione operis promissi, vel iniuncti adsit expressa intentio non satisfaciendi.*

252 *Qui horas canonicas inchoatas interrumpit animo non satisfaciendi pro tunc, seu repetendi iam lectas, vel audiuit Missam animo non satisfaciendi, non tenetur repetere lecta, nec nouum sacrum audire.*

253 *Famuli, serui, filij, pupilli, Alumni & similes, qui in die festo audiunt Missam coacti metu verberum, vel alterius mali, aliàs non audituri, vel etiam habentes formalem voluntatem alioqui non audiendi, an satisfaciant præcepto.*

254 *Quia de accedente ad Ecclesiam principaliter ex intentione libidinosa videndi fœminam, & ibi Missam audiente, aliàs non auditurus.*

255 *Aliud est materia, seu obiectum legis, & præcepti, aliud finis, & in quo vtrumque consistat.*

256. *ad 266 Vt quis præcepta impleat non requiritur, vt per executionem operis præcepti assequatur præcepti, seu præcipientis, aut legislatoris finem. Vbi an finis præcepti, seu legis, & modus virtutis cadat sub præcepto.*

Quid

detur ad restituenda incerta, vel fratri, aut patri indigenti, vel alteri in extrema necessitate constituto.

§. NONVS.

Remedia scrupulorum circa impletionem praceptorum, & prasertim recitandi horas canonicas aliasque orationes ex obligatione aliqua debitas, & audiendi sacrum. Vbi nonnulla de attentione ad satisfaciendum pracepto recitandi horas Canonicas, & audiendi sacrum necessaria.

224 ALij vexantur scrupulis circa adimpletionem præceptorum præsertim audiendi Missam, vel recitandi horas canonicas, vel quia non habuerint, aut debitam intentionem implēdi, aut necessariam attentionem, sed distractionem in audiendo sacrum, vel recitando horas, aut integram pronunciationem, sed aliquid recitandum omiserint, vel diminutè pronunciarint, vel aliquid simile illis defuerit, quod illos ad iterum audiendū Missam, vel ad repetendum officium, vel eius aliquam partem adstragat; vnde nimis anxiè procurant esse intenti, & attenti, & vehementi conatu se se applicant ad verborum prolationem nimis constanter, & alta voce proferentes, & sæpè modis indecentibus, & ridiculis, & etiam huiusmodi diligentia præstita iterum atque iterum reiterant officium, vel eius partem, reiterantque alias orationes vocales siue ex præcepto debitas, siue solùm in deuotione assumptas, semper sibi suadentes se non fuisse attentos, aut non omnia dixisse, vel non plenè, & integrè pronunciasse; quod genus scrupuli sæpè cernitur etiam in multis Sacerdotibus celebrantibus dum consecrant, qui replicant formam consecrationis, existimantes se non habuisse intentionem, vel attentionem ad consecrandum necessariam, vel non plenè eiusdem consecrationis verba protulisse.

225 Ad sedandos huiusmodi scrupulos his scrupulosis Primò proponendum est, vt quidem omnia Dei, & Ecclesiæ præ-

præcepta pro sua tenuitate adimpleant; tamen si non iuxta desiderium, nec vt par erat, seu obligatio exigebat, præcepto satisfecisse ipsis videatur, non propterea inquietè tristentur; quia habent Dominum scientem infirmitatem illorum, & matrem non eos onerantem vltra pusilles eorum vires: immensa enim est Dei benignitas & Ecclesiæ pietas erga omnes, sed præcipuè scrupulosos, & tam Deus, quam Ecclesia non intendunt obligare ad nimis rigida, nimisque difficilia, ac nimis molesta, vt dictum est suprà in remedijs generalibus remedio decimo: & ita sibi hi scrupulosi persuadere debent non tamen actualem intentionem, aut tam irremissam attentionem, aut tam exquisitam pronunciationem necessariam esse ad implenda præcepta, quam ipsi cogitant; quos, & Deus & Ecclesia illorum infirmitati compatientes supportare volunt, non ob similes defectus damnare.

226 Secundò vtantur hi scrupulosi remedio sæpius in præcedentibus commendato, scilicet consulunt virum doctũ, & pium illi suos scrupulos manifestantes, & illius consilio omnino acquiescant; ita vt, quod semel ipse dixerit, pro regula accipiant, & quod ad implendum præceptum sufficiens affirmauerit, sufficiens esse credant: Et ad hoc facit exemplum S. Lutgardis; quæ, vt refert in eius vita Cantipratanus, & Surius 16. Iunij, cum misere vexaretur scrupulis ob distractiones inter præces Canonicas, nec tenera eius conscientia ab illis pacari posset, Deus singulari prouidentia excitauit Opilionem instar Amos Prophetæ, posuitq; verbũ in ore eius, quo corã alijs Dei nomine iussit illã quietam esse, testatus Deo gratas esse eius preces; acquieuit illa verbis Opilionis, & a scrupulis deinceps fuit libera. Cum ergo Cõfessarius, & Pater spiritualis aliusvè vir doctus & pius cõsultus de suis scrupulis vicem Dei gerat; ipsi dicenti, eos satisfacere præcepto, & suas præces esse gratas Deo, credant, & si sibi non videantur, neque fiant absque distractione.

227 Tertiò ij scrupulosi adhibeant aliud remedium ex generalibus ab omnibus ad pellendos scrupulos approbatũ, scili-

scilicet, agant contra huiusmodi scrupulos, & vt consuluit Gerson *tractat. de remedijs pusillanimitatis alphab.* 70. *lit. B.* omnino abstineant, tanquam à re non necessaria, à reiteratione auditionis noui sacri, vel recitationis illius, quod semel dictum, seu recitatum est: Primò quia dubium, & quælibet credulitas scrupulosi in eorum fauorem debet esse certitudo, vt dictum est supra in vndecimo remedio generali, & ita dum non sunt certi de defectu intentionis, aut attentionis, aut pronuntiationis ad adimpletionem præcepti sufficientis, debent credere se satisfecisse præcepto.

Secundò quia vt impleatur præceptum orationis vocalis (& idem est de præcepto Missæ audiendæ) & illa meritoria sit, & impetret apud Deum, non requiritur, vt in ea tota perseueret interna actualis attentio, & deuotio; sed sufficit vitualis ad recitationem, vel auditionem debitè peragenda manentem ex vi, & virtute, seu voto prioris actualis attentionis, seu propositi attendendi, & deuotè recitandi, vel audiendi, cum quo aliquis accedit ad orandū, vel audiendum sacrum, seu incipit recitationem vocalis orationis, vel auditionem sacri saltem, dummodo non se distrahat ex proposito, & spontè, aut per notabilem negligentiam. Quare cum quis incipit horam, vel auditionem Missæ intentione, seu cum proposito attendendi, quoties dedita opera mentem ab intentione non dimouet, seu nō retractat deliberatè contraria voluntate non attendendi, vel cogitandi impossibilia; licet deinde recitando, aut audiendo per totam orationem, vel Missam sit inuoluntariè distractus varijs cogitationibus, dicitur attentè recitare, & audire, & satisfacere orandi, & audiēdi sacrum præcepto, quia distractio illa est inuoluntaria, & manet attentio virtualis; quę sufficit ad implenda hæc præcepta, ita *S. Thomas 2.2. quæst. 83. art. 3. Nauarrus in man. cap. 25. n. 106. 107. Gerson tractat. de orat. lit. T.* & communiter alij Doctores, *quos referunt Sanchez tom. 2. consilio mor. lib. 7. cap. 2. dub. 28. num. 10. Fagundez de præceptis Eccl. præcepto 1. lib. 1. cap. 7. nu. 4. & squillantes de obligationibus clericorum p. 1. nu. 36. in Gerson d. lit. F.*

vers.

verf. oratione, addit, non oportere, vt orans semper conetur tota sollicitudine continere cor suum infra verba, & sensum vocalis orationis, quia tolerari possit euagatio quædam ad refocillandum caput, vel cor: quod idem alios allegans tenet ibidem Sanchez; Qui num.11. post *Nauar. d.num.*106. & alios notat etiam, quod licet recitans horas vltro, & aduertenter circa alia mente diuagetur, si non aduertat per hoc distrahi ab horis, satisfacit præcepto diuini officij recitandi; quia hic non voluntariè distrahitur ab horis, & ideo virtute manet prima attentio.

228 Addit quoque Nauarrus locis citatis, & in comment. de oratione, & horis canonicis cap.13. num.16. & 17. & idem Sanchez num.12. non esse necessarium etiam ab initio propositum formale, & explicitum attendendi, sed sufficere implicitum, & virtuale; quale (inquit Nauarrus) habet, qui petit, vel accipit breuiarium animo satisfaciendi obligationi diuini officij recitandi, aut eundi ob id ad Ecclesia, & alia similiā; itaut interrogatus, quare petis, aut facis hæc, verè responderet ad recitandi obligationi satisfaciendum: quale etiam propositum, seu intentio actualis sufficit ad actiones Sacramentales, vt si sacerdos audiens signum, quo vocaretur ad celebrandam missam, vel vocatus ad ad ministrãdum aliquod Sacramentum pergeret ad Ecclesiam, & accingeret se ad celebrandum, vel ad ministrandum Sacramentum. Notat insuper *idem Sanchez num.*130.*post eundem Nauarr. dicto cap.*13.*nu.*21. *& alios* aduertentem se diuagari, si habeat mediocrem diligentiam, vt attendat, etiam si non retrahatur, non peccare nec mortaliter, nec venialiter, & orationem esse meritoriam; si verò non adhibet saltem mediocrem, peccare venialiter tantum, & satisfacere præcepto. Et ratio est, quia attenta humana fragilitate impossibile est hominem retinere imaginationem semper actu aduertentem iuxta illud Psal.39. *cor meum dereliquit me*.

229 Addo esse multorum sententiam, vt quis præcisè satisfaciat præcepto Ecclesiæ recitandi horas canonicas, vel audiendi sacrum, non esse necessarium, vt habeat internã

R atten-

attentionem, & deuotionem, sed sufficere quantumuis mens diuagetur in varias cogitationes, si habeat exteriorem attentionem, ac reuerentiam, quæ consistit in hoc, vt non fiat aliquid exterius, quod sit incompatibile attentioni orationis, & auditioni missæ, v.q. non scribat, non numeret pecuniam inter recitandum, vel dum assistit missæ non se occupet in confabulationibus, aut risu; aut circumspiciat huc; illuc, eò quod cum sola externa attentione, & deuotione, aut reuerentia consistat substantia actus externi verè humani, & religionis, quem solum præcipit, & præcipere potest Ecclesia. ita plures relati à Sanchez *d.dub.28.nu.6. & Fagundez d.cap.7.nu.6. Squillantes d. nu.36. Diana p.2. tractat.12.resol.2.par.4. tract.4.resol.107. & par.5. tract.13. resolut.61. Io. Lugo de Sacram. disput.22.sect.2.nu.26. Io. Valer. de differentijs v. Hora canonica diff.1. Coninch. latè id comprobans de Sacramentis quæst.83.art.6. à num.287. ad 308. & alij recentiores à Diana relati* qui tamen præsertim Coninch num. 297. aduertunt sic sine vlla interna attentione recitantem horas canonicas, vel audientem missam, seu assistentem Sacro, licèt expleat præceptum recitandi diuinum officium, & audiendi sacrum, peccare tamen contra præceptum naturale diuinum non orandi distractè, & solo corpore sacro assistentem mente aliò distracta contra reuerentiam Deo, Sanctissimo Sacramento, & sacrificio debitam, non quidem mortaliter, sed venialiter tantum (qualem culpam venialem quoque committunt ex sola deuotione orantes, vel audientes sacrum sine vlla attentione actuali, vel virtuali iuxta doctores communiter relatos, à *Sanchez d. cap.2. dub.31.*) nisi id fieret, quod rarò fit, ex contemptu, vel cum scandalo. Et hæc hic nunc dicta sint ad subleuandum scrupulosos ab onere reiterationis ob timorem, quod illis defuerit debita attentio, & deuotio interna in recitando horas canonicas, vel assistendo missæ.

230 Ad quorum fauorem etiam facit sententia. *Gersonis 3.p. tract. de vita spir. lect.4. Corollar.2. & aliorum, quos citat Sanch. d.c.1.dub.30.nu.1.* qui licet teneant peccare mortaliter recitan-

tantem horas canonicas absque vlla attentione interna, aiunt tamen non teneri horas recitatas repetere, id ex eo probantes, quod duo diuersa Ecclesiæ præcepta sint de horis Canonicis. Primum, vt horæ integræ dicantur, secundum *in c.dolentes de celeb.missarum*, vt attentè dicantur; ac proindè si quis sine attentione dicat, satisfacit præcepto primo de horis recitandis,& sic non tenetur repetere, sed agere pœnitentiam transgresſionis secundi præcepti.

231 Non omittendum etiam ad horum scrupulosorum solamen, cum triplex sit attentio,quæ in oratione nocali potest adhiberi;prima superficialis,scilicet ad verba ritè pronuncianda, vt non erretur, dum recitans aduertit, quæ verba dicit, etsi non reflectat se aduertere, nec intelligat, quid verba significent;secunda litteralis ad significatum, & sensum verborum litteralem; tertia spiritualis, scilicet, vel ad sensum verborum mysticum, vel ad Deum,aut ad sanctos,qui rogantur,vel etiam ad rem,quę petitur;& harum attentionum secunda sit præstantior prima, & tertia præstantisſima; & quælibet, vt dictum est, esse posſit vel actualis scilicet actu durans, & ab initio explicita attendendi, vel orandi, aut implicita recitandi horas, audiendi sacrum, eundi ad chorum, accipiendi breuiarium,aut satisfaciendi præcepto;vel tantū virtualis,in virtute,& quasi in voto intentionis, seu propositi attendendi, seu orandi, iuxta omnes ferè doctores ad implendum præceptum recitandi horas, & audiendi sacrum sufficit sola attentio superficialis,actualis,vel virtualis,quæ vt dixi, manet virtualiter, quamdiu non retractatur deliberatè contraria voluntate non attendendi, seu orandi, aut homo non se distraxerit spontè sua, aut per notabilem negligentiam. ita *Caietanus in sum.verbo Hora §.quoad tertium,& 22.q.83.ar.13. Nauarrus in man.d.c.25.nu.105.& 106.& in Comm.de Oratione dicto c.13.nu.4.& 33. Toletus lib.2. c.13. nu.9.Suarez de relig.tom.2.lib.3.cap.4.nu.8.11.12. & 13. Sanchez d. c.1. dub.28. num.16. Lessius de iust.lib.2.cap.32.nu.69. Squillantes vbi supra num.41. Bresserus de conscientia lib.6. cap.13. num.159. & alij.* Et ratio huius communis sententiæ,est, quia eiusmodi aten-

tentio ad verba sufficit ad veram,& internam orationem & auditionem, qualis tantum præcipitur; nec enim præcipitur oratio attentior, seu melior, sed tantum oratio, vt latè declarat, & probat Sanchez,& licet *Caietanus,Nauarrus, Sanchez, & alij*, quos idem Sanchez ait se de hac re consuluisse, id limitent dicentes,quamcumque trium prędictarum attentionum sufficere ad implendum præceptum orationis, & auditionis sacri si eligatur sine præcisione melioris,idest, ita eam aligat recitans, vt nolit in ea sistere,sed vt medium sibi accommodatum ad perueniẽdum ad meliorem, si Deus eam dederit; secus autem, si eligat cum præcisione melioris; nihilominus Suarez, & Bresserus limitationem hanc reprobant,eo quod quis non tenetur aspirare ad meliorem attentionem, & perfectiorem orationem, & consequenter licita est voluntaria pręcisio ab ea meliori attentione; & si quis non tenetur illam meliorem adhibere,neque etiam tenetur illam impedire, vt latiùs explicat, & confirmat Sanchez.

232. Si dicat scrupulosus,non satisfeci præcepto recitationis horarum, & auditionis missæ, quia ex mea notabili, & crassa negligentia mente distractus fui,& varijs cogitationibus diuagatus sum,& ita nullam habui attentionem,nec virtualem,& consequenter debeo reiterare horas,& missæ auditionem:Occurritur huic scrupulositati ad eam deponendam duplici responsione:Prima, quod iuxta *Nauar. & Sanch.locis supra n.228.fine relatis*, & Caiet. d. art.13. ad peccatum mortale contrahendum defectu attentionis exigitur, vt data opera, & aduertenter quis diuagetur, & aduertens diuagari ab horis; imò *Caiet. d. art.*13. expresѕè dicit,quod voluntaria negligentia in attentione tunc tantum esset peccatum mortale, quando ex contemptu, vel ex industria contingeret, & in *sum. v. Horæ §. quoad tertium* dicit, quod negligenter se habens circa attentionem peccat venialiter;quod idem *ait Nauarr.d.nu.*21.& vtrumque dictum Caietani approbat etiam Sanch. *d. dub.*28. *nu.*14. testans ita sensisse etiam aliquos alios iuniores valdè doctos magistros. Quare subdit idem Sanchez,licet in alijs mate-

materijs negligentia crassa æquiualeat voluntario, ac proinde habens negligentiam crassam peccat, ac si consultò faceret: in hac tamen materia hoc non admittitur, nec propter prædicta debet admitti; esset enim seminarium multorum scrupulorum, vt ibidem notauit Sanchez reprobans contrariam doctrinam Soti, & Palatij asserentium eum, qui in recitandis horis ex negligentia crassa mente diuagatur peccare mortaliter ac si consultò faceret: Secunda responsio est, crassam, & notabilem negligentiam solere contingere (vt loco citato inquit Gerson) hominibus, qui ex deprauata consuetudine ad omnia spiritualia, & ad cuncta, quæ carnis sunt, prompti tempore auditionis sacri, & persolutionis horarum canonicarum, aliarumve præcum diuinarum, quæ illos non sapiunt, cogtationibus sæcularibus, & carnalibus, quibus oblectantur, animum pascunt, sæpèque inter patinas animo versantur: tales enim euagationes, quæ prouenîunt ex defectu vitiato per Dæmonis artem adferente somnolentiam, & fastidium in orando, demus non admittere excusationem. At illæ certè admittunt, quæ proueniunt ex infirmitate, siue accidentali, vt in ijs quorum, modica, & leuis, & venialis negligentia tantum est, siue naturali, vt in ijs, qui phantasias ita habent volubiles, vt velint, nolint ad leuem quasi venti flatum facile à suo proposito ad alia distrahuntur; in huiusmodi enim euentu melius est de illa negligentia veniali, & defectu sine reiteratione dolere considerando misericordiam Dei, in illaque confidendo, quàm ex reiteratione non necessaria valdè inquietari.

233 Prædictis addo ex *Rodriquez quæstion. regular. tomo 3. quæst. 66. artic. 3. dub. 3. & Reginaldo libro 2. numero 132. & ex dictis supra numero* 41. his scrupulosis ab huiusmodi reiteratione abstinendum esse ob alias duas rationes; prima: quia ex tali reiteratione non sequitur illorum intentum, sed potius oppositum: quia non facit mentem, & conscientiam tranquillam, sed potius magis inquietam; vt experientia docet in ijs,

qui huiusmodi reiterationes multiplicant. Secunda, quia non conciliat attentionem, vt ipsi scrupulosi intendunt; sed potiùs impedit, & generat euagationem, quia dum sic mẽtem anxiè applicant ad obtinendam attentionem, seu vt sint attenti, pro obiecto sibi constituunt, & habent attentionem ipsam: Vnde fit, vt magis euagentur, attendendo non ad verba, quæ proferunt, sed ad attentionem ipsam, quam imaginatur, vt *d.n.*41. notaui ex Caiet. 2.2.*q*.83.*a*.17. ob quam rationem etiam male faciũt scrupulosi, qui, dum orant, psallunt, recitãtvè horarias preces, aut Missæ intersunt, ad vitãdum distractiones, & scrupulos motibus capitis, oris, gestus, alteriusvè membri gestiunt; Nam nil iuuant ad sedandum scrupulum, & pellendam distractionem, sed potius confirmant, de quo *d.n.*41. Et tales motus præsertim retorsionis oris, aut immoderatæ aperitionis vitandi sunt a Sacerdotibus in consecratione corporis, & sanguinis Christi Domini; in qua attentio mentis ad Deum debet quidem esse maxima, non tamen intensiuè, & per abstractionem a sensibus, & conuulsione, aut commotione membrorum; sed maxima obiectiuè & quoad conatum mentis infra latitudinem ad ipsa verba dicenda, vt decet.

234 Quartò particulariter circa reiterationem orationum, & precum ob scrupulũ de non integra recitatione, & pronuntiatione, scilicet, quia scrupulosus incæpit quidem cum attentione debita recitare diuinum officium, vel aliquam horam animo recitandi totum diuinum officium, vel totam integram horam, & quando peruenit ad finem officij, vel ad horæ finem, non recordatur, vel dubitat, an aliquam horam, vel psalmum, vel hymnum, aliamvè partem horæ inchoatæ, & ad cuius finem peruenit, omiserit, vel non plenè, & integrè recitauerit fortè incautè alio distractus; remedium petendum est ex dictis in tit. 1. moral. var. n.3086. & ex dictis de remedijs scrupulorum circa peccatorum confessionem non iterandam: Tenendum igitur tanquam indubitatum eum, qui ad finem, vel aliquòvsque officij, vel horæ videt se peruenisse, non teneri anteriora, vel aliquid eorum repetere, etsi non meminerit se ea legisse,

giſſe, vel dubitet, an recitauerit, niſi meminerit morali certitudine, ſeu euidenter conſtet, ſe ea non legiſſe, ſeu recitaſſe, ſi alioqui conſueuit, & ſcit ſe communiter, & ordinariè non errare in recitatione officij, vel talis horæ, neque aliquid omittere, aut diminutè pronuntiare, ſed integrè dicere. ita Nauarrus *in c. ſi quis autem nu.* 76. *&* 77. *de pœnit. d.* 7. *& in man. cap.* 13. *nu.* 30. *& Doctores communiter d. nu.* 3086. *tit.* 1. *mor. var. relati.* Probabiliter enim poteſt credere ſe etiam illa recitaſſe, ſcilicet, more, & ordine ſolito, vt *d. nu.* 3086. latiùs explicatum eſt: Et eadem eſt ratio de Sacerdote, qui in Miſſa dicturus Euangelium non meminit, an dixerit graduale, vel iam dicturus orationem Dominicam, aut ſuſcepturus ſacram Communionem non meminit, vtrum verba conſecrationis ſuper panem, & vinum protulerit, ſeu conſecrauerit; vel qui prolata forma conſecrationis non meminit, ſeu dubitat, an omnia verba protulerit, vel an integrè, & plenè non diminutè pronuntiauerit; debet enim abſtinere a reiteratione ob eandem rationem, vt *Nauarrus loco citato, Reginaldus d. lib.* 2. *nu.* 133. *Breſſerus d. c.* 13. *nu.* 167. *& Rodriquez d. quæſt.* 66. *citato dub.* 3. vbi ſpecialiter aduertit abſtinendum a reiteratione verborum conſecrationis, quando manſit verborum ſignificatio, quamuis non fuerit exacta pronuntiatio literæ M. vel N. quod communiter aſſerunt Doctores. Et huiuſmodi ratio, & doctrina cum compræhendat omnes, & non tantum ſcrupulos, vt dixi *d. n.* 3086, & conſtat ex dictis de remedijs circa ſcrupulos de reiteratione confeſſionis n. 56. multò magis compræhendit ſcrupuloſos: nam hi ſingulari priuilegio iuxta ibidem, & num. 57. tradita; non tenentur vnquam quidquam repetere, niſi certiſſimi ſint ſe illud non recitaſſe: & etiam niſi ita certi, vt hoc auderent iurare; imò aliquando etiam ſi auderent iurare iuxta dicta eodem num. 57. Et eodem fauore non tenentur ſcrupuloſi audire ſecundum ſacrum, niſi (vt ſupra etiam num. 227. dixi) certiſſimi ſint, ſe notabili parte primi ſacri voluntariè diſtractos fuiſſe, ſuppoſito, quod interna attentio aliqua ſit

necessaria ad implendum præceptum. Et nouerint confessarij, & magistri spirituales valdè inculcandum esse scrupulosis, ne vnquam quidquã repetant; quia si semel incipiant, non erit finis repetendi, vt notaui *in tit. 1. mor. var. d. nu.* 3086. *& supra nu.* 58. *&* 62. vbi de confessione eorumdem peccatorum a scrupulosis non reiteranda.

235 Quod si tam scrupulosus quis esset, vt prædictis rationibus doctrinis, & remedijs adduci non posset, vt scrupulum deponeret, & ab anxia ob vehementem mentis, & corporis applicationem, & valdè molesta recitatione, vel reiteratione abstineret, licitum, & expediens sæpiùs erit officium omninò omittere, quàm recitare cum tanto tormento, & turbatione capitis non sine periculo amentiæ. Videtur enim certum, scrupulosos cum tanto suo incommodo, & periculo non teneri diuinum officium recitare. Imò post semel morali diligentia recitatas horas sub mortali tenebitur agere contra scrupulum, & à reiteratione abstinere; scilicet, ne ex vehementi, & diuturna mentis applicatione se exponat periculo amentiæ, vel alterius grauis damni spiritualis, vel corporalis, vel impotentiæ ad explendum præceptum, quo alias obligatur iuxta dicta supra nu. 34. fine, & 59.

Ad implenda præcepta sit nè necessarium, opera præcepta exequi intentione formali, vel saltem virtuali illis satisfaciendi. Vbi etiam quid de votis, & iuramentis, ac pœnitentia sacramentali.

236 QVintò ad obuiandum, & medendum scrupulis circa impletionem præceptorum ex defectu intentionis illa implendi, seu illis satisfaciendi: Notandum opus præceptum dupliciter posse esse voluntarium, & intentum: primò quia quis intendat, & liberè velit implere, seu facere rem præceptam cognitam materialiter tantùm iuxta suam naturam, seu quatenus est talis naturæ, ratione cuius

ius

ius est præcepta v.q.intendit, & velit recitare horas canonicas,vel audire missam, quatenus recitatio est actus orationis,& auditio missæ cultus diuinus; secundò quia intendat,& velit implere,seu facere rem præceptam intendendo,& volendo expresse,& formaliter, vel saltem simplicitè, & in confuso, seu virtualiter implere præceptum, seu præcepto imposito satisfacere.

237 Igitur dico primò certum esse ad implendum præceptum saltem positiuum, siue diuinum, siue naturale, siue humanum requiri, vt opus præceptum sit voluntarium, & intentum primo modo, scilicet, requiri, vt quis intendat, & velit efficere opus præceptum, vt talis naturæ v.g. recitare horas, audire sacrum in confuso saltem, vel virtualiter intendens orare, vel exercere actum cultus diuini. Ita Doctores communiter. *Vasquez 1.2.quæst. 100. artic. 9. in expositione littera. Azorius 1. par. lib. 7. capit. 2. quæst. 6. Suarez tom. 3. in tertiam par. disputat. 88. sect. 3. & de legibus lib. 2. capit. 10. & lib. 3. capit. 2. quæst. 23. Sanchez lib. 1. sum. capit. 13. num. 1. Fagundez de præceptis Ecclesiast. precepto 1. lib. 2. capit. 7. num. 11. Bonacina de legibus disputat. 1. quæst. 1. par. 10. Castrus Palaus tom. 1. tractat. 3. disputat. 1. par. 17. num. 4. Fillincius tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 210. & tom. 2. tract. 23. cap. 8. num. 251. & alij a Sanchez allegati, & recentiores communiter.* Et ratio est; quia alioqui opus non esset liberum, & humanum, quale præcipitur; lex enim præcipit actum humanum, & solùm per actum humanum,& voluntarium impleri potest, sicut etiam violari non potest, nisi per actum humanum; actus autem humanus non fit sine libera voluntate. Et hæc est ratio cur ebrij, & amentes non teneantur ipsis legibus, nec alij debeant curare, vt eas impleant; & idem, vt ibidem notat Sanchez, dicendum est ob eādem rationem de impletione voti, iuramenti, aut pœnitentiæ sacramentalis.

238 Hinc primò, si quis non sui compos. v.g. ebrius, aut dormiens recitaret horas, vel sacro interesset, non posset legem implere, ideoque teneretur iterũ recitare, & aliam missā audire, quia nō recitasset, neq; audisset actu humano

idem de voto, iuramento,& pœnitentia iniuncta:ita citati Doctores.

39 Secundò, si quis omninò inuitus, & coactus coactione auferente omninò libertatem v. g. vinctus repugnãte omninò voluntate cogeretur interesse sacro, non satisfaceret, neque deobligaretur; quia deficeret libera voluntas: præceptum autem est de opere non necessario, sed sito in voluntate hominis libera: ac proinde, dum quis non efficit opus, quod omittere possit, præceptũ non implet. Ita *ijdem Doctores, & alij relati a Sanch. n. 5, Fagund. n. 10. & Palao nu. 5.* Et licet *Suarez d. c. 29. num. 4.* aliter sentire videatur, tamen non sentit, sed intelligendus de coactione non per vim libertatem omninò tollentem, sed per metum iuxta tradita infra *n. 253.* Neque dicatur hunc implere re ipsa præceptũ audiendi Missam, licet non moraliter, & ita excusari a noua auditione, sicut si inuitus omninò ieiunaret quis, quia omninò ei abstractus sit cibus in die ieiunij, reipsa nõ violaret præceptum ieiunij, licet in voluntate nõ satisfaceret, ac proinde si non ieiunantibus censura excommunicatiõnis esset imposita, illam non contraheret: Et sicut quis de obligaretur præcepto erogandi eleemosinam, vel obligatione restitutionis, si inuitus, aut mente alienus eleemosinam daret, aut restitutionem faceret. Respondetur non implere neque in voluntate, neque in reipsa; quia non fecit rem præceptam, quæ est auditio libera sacri. Ad exemplum de ieiunante inuito Sanchez *d. n. 5.* dicit neque reipsa implere, & incurrere excommunicationem, eo quod defuit libera voluntas in illa abstinentia a cibo, quod idẽ docuit *Medina 1. 2. q. 100. a. 9. At Suarez d. c. 29. n. 3. & Castr. Pal. n. 6.* respondet reipsa implere & non incidere in excommunicationem: dicunt enim differentiam esse inter præcepta negatiua, & positiua; nam negatiua (cum non requirant actionem) impleri possunt sine vlla intentione, & voluntate, vt eo ipso, quod quis furtum non committit, dicitur præceptum non furandi implere; at affirmatiua, cum requirant actionem liberam, impleri non possunt absque voluntate, vt probatum est; ac proinde præceptum

audien-

audiendi sacri non impletur re ipsa sine voluntate; secus autem præceptum ieiunandi, quia non requirit actum, sed negationem, ideoque potest sine vlla voluntate re ipsa impleri; & ob id in præfato dicto *dixi saltem positiuum*, ne pro certo ponerem, quod apud aliquos est controuersum, & dubium: Ad aliud exemplum eleemosinæ, & restitutionis factæ ob inuito; respõdetur, quod & si præceptum eleemosinę, & restitutionis non impleat, qui inuitus tribuit, & restituit; facit tamen vt res ita mutentur, vt cesset omnino obligatio dandæ eleemosinæ, vel restituendi: nam sublata pauperis necessitate, & reddito ablato, cessat præceptum, seu obligatio, tum faciendi eleemosinam, quæ tãtum proueniebat ex necessitate tum restituendi, quæ proueniebat ex retentione rei alienæ; vnde ad summum obligari potest esse de tali traditione eleemosinæ, & de tali redditione contentus.

240 Tertiò si quis recitaret diuinum officium, seu horas canonicas solum legendi, vel addiscendi, vel memoriter retinendi gratia, seu voluntate, non satisfaceret præcepto, seu obligationi recitandi, sed teneretur iterum recitare; quia cum diuinum officium ab Ecclesia præceptum dicere sit orare, seu actus orationis (vt in notabili dictum est) de ratione intrinsica illius est, vt recitans intendat, & velit expressè vel implicitè, & virtualiter orare, seu recitare, vt est actus orationis. ita *Nauarrus Com. de oratione cap. 13. num. 11. Azorius d p. 1 lib. 10. cap. 8. quæst. 7. fine Suarez d. cap. 29. num. 4. Sanchez d. cap. 13. num. 3. Lessius lib. 2. de iust. cap. 3. num. 67. Portel. in dub. reg. verbo. Hora canonica nu. 7. & alij relati à Sanchez*; Neque obstat, quod quis dicendo horas canonicas animo orandi sine voluntate satisfaciendi verè impleat præceptum illas recitandi iuxta tradenda infra; nam hæc duo videlicet nolle orare, & nolle satisfacere sunt validè diuersa; nam primum idest orare, est de intrinseca ratione diuini officij, vt dictum est; secundum verò, scilicet, velle, aut nolle satisfacere, non est (vt infra explicabitur) de intrinseca ratione diuini officij, dummodo adsit intentio orandi expressa, vel in confusò, seu virtualiter: qualis iuxta

dicta

scilicet, agant contra huiusmodi scrupulos, & vt consuluit Gerson *tractat. de remedijs pusillanimitatis alphab.* 70. *lit. B.* omnino abstineant, tanquam à re non necessaria, à reiteratione auditionis noui sacri, vel recitationis illius, quod semel dictum, seu recitatum est: Primò quia dubium, & quælibet credulitas scrupulosi in eorum fauorem debet esse certitudo, vt dictum est supra in vndecimo remedio generali, & ita dum non sunt certi de defectu intentionis, aut attentionis, aut pronuntiationis ad adimpletionem præcepti sufficientis, debent credere se satisfecisse præcepto.

Secundò quia vt impleatur præceptum orationis vocalis (& idem est de præcepto Missæ audiendæ) & illa meritoria sit, & impetret apud Deum, non requiritur, vt in ea tota perseueret interna actualis attentio, & deuotio; sed sufficit vitualis ad recitationem, vel auditionem debitè peragenda manentem ex vi, & virtute, seu voto prioris actualis attentionis, seu propositi attendendi, & deuotè recitandi, vel audiendi, cum quo aliquis accedit ad orandũ, vel audiendum sacrum, seu incipit recitationem vocalis orationis, vel auditionem sacri saltem, dummodo non se distrahat ex proposito, & spontè, aut per notabilem negligentiam. Quare cum quis incipit horam, vel auditionem Missæ intentione, seu cum proposito attendendi, quoties dedita opera mentem ab intentione non dimouet, seu nõ retractat deliberatè contraria voluntate non attendendi, vel cogitandi impossibilia; licet deinde recitando, aut audiendo per totam orationem, vel Missam sit inuoluntariè distractus varijs cogitationibus, dicitur attentè recitare, & audire, & satisfacere orandi, & audiẽdi sacrum præcepto, quia distractio illa est inuoluntaria, & manet attentio virtualis; quę sufficit ad implenda hæc præcepta, ita *S. Thomas 2.2. quæst. 83. art. 3. Nauarrus in man. cap. 25. n. 106. 107. Gerson tractat. de orat. lit. T.* & communiter alij Doctores, *quos referunt Sanchez tom. 2. consilio mor. lib. 7. cap. 2. dub. 28. num. 10. Fagundez de præceptis Eccl. præcepto 1. lib. 1. cap. 7. nu. 4. & squillantes de obligationibus clericorum p. 1. nu. 36. in Gerson d. lit. F.*

vers.

vers. oratione, addit, non oportere, vt orans semper conetur tota sollicitudine continere cor suum infra verba, & sensum vocalis orationis, quia tolerari possit euagatio quædam ad refocillandum caput, vel cor: quod idem alios allegans tenet ibidem Sanchez; Qui num. 11. post *Nauar. d. num.* 106. & alios notat etiam, quod licet recitans horas vltro, & aduertenter circa alia mente diuagetur, si non aduertat per hoc distrahi ab horis, satisfacit præcepto diuini officij recitandi; quia hic non voluntariè distrahitur ab horis, & ideo virtute manet prima attentio.

228 Addit quoque Nauarrus locis citatis, & in comment. de oratione, & horis canonicis cap. 13. num. 16. & 17. & idem Sanchez num. 12. non esse necessarium etiam ab initio propositum formale, & explicitum attendendi, sed sufficere implicitum, & virtuale; quale (inquit Nauarrus) habet, qui petit, vel accipit breuiarium animo satisfaciendi obligationi diuini officij recitandi, aut eundi ob id ad Ecclesia, & alia similiã; itaut interrogatus, quare petis, aut facis hæc, verè responderet ad recitandi obligationi satisfaciendum: quale etiam propositum, seu intentio actualis sufficit ad actiones Sacramentales, vt si sacerdos audiens signum, quo vocaretur ad celebrandam missam, vel vocatus ad ad ministrãdum aliquod Sacramentum pergeret ad Ecclesiam, & accingeret se ad celebrandum, vel ad ministrandum Sacramenrum. Notat insuper *idem Sanchez num.* 130. *post eundem Nauarr. dicto cap.* 13. *nu.* 21. *& alios* aduertentem se diuagari, si habeat mediocrem diligentiam, vt attendat, etiam si non retrahatur, non peccare nec mortaliter, nec venialiter, & orationem esse meritoriam; si verò non adhibet saltem mediocrem, peccare venialiter tantum, & satisfacere præcepto. Et ratio est, quia attenta humana fragilitate impossibile est hominem retinere imaginationem semper actu aduertentem iuxta illud Psal. 39. *cor meum dereliquit me*.

229 Addo esse multorum sententiam, vt quis præcisè satisfaciat præcepto Ecclesiæ recitandi horas canonicas, vel audiendi sacrum, non esse necessarium, vt habeat internã

R atten-

attentionem, & deuotionem, sed sufficere quantumuis mens diuagetur in varias cogitationes, si habeat exteriorem attentionem, ac reuerentiam, quæ consistit in hoc, vt non fiat aliquid exterius, quod sit incompatibile attentioni orationis, & auditioni missæ, v.g. non scribat, non numeret pecuniam inter recitandum, vel dum assistit missæ non se occupet in confabulationibus, aut risu; aut circumspiciat huc; illuc, eò quod cum sola externa attentione, & deuotione, aut reuerentia consistat substantia actus externi verè humani, & religionis, quem solum præcipit, & præcipere potest Ecclesia. ita plures relati à Sanchez *d.dub.28.nu.6. & Fagundez d.cap.7.nu.6. Squillantes d. nu.56. Diana p.2. tractat.12.resol.2.par.4. tract.4. resol.107. & par.5. tract.13. resolut.61. Io.Lugo de Sacram.disput.22.sect.2.nu.26. Io.Valer.de differentijs v. Hora canonica diff.1. Coninch. latè id comprobans de Sacramentis quæst.83.art.6. à num.287. ad 308. & alij recentiores à Diana relati* qui tamen præsertim Coninch num. 297. aduertunt sic sine vlla interna attentione recitantem horas canonicas, vel audientem missam, seu assistentem Sacro, licèt expleat præceptum recitandi diuinum officium, & audiendi sacrum, peccare tamen contra præceptum naturale diuinum non orandi distractè, & solo corpore sacro assistentem mente aliò distracta contra reuerentiam Deo, Sanctissimo Sacramento, & sacrificio debitam, non quidem mortaliter, sed venialiter tantum (qualem culpam venialem quoque committunt ex sola deuotione orantes, vel audientes sacrum sine vlla attentione actuali, vel virtuali iuxta doctores communiter relatos, à *Sanchez d. cap.2. dub.31.*) nisi id fieret, quod rarò fit, ex contemptu, vel cum scandalo. Et hæc hic nunc dicta sint ad subleuandum scrupulosos ab onere reiterationis ob timorem, quod illis defuerit debita attentio, & deuotio interna in recitando horas canonicas, vel assistendo missæ.

230 Ad quorum fauorem etiam facit sententia. *Gersonis 3.p. tract.de vita spir.lect.4.Corollar.2.& aliorum, quos citat Sanch. d.c.1.dub.30.nu.1.* qui licet teneant peccare mortaliter recitan-

tantem horas canonicas absque vlla attentione interna, aiunt tamen non teneri horas recitatas repetere, id ex eo probantes, quod duo diuersa Ecclesiæ præcepta sint de horis Canonicis. Primum, vt horæ integræ dicantur, secundum *in c. dolentes de celeb. missarum*, vt attentè dicantur; ac proindè si quis sine attentione dicat, satisfacit præcepto primo de horis recitandis, & sic non tenetur repetere, sed agere pœnitentiam transgressionis secundi præcepti.

231 Non omittendum etiam ad horum scrupulosorum solamen, cum triplex sit attentio, quæ in oratione nocali potest adhiberi; prima superficialis, scilicet ad verba ritè pronuncianda, vt non erretur, dum recitans aduertit, quæ verba dicit, etsi non reflectat se aduertere, nec intelligat, quid verba significent; secunda litteralis ad significatum, & sensum verborum litteralem; tertia spiritualis, scilicet, vel ad sensum verborum mysticum, vel ad Deum, aut ad sanctos, qui rogantur, vel etiam ad rem, quę petitur; & harum attentionum secunda sit præstantior prima, & tertia præstantissima; & quælibet, vt dictum est, esse possit vel actualis scilicet actu durans, & ab initio explicita attendendi, vel orandi, aut implicita recitandi horas, audiendi sacrum, eundi ad chorum, accipiendi breuiarium, aut satisfaciendi præcepto; vel tantū virtualis, in virtute, & quasi in voto intentionis, seu propositi attendendi, seu orandi, iuxta omnes ferè doctores ad implendum præceptum recitandi horas, & audiendi sacrum sufficit sola attentio superficialis, actualis, vel virtualis, quæ vt dixi, manet virtualiter, quamdiu non retractatur deliberatè contraria voluntate non attendendi, seu orandi, aut homo non se distraxerit spontè sua, aut per notabilem negligentiam, ita *Caietanus in sum. verbo Hora § quoad tertium, & 22. q. 83. ar. 13. Nauarrus in man. d. c. 25. nu. 105. & 106. & in Comm. de Oratione dicto c. 13. nu. 4. & 33. Toletus lib. 2. c. 13. nu. 9. Suarez de relig. tom. 2. lib. 3. cap. 4. nu. 8. 11. 12. & 13. Sanchez d. c. 1. dub. 28. num. 16. Lessius de iust. lib. 2. cap. 32. nu. 69. Squillantes vbi supra num. 41. Bresserus de conscientia lib. 6. cap. 13. num. 159. & alij.* Et ratio huius communis sententiæ, est, quia eiusmodi attentio

tentio ad verba ſufficit ad veram,& internam orationem & auditionem, qualis tantum præcipitur; nec enim præcipitur oratio attentior, ſeu melior, ſed tantum oratio, vt latè declarat, & probat Sanchez,& licet *Caietanus, Nauarrus, Sanchez, & alij*, quos idem Sanchez ait ſe de hac re conſuluiſſe, id limitent dicentes, quamcumque trium prędictarum attentionum ſufficere ad implendum præceptum orationis, & auditionis ſacri ſi eligatur ſine præciſione melioris, ideſt, ita eam aligat recitans, vt nolit in ea ſiſtere, ſed vt medium ſibi accommodatum ad perueniẽdum ad meliorem, ſi Deus eam dederit; ſecus autem, ſi eligat cum præciſione melioris; nihilominus Suarez, & Breſſerus limitationem hanc reprobant, eo quod quis non tenetur aſpirare ad meliorem attentionem, & perfectiorem orationem, & conſequenter licita eſt voluntaria pręciſio ab ea meliori attentione; & ſi quis non tenetur illam meliorem adhibere, neque etiam tenetur illam impedire, vt latiùs explicat, & confirmat Sanchez.

232. Si dicat ſcrupuloſus, non ſatisfeci præcepto recitationis horarum, & auditionis miſſæ, quia ex mea notabili, & craſſa negligentia mente diſtractus fui, & varijs cogitationibus diuagatus ſum, & ita nullam habui attentionem, nec virtualem, & conſequenter debeo reiterare horas, & miſſæ auditionem: Occurritur huic ſcrupuloſitati ad eam deponendam duplici reſponſione: Prima, quod iuxta *Nauar. & Sanch. locis ſupra n. 228. ſine relatis*, & Caiet. d. art. 14. ad peccatum mortale contrahendum defectu attentionis exigitur, vt data opera, & aduertenter quis diuagetur, & aduertens diuagari ab horis; imò *Caiet. d. art.* 13. expreſsè dicit, quod voluntaria negligentia in attentione tunc tantum eſſet peccatum mortale, quando ex contemptu, vel ex induſtria contingeret, & in *ſum. v. Hora §. quoad tertium* dicit, quod negligenter ſe habens circa attentionem peccat venialiter; quod idem *ait Nauarr. d. nu.* 21. & vtrumque dictum Caietani approbat etiam Sanch. *d. dub.* 28. *nu.* 14. teſtans ita ſenſiſſe etiam aliquos alios iuniores valdè doctos magiſtros. Quare ſubdit idem Sanchez, licet in alijs

mate-

materijs negligentia crassa æquiualeat voluntario, ac proinde habens negligentiam crassam peccat, ac si consultò faceret: in hac tamen materia hoc non admittitur, nec propter prædicta debet admitti, esset enim seminarium multorum scrupulorum, vt ibidem notauit Sanchez reprobans contrariam doctrinam Soti, & Palatij asserentium eum, qui in recitandis horis ex negligentia crassa mente diuagatur peccare mortaliter ac si consultò faceret: Secunda responsio est, crassam, & notabilem negligentiam solere contingere (vt loco citato inquit Gerson) hominibus, qui ex deprauata consuetudine ad omnia spiritualia, & ad cuncta, quæ carnis sunt, prompti tempore auditionis sacri, & persolutionis horarum canonicarum, aliarumve præcum diuinarum, quæ illos non sapiunt, cogtationibus sæcularibus, & carnalibus, quibus oblectantur, animum pascunt, sæpèque inter patinas animo versantur: tales enim euagationes, quæ proueniunt ex defectu vitiato per Dæmonis artem adferente somnolentiam, & fastidium in orando, demus non admittere excusationem. At illæ certè admittunt, quæ proueniunt ex infirmitate, siue accidentali, vt in ijs quorum, modica, & leuis, & venialis negligentia tantum est, siue naturali, vt in ijs, qui phantasias ita habent volubiles, vt velint, nolint ad leuem quasi venti flatum facile à suo proposito ad alia distrahuntur; in huiusmodi enim euentu melius est de illa negligentia veniali, & defectu sine reiteratione dolere considerando misericordiam Dei, in illaque confidendo, quàm ex reiteratione non necessaria valdè inquietari.

233 Prædictis addo ex *Rodriquez quæstion. regular. tomo 3. quæst. 66. artic. 3. dub. 3. & Reginaldo libro 2. numero 132. & ex dictis supra numero* 41. his scrupulosis ab huiusmodi reiteratione abstinendum esse ob alias duas rationes; prima: quia ex tali reiteratione non sequitur illorum intentum, sed potius oppositum: quia non facit mentem, & conscientiam tranquillam, sed potius magis inquietam; vt experientia docet in ijs,

qui huiusmodi reiterationes multiplicant. Secunda, quia non conciliat attentionem, vt ipsi scrupulosi intendunt; sed potiùs impedit, & generat euagationem, quia dum sic mẽtem anxiè applicant ad obtinendam attentionem, seu vt sint attenti, pro obiecto sibi constituunt, & habent attentionem ipsam: Vnde fit, vt magis euagentur, attendendo non ad verba, quæ proferunt, sed ad attentionem ipsam, quam imaginatur, vt *d.n.*41. notaui ex Caiet. 2.2.*q.*83.*a.*17. ob quam rationem etiam male faciũt scrupulosi, qui, dum orant, psallunt, recitãtvè horarias preces, aut Missæ intersunt, ad vitãdum distractiones, & scrupulos motibus capitis, oris, gestus, alteriusvè membri gestiunt; Nam nil iuuant ad sedandum scrupulum, & pellendam distractionem, sed potius confirmant, de quo *d.n.*41. Et tales motus præsertim retorsionis oris, aut immoderatæ aperitionis vitandi sunt a Sacerdotibus in consecratione corporis, & sanguinis Christi Domini; in qua attentio mentis ad Deum debet quidem esse maxima, non tamen intensiuè, & per abstractionem a sensibus, & conuulsione, aut commotione membrorum; sed maxima obiectiuè & quoad conatum mentis infra latitudinem ad ipsa verba dicenda, vt decet.

234 Quartò particulariter circa reiterationem orationum, & precum ob scrupulũ de non integra recitatione, & pronuntiatione, scilicet, quia scrupulosus incæpit quidem cum attentione debita recitare diuinum officium, vel aliquam horam animo recitandi totum diuinum officium, vel totam integram horam, & quando peruenit ad finem officij, vel ad horæ finem, non recordatur, vel dubitat, an aliquam horam, vel psalmum, vel hymnum, aliamvè partem horæ inchoatæ, & ad cuius finem peruenit, omiserit, vel non plenè, & integrè recitauerit fortè incautè alio distractus; remedium petendum est ex dictis in tit. 1. moral. var. n.3086. & ex dictis de remedijs scrupulorum circa peccatorum confessionem non iterandam: Tenendum igitur tanquam indubitatum eum, qui ad finem, vel aliquòvsque officij, vel horæ videt se peruenisse, non teneri anteriora, vel aliquid eorum repetere, etsi non meminerit se ea legisse,

giſſe, vel dubitet, an recitauerit, niſi meminerit morali certitudine, ſeu euidenter conſtet, ſe ea non legiſſe, ſeu recitaſſe, ſi alioqui conſueuit, & ſcit ſe communiter, & ordinariè non errare in recitatione officij, vel talis horæ, neque aliquid omittere, aut diminutè pronuntiare, ſed integrè dicere. ita Nauarrus *in c. ſi quis autem nu. 76. & 77. de pœnit. d. 7. & in man. cap. 13. nu. 30. & Doctores communiter d. nu. 3086. tit. 1. mor. var. relati.* Probabiliter enim poteſt credere ſe etiam illa recitaſſe, ſcilicet, more, & ordine ſolito, vt *d. nu.* 3086. latiùs explicatum eſt: Et eadem eſt ratio de Sacerdote, qui in Miſſa dicturus Euangelium non meminit, an dixerit graduale, vel iam dicturus orationem Dominicam, aut ſuſcepturus ſacram Communionem non meminit, vtrum verba conſecrationis ſuper panem, & vinum protulerit, ſeu conſecrauerit; vel qui prolata forma conſecrationis non meminit, ſeu dubitat, an omnia verba protulerit, vel an integrè, & plenè non diminutè pronuntiauerit; debet enim abſtinere a reiteratione ob eandem rationem, vt *Nauarrus loco citato, Reginaldus d. lib. 2. nu. 133. Breſſerus d. c. 13. nu. 167. & Rodriquez d. queſt. 66. citato dub.* 3. vbi ſpecialiter aduertit abſtinendum a reiteratione verborum conſecrationis, quando manſit verborum ſignificatio, quamuis non fuerit exacta pronuntiatio literæ M. vel N. quod communiter aſſerunt Doctores. Et huiuſmodi ratio, & doctrina cum comprænhendat omnes, & non tantum ſcrupulos, vt dixi *d. n.* 3086. & conſtat ex dictis de remedijs circa ſcrupulos de reiteratione confeſſionis n. 56. multò magis comprænhendit ſcrupuloſos: nam hi ſingulari priuilegio iuxta ibidem, & num. 57. tradita; non tenentur vnquam quidquam repetere, niſi certiſſimi ſint ſe illud non recitaſſe: & etiam niſi ita certi, vt hoc auderent iurare; imò aliquando etiam ſi auderent iurare iuxta dicta eodem num. 57. Et eodem fauore non tenentur ſcrupuloſi audire ſecundum ſacrum, niſi (vt ſupra etiam num. 227. dixi) certiſſimi ſint, ſe notabili parte primi ſacri voluntariè diſtractos fuiſſe, ſuppoſito, quod interna attentio aliqua ſit

necessaria ad implendum præceptum. Et nouerint confessarij, & magistri spirituales valdè inculcandum esse scrupulosis, ne vnquam quidquã repetant; quia si semel incipiant, non erit finis repetendi, vt notaui *in tit. 1. mor. var. d. nu. 3086. & supra nu. 58. & 62.* vbi de confessione eorumdem peccatorum a scrupulosis non reiteranda.

235 Quod si tam scrupulosus quis esset, vt prædictis rationibus doctrinis, & remedijs adduci non posset, vt scrupulum deponeret, & ab anxia ob vehementem mentis, & corporis applicationem, & valdè molesta recitatione, vel reiteratione abstineret, licitum, & expediens sæpiùs erit officium omninò omittere, quàm recitare cum tanto tormento, & turbatione capitis non sine periculo amentiæ. Videtur enim certum, scrupulosos cum tanto suo incommodo, & periculo non teneri diuinum officium recitare. Imò post semel morali diligentia recitatas horas sub mortali tenebitur agere contra scrupulum, & à reiteratione abstinere; scilicet, ne ex vehementi, & diuturna mentis applicatione se exponat periculo amentiæ, vel alterius grauis damni spiritualis, vel corporalis, vel impotentiæ ad explendum præceptum, quo alias obligatur iuxta dicta supra nu. 34. fine, & 59.

Ad implenda præcepta sit nè necessarium opera præcepta exequi intentione formali, vel saltem virtuali illis satisfaciendi. Vbi etiam quid de votis, & iuramentis, ac pœnitentia sacramentali.

236 QVintò ad obuiandum, & medendum scrupulis circa impletionem præceptorum ex defectu intentionis illa implendi, seu illis satisfaciendi: Notandum opus præceptum dupliciter posse esse voluntarium, & intentum: primò quia quis intendat, & liberè velit implere, seu facere rem præceptam cognitam materialiter tantùm iuxta suam naturam, seu quatenus est talis naturæ, ratione cuius

ius est præcepta v.q.intendit, & velit recitare horas canonicas, vel audire missam, quatenus recitatio est actus orationis, & auditio missæ cultus diuinus; secundò quia intendat, & velit implere, seu facere rem præceptam intendendo, & volendo expresse, & formaliter, vel saltem simplicitè, & in confuso, seu virtualiter implere præceptum, seu præcepto imposito satisfacere.

237 Igitur dico primò certum esse ad implendum præceptum saltem positiuum, siue diuinum, siue naturale, siue humanum requiri, vt opus præceptum sit voluntarium, & intentum primo modo, scilicet, requiri, vt quis intendat, & velit efficere opus præceptum, vt talis naturæ v.g. recitare horas, audire sacrum in confuso saltem, vel virtualiter intendens orare, vel exercere actum cultus diuini. Ita Doctores communiter. *Vasquez 1.2.quæst. 100. artic. 9. in expositione litteræ. Azorius 1.par. lib. 7. capit. 2. quæst. 6. Suarez tom. 3. in tertiam par. disputat. 88. sect. 3. & de legibus lib. 2. capit. 10. & lib. 3. capit. 2. quæst. 23. Sanchez lib. 1. sum. capit. 13. num. 1. Fagundez de præceptis Ecclesiast. præcepto 1. lib. 2. capit. 7. num. 11. Bonacina de legibus disputat. 1. quæst. 1. par. 10. Castrus Palaus tom. 1. tractat. 3. disputat. 1. par. 17. num. 4. Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 7. num. 210. & tom. 2. tract. 23. cap. 8. num. 251. & alij a Sanchez allegati, & recentiores communiter.* Et ratio est; quia alioqui opus non esset liberum, & humanum, quale præcipitur; lex enim præcipit actum humanum, & solùm per actum humanum, & voluntarium impleri potest, sicut etiam violari non potest, nisi per actum humanum; actus autem humanus non fit sine libera voluntate. Et hæc est ratio cur ebrij, & amentes non teneantur ipsis legibus, nec alij debeant curare, vt eas impleant; & idem, vt ibidem notat Sanchez, dicendum est ob eãdem rationem de impletione voti, iuramenti, aut pœnitentiæ sacramentalis.

238 Hinc primò, si quis non sui compos. v.g. ebrius, aut dormiens recitaret horas, vel sacro interesset, non posset legem implere, ideoque teneretur iterũ recitare, & aliam missã audire, quia nõ recitasset, neq; audisset actu humano

& idem

audiendi sacri non impletur re ipsa sine voluntate: secus autem præceptum ieiunandi, quia non requirit actum, sed negationem, ideoque potest sine vlla voluntate re ipsa impleri; & ob id in præfato dicto *dixi saltem positiuum*, ne pro certo ponerem, quod apud aliquos est controuersum, & dubium: Ad aliud exemplum eleemosinæ, & restitutionis factæ ob inuito; respõdetur, quod & si præceptum eleemosinę, & restitutionis non impleat, qui inuitus tribuit, & restituit; facit tamen vt res ita mutentur, vt cesset omnino obligatio dandæ eleemosinæ, vel restituendi: nam sublata pauperis necessitate, & reddito ablato, cessat præceptum, seu obligatio, tum faciendi eleemosinam, quæ tãtum proueniebat ex necessitate tum restituendi, quæ proueniebat ex retentione rei alienæ; vnde ad summum obligari potest esse de tali traditione eleemosinæ, & de tali redditione contentus.

240 Tertiò si quis recitaret diuinum officium, seu horas canonicas solum legendi, vel addiscendi, vel memoriter retinendi gratia, seu voluntate, non satisfaceret præcepto, seu obligationi recitandi, sed teneretur iterum recitare; quia cum diuinum officium ab Ecclesia præceptum dicere sit orare, seu actus orationis (vt in notabili dictum est) de ratione intrinsica illius est, vt recitans intendat, & velit expressè vel implicitè, & virtualiter orare, seu recitare, vt est actus orationis. ita *Nauarrus Com. de oratione cap. 13. num. 11. Azorius d p. 1 lib. 10. cap. 8. quæst. 7. fine Suarez d. cap. 29. num. 4. Sanchez d. cap. 13. num. 3. Lessius lib. 2. de iust. cap. 3. num. 67. Portel. in dub. reg. verbo. Hora canonica nu. 7. & alij relati à Sanchez*; Neque obstat, quod quis dicendo horas canonicas animo orandi sine voluntate satisfaciendi verè impleat præceptum illas recitandi iuxta tradenda infra; nam hæc duo videlicet nolle orare, & nolle satisfacere sunt validè diuersa; nam primum idest orare, est de intrinseca ratione diuini officij, vt dictum est; secundum verò, scilicet, velle, aut nolle satisfacere, non est (vt infra explicabitur) de intrinseca ratione diuini officij, dummodo adsit intentio orandi expressa, vel in confusò, seu virtualiter: qualis iuxta

dicta

dicta supra n. 228. censetur, quando accipit breuiarium, vel audito signo conueniendi ad diuinum officium recitãdũ pergit ad Ecclesiã, vt horas canonicas cõsuetas dicat.

241 Quartò *Sanch. d. cap. 13. num. 3. Bonacinas d. p. 10. num. 4.* ex eodem dicto inferunt accedentem ad Ecclesiam animo contemplandi res diuinas, si casu Sacerdos interim adeat Altare ad celebrandum Missam, cui ille in ea meditatione persistens assisteret, non satisfaceret præcepto, vel voto, aut iuramento, vel pœnitentiæ iniunctæ audiendi Missam; quia, & si illa meditatio erat sufficiens ad habendam attentionem requisitam auditioni sacri, tamen habuit tantùm intentionem, & voluntatem meditandi, non autem voluntatem audiendi sacrum, qua deficiente, illud assistere, non est audire Missam. At *Castrus Palaus d. cap. 17. num. 7.* asserit satisfacere verè præcepto, voto, &c. si attentione requisita sacro interfuit, quia interfuit sacro non violenter, sed liberè, ac proinde habuit voluntatem audiendi sacrum, quæ voluntas non potuit separari ab illa morali, & religiosa præsentia; Neque inquit, obstat, cum primùm accessit ad Ecclesiam, non habuisse animum audiendi sacrum; fortè enim putabat vel non esse faciendum sacrum, vel non fore illi præsentem debita attentione; sed facto iam sacro, si ipse debita attentione assistit, iam vult sacrum audire, neque intentio meditandi potest illi intentioni obesse; & ita sensit etiam *Diana p. 3. tract. 4. resolut. 77.*

242 Dico secundo ad formalem legis, seu præcepti obseruationem, seu ad impletionẽ legis, seu præcepti, quatenus expletio est actus obedientiæ requiritur non solũ intentio faciendi opus præceptum, sed etiam intentio expressa, seu formalis, vel saltem virtualis satisfaciendi præcepto, illudvè implendi; actum enim obedientiæ non potest exercere ignorans opus esse præceptum, vel non intendens præceptum implere. ita *Suarez, Fagundez locis citatis,* & constat ex alijs Doctoribus citatis, & alijs infra allegandis. Voluntas, seu intentio expressa, & formalis est illa, qua quis directa intentione vult aliquod præceptum implere faciendo

ciendo hunc actum, *volo implere praeceptum per istam actionem, quam praecipit Ecclesia, vel volo facere hunc actum mihi ab Ecclesia imperatum v.g. audire sacrum, vt praeceptum impleam*. Voluntas verò, seu intentio virtualis est illa, quae relinquitur in nobis, manetque post formalem; vt cum quis iam habuit voluntatem implendi praecepta, & postea ex consuetudine recitat horas canonicas, vel audit Missam; vel antea habuit voluntatem, & intentionem generalem satisfaciendi praeceptis per omnia opera sua etiam ignoranter, seu cum ignorantia praecepti facta. ita *Lud. Lopez lib.* 1. *de contract. cap.* 53. *Pe. Ledes. summa Sacram. vbi de Euch. cap.* 27. *post conclu.* 10. *Syluester v. Hora, quaest.* 11. *num.* 15. *Suarez, Fagundez, & Filliucius locis citatis*.

243 Dico tertio ad materialē praecepti impletionē, seu vt re ipsa praeceptum impleatur, praeter voluntatem & intentionē efficiendi opus praeceptum, v.g. audiēdi Missā, vel recitandi diuinum officiū nō requiritur voluntas, seu intentio, neq; expressa seu formalis, neq; implicita, seu virtualis satisfaciēdi praecepto; seu nō requiritur, vt expressè; vel implicite quis velit opus praeceptū facere, vt per illud eidem praecepto satisfaciat. Quod nō requiratur intētio expressa, tenēt cōmuniter Doctores tā supra citati, quā alij infra allegandi. Quod verò neque etiā virtualis modo supradicto explicita requiritur, licet cōtradicant *Lopez, Petrus Ledesma, & Syluester* locis citatis, asserunt tamen alij Doctores infra citandi, & alij communiter. Igitur probatur hoc secundum dictum, quia qui ignorans adesse praeceptum, opus aliquod lege aliqua praeceptum volens & liberè facit, verè efficit, & exequitur rē praeceptā, & in lege expressam; ergo implet praeceptū, etiāsi nil cogitet, vel cogitauerit de satisfaciēdo praecepto. probatur, quia leges, & praecepta solū exprimunt & iniungunt, & liberè, & actu humano opus praeceptu fiat, non autē, vt fiat speciali actu volūtatis, quo veluti in actu signato velit etiam praecepto satisfacere v.g. lex seu praeceptum Ecclesiasticum de ieiunio, & horis canonicis, de auditione sacri dicit, quod fidelis ieiunet,

ieiunet, audiat sacrum, Clericus sacris initiatus, vel beneficiarius recitet horas canonicas, non tamen addit, vt legem seruet, vel quia scit eam existere. Potest autem quis ieiunare, audire sacrum & horas recitare liberè, & humano modo, tametsi nesciat esse præceptum; vt docuit S. Thomas 2.2.*quæst.*104.*art.*3.*ad* 2. vbi sic ait; *licet actus virtutis non cadat sub præcepto; potest tamen aliquis implere actum virtutis non attendens ad rationem præcepti.*

Confirmatur dictum, quia qui facit id, quod præcipitur lege, saltem eam non transgreditur; qui autem legem non transgreditur, non peccat contra eam. Probant etiam *Sanchez, & Fagundez locis citatis, & Villalobos* 1.*p.sum. tract.* 8.*diff.*35.*num* 9.*& alij ab eodem ibidem, & Sanchez d.cap.* 13.*n.* 9. *relati:* quia qui efficit ex deuotione opus præceptum ignorans præcepti obligationem v.g. audit mane sacrum in die Dominico ignorans esse diem Dominicum, aut diē festum, eo ipso, quo non habuit contrariam voluntatem non implendi, censetur habuisse virtualem intentionem implendi præceptum. sed contra hanc rationem est, quod intentio virtualis non videtur posse adesse, vbi adest ignorantia præcepti, & non processit saltem generalis intentio volendi satisfacere præceptis quocumque opere ignoranter acto iuxta dicta præcedenti dicto. Neque obstat, si dicatur præceptum obligare ad obedientiam, seu implere præceptum esse actum obedientiæ, quam quis non exercet, eo exercere potest, nisi expressè, vel saltem virtualiter intendat obedire, & satisfacere præcepto: Nam respondetur præcepta non obligare ad obedientiam formalem, sed ad materialem, nempè, vt liberè, & humano modo fiat, quod præcipitur; non enim obligant ad opus externum ex motiuo obedientiæ faciendum; aliàs qui audiret Missam ob vanam gloriam, præcepto non satisfaceret; solum ergo obligant ad rem præceptam exequendam, quæ cum effici possit absque præcepti cognitione, vt dictum est, præcepto satisfit.

247 Ex hoc secundo dicto, & eius probatione sequitur, eum, qui recitauit horas, aut sacrum audiuit ex deuotio-

ne

ne nesciens, vel non aduertens ad id se teneri, eo quo nesciuerit esse diem festum, vel immemor esse obligationem recitandi horas, non teneri, vel horas repetere, vel audire secũdum sacrum, quia materialiter legem implenit, ita *Vasquez, Suarez, Azorius locis supra dicto primo relatis Sanchez d.num.9. Fagundez d.cap.7.num.13. Filliucius d. cap. 5.num.211. Pelars d.p.17.num.8. Villalobos d. num.9. Diana p.3. tractat. resolut. 77. & recentiores communiter*. Et idem dicendum de voti, iuramenti, & pœnitentiæ Sacramentalis impletiore; scilicet, si quis immemor obligationis voti, vel iuramenti, aut pœnitentiæ Sacramentalis ex deuotione efficiat opus aliàs ex voto, vel iuramento, aut pœnitentia Sacramentali debitum; satisfacere voto, aut iuramento aut pœnitentiæ, vt etiam aiunt *Sanchez num. 11. & alij Doctores citati ferè omnes*; quia votum, iuramentum, & pœnitentia Sacramentalis obligant ad instar legis generalis, & ita vt fiat res promissa, vel à confessario iniuncta; non verò vt adsit actus voluntatis satisfaciendi obligationi, vndè etiam votum non obligat ad fidelitatem formalem, quæ requirit animum satisfaciendi, sed ad fidelitatem materialem, sicut & præcepta ad materialem non formalem obedientiam obligant, vt dictum est.

Secundò ex Doctrina eiusdem dicti habetur remediũ ab sedandos scrupulos Sacerdotum dubitantium, an habuerint intentionem requisitam ad consecrandum Hostiam; nam iuxta fundamentum ad dictum ipsum confirmandum à nobis ex sententia Sanchez, & aliorum adductum, illi solum tenentur, & præcipiuntur proferri verba consecrationis cum sufficienti attentione, & deuotione, non autem pręcipiuntur, vt proferant cum aliqua pręsenti intentione volendi consecrare, aut satisfaciendi præcepto obliganti ad consecrandum: & iuxta fundamentum Suarez, Fagundez, & aliorum, eo ipso, quod verba consecrationis dixerunt, & non habuerunt hunc actum, hancvè intentionem formalem, *Nolo consecrare*, virtualem habuerunt intentionem, & certum est eo ipso, quod accesserunt ad Ecclesiam, aut induerunt se paramentis, quæ ad celebrandum

brandum adhibentur, aut Altare adierunt animo celebrandi Missam, censentur semper habere veram intentionem virtualem consecrandi, nisi contrarium actualem postea habeant, & ideo irrationabiliter scrupulis crucientur; nam, quod suæ obligationis erat, præstiterunt.

245 Tertiò ex Doctrina eiusdem dicti aliqui inferunt debentem ex Iustitia alicui certæ personæ, vel pauperibus centum, satisfacturum, si tãtundem donet, vel in eleemosinam elargiatur, immemor debiti, & non in remunerationem tantidem muneris accepti, quia si conscius, aut memor fuisset obligationis, non animo liberali, & donandi, sed satisfaciendi dedisset. sed hoc corollarium non est admittendum, quia donatio eo ipso, quod est donatio, ac gratuita repugnat, & excludit solutionem ex iustitia, nec potest quis rem alterius, putà, Petri, vel quasi suam, idest strictè debitam eidem donare; quare deficiente cognitione obligationis, & voluntate satisfaciendi non potest debitum ex iustitia extingui, cum remaneat pura donatio liberalis; conditionalis enim illa non tollit, quin hic, & nunc sit vera donatio, aut eleemosina, & non debiti solutio; Alia verò est ratio de operibus debitis ex lege, præcepto, vel voto, aut pœnitentia Sacramentali, quorum expletioni non repugnat, imò conuenit eadem fieri ex deuotione; vel vt *Lessius, & Villalobus* locis mox citandis aiunt, donatione gratuita non extinguitur ius, quod is, cui debetur, habet in suum cõmodum; at cum aliquid solum est debitum ex præcepto, non in cõmodum præcipientis, sed solius subditi, satisfit huic debito, si opus absolutè fiat, quia eo ipso, quo præstatur, obtinetur id, quod præcepto intenditur, nimirum bonum ipsius subditi; & ita sentiunt *Lessius d.c.*37. *num.*60. *Sanchez d. cap.*13. *num.* 11. *&* 13. *Fagundez d. cap.*7. *n.* 25. *Martinus Bresserus de conscientia lib.*6. *cap.*13. *nu.* 158. *Castrus Palaus d.p.*17. *num.*10. *Villalobos d. num.*9. *Diana de resolut.*77. *Bonacina d.p.*10. *num.*13. *& tractat. de restit. d.*1. *quæst. vlt. p.*2 §.2. *quæst.*3. *& alij recentiores, & prius docuit Lopez de contract. lib.*2. *cap. vlt.* Procederet etiam corollarium, & cẽseretur quis sufficienter satisfecisse obligationi iustitiæ

dandi

dandi centum per tamtundem datum cum ignoratione obligationis, si antea habuisset generalem voluntatem seu intentionem satisfaciendi, casu, quo aliquam obligationem haberet restituendi, ita quod donatio, seu eleemosina facienda subrogaretur loco illius: tunc enim illa donatio, seu eleemosina non est liberalis, & gratuita, sed solutio debiti, cum ex voluntate satisfaciendi debito proueniat; & hoc idem docent *Palaus, & Diana.*

246 Dico quarto valdè probabile esse, vel etiam probabilius, eum, qui facit liberè opus, quod lex, seu præceptum exprimit, & faciendum iubet, v.g. recitat horarias præces ex obligatione debitas, vel audit sacrum in die festo, satisfacere præcepto, nec teneri ad iterandum v.g. recitationem, vel audiendum secundum sacrum, tametsi faciat expresa voluntate legem, seu præceptum non adimplendi, & in hac voluntate persistat. Huic dicto asserentes non posse impleri præceptum per opus factum cum formali voluntate non satisfaciendi præcepto contradicunt Nauarrus comm. *de orat. dicto cap.* 13. *nu.* 15. 27. *&* 28. *& in man. cap.* 16. *nu.* 75. *& seq. Azorius* 1. *p. lib.* 10. *cap.* 8. *q.* 7. *& capit.* 12. *quæstion.* 12. *Ioannes Medina, Rodriquez, Henriquez, Petrus Ledesma, Angles locis à Sanchez dict. capit.* 13. *numero* 12. *& Fagundez dict. capit.* 7. *numer.* 21. *relati*, quorum sententiam etiam probabiliorem dicit idem *Fagundez* ibidem *numero* 2. contradicunt etiam *Suarez sectione allegata supra dicto primo Filliucius dicto capit.* 5. *numero* 211. *& Villalobos dicto numero* 9. *idem Suarez tomo* 2. *de religion. libro* 4. *capit.* 26. & quidam alij recentiores, quatenus aiunt eum, qui fecit opus præceptum v.g. manè audiuit sacrum animo per illud non satisfaciendi præcepto, si habuerit animum audiendi aliud sacrum, siuè non, satisfacere per illud pręcepto, & non teneri aliud sacrum audire eo die, si intra tempus habile, & antequam dicatur vltimum sacrum mutat voluntatem, & velit per illud sacrum satisfecisse; quia ille prior actus audiendi substantialiter fuit sufficiens, cum fuerit humanus cum corporali pręsentia, & debita attentione, & solùm illi defuit obediētia voluntatis,

scilicet intentio voluntatis, vt præceptum impleretur, ac proinde si hæc postea adiungatur intra tempus matutinum, quo missæ celebrentur, satis erit ad præcepti satisfactionem; secus verò si toto tempore habili persistat in illa voluntate non adimplendi, quia obedientia a præcepto requisita esse non potest cum tali voluntate non implendi præceptum; vt Nauarrus, & alij aiunt. Et tamquam huius sententiæ à *Fagundez num.22. & Sanch. nu.14. allegatur Lessius de iustitia lib.2. dicto cap.37. num.59. & eod. lib. cap.46. num.43.* qui tamen videtur requirere illam mutationem intra illud tempus habile, quo potest satisfieri præcepto, non vt per opus illud prius factum cum expressa voluntate non implendi præceptum censeatur impleri præceptum, quod re ipsa iam non esset impletum, sed ad euitandum solùm internum peccatum contemptus præcepti, vnde d. num.59. dicit per tale opus præcepti v.g. auditione sacri cum intentione non satisfaciendi præcepto satisfactum esse intētioni Ecclesiæ quoad rem præceptam, & ita nō incurreret censuram nō audienti positam.

247 At dictum asserunt *Valent. 2.2. d.6. q.2. p. p. vltimo Vasquez 1.2. q.100. art.9. in expost. littera à nu.5. Sanchez d.c.13. nu.13. & 14. Bonacina de legibus d.1. q.1. p. 10. num.19. Coninch de Sacram. quæst.83. art.6. nu.309. & 310. Bresserus d.c.13. n.156. Portel. d. verbo Hora canonica num.5. & 6. Diana d. resolut.77. Castrus Palaus d.p.17. num.12. & 13. & Lessius locis citatis; & fauet vehementer S. Thomas loco* supra ad probandum tertium dictum adducto, dum dicit, quod quis potest actum virtutis explere non attendendo ad rationem præcepti. Probatur dictum ex ratione adducta ad præcedens dictum confirmandum, scilicet quia ad impletionem præcepti non est necessaria voluntas, seu intentio formalis, vel virtualis faciendi opus, quia præceptum, seu satisfaciendi præcepto, illudvè implendi; sed sufficit, vt fiat opus virtutis, quod in lege, seu præcepto exprimitur, & iniungitur, nempè sufficit attentè, & deuotè audire missam, vel recitare horas canonicas ad implendum præceptum audiendi missam, & recitandi horas. Quia lex, seu præceptum

præ-

pręcepit tantùm externam executionem operis, quatenus est actus honestus, & virtualis, non autem dicit, vt habeatur formalis, vel virtualis intentio implendi legem seu pręceptum, dum actus fit, vt in præcedenti dicto probatum est; ergo contraria voluntas, scilicet, non implendi pręceptum, dum quis opus virtutis præceptum debitè, & humano modo, & intuitu honestatis illius efficit, nihil obstabit impletioni præcepti: quia etsi habet voluntatem nullo modo satisfaciendi, tamen exterius facit integrè opus pręceptum, ac si haberet intentionem implendi, & ita satisfacit rationi, ac motiuo legis, seu præcepti, quod est, v.g. vt diebus singulis, vel factis Deus eo opere, scilicet, recitatione horarum canonicarum, & auditione sacri colatur; quod ille præstitit non obstante voluntate non implendi præceptum. Cuius voluntatis mutatio, quando non adfuit voluntas per alium actum implendi præceptum intra tẽpus habile, sed omninò non implendi, requiritur, non vt satisfiat præcepto, & euitetur peccatum contra præcepti impletionem, sed contra virtutem obedientię, seu contra præceptum naturale diuinum, quo tenetur quisque subiectus esse legi, & legislatori: & consequenter prohibetur absolutè nolitio non implendi præceptum Ecclesiasticum, ita vt nullo tempore habeatur, vt rectè *Sanchez d. cap.* 13. *num.* 14. *& post eum Bonacinas d. part.* 10. *fine Palaus d. p.* 17. *num.* 13. *& Coninch dicto nu.* 309. vbi explicat exemplo subditi, qui haberet voluntatem non parendi superiori, posito quod hoc, vel illud præciperet; peccaret enim contra virtutem obedientiæ, non tamen contra præceptum superioris, quod nullum est.

248 Addo audientem missam, vel recitantem horas habentem intentionem, seu voluntatem nec hac recitatione, & auditione, neq; alia præceptum implendi, peccare non quidem in re ipsa, sed in effectu contra ipsum præceptum recitandi horas, & audiendi missam, quemadmodum peccaret interiori voluntate contra præceptum audiendæ missæ, qui nollet absolutè die festo audire sacrum, etsi deinde audiret, & proinde ad cessandum ab hoc peccato,

in affectu contra præceptum, debet voluntatem illam mutare; & hoc est quod dicit Lessius locis citatis, & hoc idẽ dixit Bresser. vbi supra, & innuunt Sanch. & Palaus locis citatis, dicentes præfatum recitantem horas; vel audientẽ missam intentione non satisfaciendi, si nulla alia missa illi restaret audienda, neq; tempus, in quo iterum posset horas canonicas recitare, sine dubio peccare non in re, sed in affectu, quia scilicet affectum habet non satisfaciendi præcepto Ecclesiastico, etsi restaret alia missa, & tẽpus superesset iterum recitandi, & haberet voluntatem audiendi illam, & iterum horas recitandi, nullũ peccatum cõmittere. Quod etiam illius voluntatis non implendi præceptũ, opere ipso præcepto debitè paracto, mutatio non requiratur ad satisfaciendum in re ipsa præcepto propter rationem allatam, quod independenter ab illa reuocatione, & directione præceptum iam ab illo operante impletum est, probatur; quia opus præteritum iam non subest eius libertati, ergo nec directioni: ac proinde si illud opus non fuit factum ex obedientia, sequens voluntatis reuocatio afficere non potest, vt ex obedientia processerit.

249 Neque prædictis obstat, implere præceptum esse actũ obedientiæ; nam iam dixi in præcedenti dicto esse actum obedientiæ materialis, non formalis. Non obstat etiam, si dicatur, quod si per ipsam tantùm opus præceptũ debitè factum satisfieret præcepto, non posset quis habere volũtatem non satisfaciendi, cum non esset in potestate eius impedire satisfactionem: Nam respondetur verè nõ esse in potestate operantis præceptis non satisfacere, eo ipso quod vult, & debitè exequitur opera in præceptis expressa ob illam rationem, quod præcepta, seu leges præcipiunt externam operis honesti & virtutis executionem, non intẽtionem implendi legem; vnde quis, velit nolit, efficiendo illud opus virtutis præceptum re ipsa implet, & quod quis habeat intentionem non satisfaciendi, procedit ex ignorantia, qua credit illa voluntate non implendi nõ satisfieri præcepto; ac proinde huiusmodi voluntas ex se efficax non est, nec destruit priorem voluntatem, qua opus præ-

ceptum

ceptum voluit, & debitè iuxta suam naturam, secundum quam præceptum est, est executus, & qua verè præcepto satisfecit in re ipsa. Item non obstat actum non operari vltra agentis intentionem *l. non omnis ff. si certum putatur l. in agris ff. de acquir. dom.* Respondetur enim quando quis habet voluntatem v. g. audiendi missam, & non satisfaciendi præcepto, eum duplicem voluntatem habere, aliam inefficacem non satisfaciendi ex ignorantia procedentem, aliam efficacem efficiendi opus; & sic in actu exercito satisfaciendi: in concursu autem huius duplicis voluntatis vincit voluntas efficax, tamquam principalior. Præterea regula illa procedit, quando ex intentione agentis pendet implere actum: Vnde quia administratio Sacramentorum pendet ex intentione ministri, si absque intentione faciendi quod facit Ecclesia, verba proferat, non esset vera Sacramenti administratio, sed ficta, quia in his non solum exterior actio, sed etiam intentio pertinet ad rem ipsam in suo esse, prout instituta, vel præcepta est: in præcepto verò audiendi missam, vel recitandi horas canonicas cum nulla alia intentio præter voluntatem audiendi sacrum, & recitandi horas attentè, & deuotè, vt sunt cultus Dei, exigatur; si quis habeat voluntatem audiendi missam, & recitandi horas canonicas ex motiuo colendi Deum, etiam si habeat voluntatem non satisfaciendi illa auditione, vel recitatione, verè satisfacit, quia efficit quidquid præcipitur. Insuper non obstat, quod executio rei præceptæ sit executio rei debitæ, ac proinde videatur non posse illi satisfieri per actum liberalem, qui absque culpa potest omitti, vtpotè non debitus, qualis est missæ auditio, aut horarum recitatio ex deuotione, quæ ab audiente, vel recitante non procedit vt debita, sed Deo liberaliter donata, ita quod absque culpa, ad libitum omitti poterat, & consequenter per eam quis non potest dici exequi rem debitam, & ita nec satisfacere præcepto. Respondetur namque executionem præcepti esse executionem rei debitæ; at satisfieri illi per opus in re ipsa præceptum ex libe-

ralitate, & deuotione factum; quia licet in agente, sit actus liberalis, ex natura tamen sua cadit sub præcepto, & cum præceptum non obliget, vt opus ex deuotione fiat, vel intentione formali obediendi, ad quam habendam non astringit, non est necessarium, vt exequutio illa actus, seu operis ex præcepto debiti procedat ab operante, vt formaliter debita, sed sufficit, vt procedat, seu fiat res debita; ac proinde licet illa actio ex deuotione facta non sit absolutè debita, tamen supposito; quod sit facta, iam debito præcepti satisfactum est, nec est necesse, vt fiat iterum ex necessitate præcepti.

Denique (omissis nonnullis alijs obiectionibus, quarum solutio ex dictis colligitur, & videri potest apud *Sanchez, Fagundez, & Palaum*) si quis dicat, eum, qui ex voto, vel iuramento, vel ex pœnitentia sacramentali tenetur audire aliquod sacrum, si manè vnum audiat sacrum intendens per illud non satis facere voto, vel iuramento, aut iniunctæ pœnitentiæ, sed ad hunc finem audire secundum sacrum, tenebitur ex voto, vel iuramento, aut ex vi pœnitentiæ a confessario iniunctæ audire secundum sacrum; ergo idem dicendum de obligato audire sacrum ex præcepto Ecclesiastico.

250 Quoad sacrum ex voto, aut Iuramento promissum *Suarez allegato lib. 4. cap. 26. num. 8. & Coninch allegato num. 110.* Respondent negando consequentiam; quia sicut nobis obligationem per votum, & Iuramentum pium imponimus, ita possumus eam extendere ad materiam eo voto non comprehensam. Talis autem extendit ita suum votum ad secundum sacrum audiendum; & implicitè facit quodammodo secundum votum aliud sacrum audiendi. Quare in rigore loquendo, audiendo primum sacrum satisfacit priori voto, tenetur tamen ad secundum audiendum ratione secundi voti impliciti: secus autem est de præcepto, quia sicut nemo potest sibi præceptum imponere, ita nec ab alio impositum latiùs extendere, siue efficere, vt ad plura obliget, quàm initio obligabat. At *Sanchez dict. capit. 13. num. 18. Palaus*

dict.

dict. par. 17. *num.* 14. *& Bresserus dict. capit.* 13. *num.* 158. Respondent idem dicendum de obligatione operis ex voto, quod de obligatione operis ex præcepto, scilicet illi satisfieri per primum opus factum etiam absque intentione satisfaciendi per illud, sed per aliud; atque satisfecisse voto, qui manè audiuit sacrum, quamuis habuerit animum satisfaciendi per aliud; quia verè præstat quidquid vouit; neque cum illam voluntatem habet non satisfaciendi voto per illud opus, seu per illam auditionem sacri, intendit de nouo vouere, etsi possit; Sed solùm intendit priori voto per aliud opus a se faciendum satisfacere; quare, cum iam satisfecerit, non est necessarium, vt iterum satisfaciat: vt enim iam supra dictum est, votum, & iuramentum instar præceptorũ obligant solùm ad substantiam actus promissi humano modo exequendam; atque adeo non est in potestate vouentis voto non satisfacere, posito, quòd id opus promissum exequi velit.

251 Quoad sacri auditionem a confessario iniunctam, & quamcunque aliam pœnitentiam Sacramentalem, idem *Sanchez dict. capit.* 13. *numer.* 17. *Palaus*, *& Bresserus locis citatis*, *& Portel. v. Hora canonica numer.* 6. idem respondent, scilicet illi verè satisfieri per debitam exequutionem operis iniuncti, etiamsi pœnitens exequens non habeat animum satisfaciendi obligationi sibi impositæ, nec opus esse possit mutatione voluntatis, quia præstat, quidquid sibi est mandatum; Pœnitentia enim ex quodam confessarij præcepto debetur, ac proinde idem de illa, quod de alijs præceptis dicendum esse. *Palaus* declarat hanc responsionem absolutè procedere, quoties pœnitens opus tanquam pœnitentiam iniunctum facit offerendo illud in remissionem suorum peccatorum; videri verò non satisfare, si offerat in satisfactionem peccatorum amici; quia non præstat quidquid sibi mandatum est; etenim sibi non solum iniunctum est, missam audire, sed audire in satisfactionem proprio-

rum peccatorum, quia pro proprijs, & non pro alterius peccatis missæ auditio iniuncta est. Quod si confessarius expresse pœnitenti non præcipit pro suis peccatis missam offerri, sed absolutè missam iniunxit; tunc idem Palaus existimat valdè probabile, eum satisfacere præcepto pœnitentiæ audiendo missam, licet oblatam pro amico, quia efficit quod sibi mandatum est: offerre enim pro proprijs peccatis non inuoluitur in pœnitentia: quia licet pro suis peccatis opus pœnale sit iniunctum; poterat tamen iniungi, vt illud pro animabus purgantioris offeret; sed, vt idem Palaus innuit, etiamsi confessarius iniunxerit pœnitentiam pœnitenti in satisfactionem suorum peccatorum, confessarij præcepto semper satisfacit, etiam si exequendo opus iniunctum offerat pro alio; Nam cum aliud sit finis præcepti (vt infra dicetur) aliud res præcepta: licet pœnitentia pœnitenti iniungatur, vt suis peccatis satisfaciat; satisfactio tamen suorum peccatorum non cadit sub præcepto, quia non est materia præcepti, sed finis præcepti; alioqui si in statu peccati mortalis pœnitentiam adimpleret pœnitens, non censeretur præcepto satisfecisse.. Quod est contra doctrinam communem.

252 Ex traditis in præcedentibus dictis sequitur. Primò eum, qui incæpit recitare horas canonicas animo non satisfaciendi pro tunc, sed postea reiterandi, vel qui interrumpit officium animo repetendi iam lecta; non teneri postea iterare horas canonicas, aut repetere iam lecta, sed solum sequentia non lecta adiungere; & similiter si in principio missæ in die obligationis quis habuit animum non satisfaciendi præcepto cum illa, sed audiendi aliam, iam satisfecisse, nec teneri aliàm audire: & prædictorum ratio ex dictis constat; scilicet, quia intentio non implendi præceptum non impedit præcepti expletionem, si opus præceptum debitè fiat. Ita *Lessius dict. cap. 37. num. 59. Sanchez d. cap. 13. numer. 16. Coninch d. numer. 309.*

309. *Palaus, Portel, & alij* ex Doctoribus supra allegatis.

253 Secundò sequitur famulos, seruos, filios, pupillos, alumnos, & si qui sunt alij, qui missam in die festo audiunt metu verberum, vel alterius mali sibi inferendi, vel damni subeundi coacti a dominis, parentibus, & pędagogis aliàs non audituri, satisfacere præcepto audiendi missam; quia cum huiusmodi coactio ex solo metu proueniens licet minuat, tamen non tollat libertatem, seu liberam voluntatem audiendi, actio, seu auditio est simpliciter libera, atque adeo certum est per eam satisfieri præcepto; vt etiam docent *Suarez dict. capit. 26. num. 12. Sanchez dict. capit. 13. num. 7. & 8. Fagundez dict. cap. 7. num. 17. Castrus, Palaus, dict. par. 17. num. 5. Coninch dict. num. 309. & alij relati a Sanchez*, qui idem ob eandem rationem ait de exequente propter metum quantumcumque grauem opus debitum ex voto, Iuramento, aut pœnitentia sacramentali, cum hæc quamdam vim legis a semetipso, vel confessario impositam habeant. Aduertendum autem (vt iidem Doctores notant) peccare, & in voluntate transgredi præceptum, qui ita rem præceptam exequitur, vt velit non exequi, si posset, aut nisi timor pœnæ adesset; quia talis voluntas est contraria præcepto. Non peccaret autem, si eam conditionatam voluntatem non habeat, sed solum absolutam implendi præceptum; estò in intellectu Diuino verum sit secluso timore pœnæ, eum non exequuturum præceptum; quia Deus neminem condemnat propter voluntatem, quam habiturus quis foret, sed propter voluntatem, quam de præsenti habet legi contrariam. Imò etsi etiam prædictos famulos, seruos, & alios non satisfacere præcepto missæ: si in mentem habeant illam intentionem conditionatam *non audiremus sacrum, nisi timore pœnæ cogeremur*, dixerunt *Suarez, Fagundez, & nonnulli alij*, eo quod per eam intentionem formalem excludant virtualem voluntatem audiendi sacrum, & satisfaciendi præcepto, cum declarent se contra volun-

voluntatem sacrum audire; tamen iuxta doctrinam tertij, & quarti dicti dicendum est satisfacere, & solum peccare in voluntate modo explicato; nam ad satisfaciendum sufficit libera voluntas audiendi sacrum (quæ stat simul cum illa voluntate conditionali non audiendi, si cessaret timor pœnæ, vt in alijs actibus, qui solum metu pœnæ fiunt) & minimè requiritur intentio formalis, aut virtualis satisfaciendi præcepto; nec expletioni præcepti obstat contraria voluntas non implendi, dum opus præceptum liberè, & humano & debito modo fit, vt latè probatum est. Et ita tenent alij Doctores allegati; & idem quod de audientibus sacrum ob metum dicendum est de recitantibus preces horarias per metum, scilicet, implere præceptum ob eandem rationem, quia metus voluntarium, seu libertatem non tollit; ac proinde qui horas canonicas metu recitat debito modo, præceptum implet; vt etiam in terminis *Azorius 1. p. lib. 10. cap. 12. quæst. 9. & Sanchez d. cap. 13. num. 5.* Vbi etiam contra eundem Azorium id negantem, rectè asserit implere præceptum soluendi horas canonicas, qui per vim v. g. vinculis detentus cogeretur illas recitare (licet, qui tali vi cogitur audire sacrum; non impleat præceptum audiendi iuxta tradita supra nu. 239.) quia nulla humana vi potest omninò compelli lingua ad recitandum, sed solo metu, qui (vt dictum est) voluntarium non tollit.

254 Tertiò sequitur eum, qui venit ad Ecclesiam principaliter ex libidinosa intentione ad videndum fæminam pulcram, si missam audiat, tametsi aliàs non auditurus sacrum, nec ad Ecclesiam accessurus, nisi hæc occasio daretur videndi ipsam fœminam, satisfacere præcepto audiendi missam, & solùm peccare contra castitatem, nisi actualiter haberet conditionalem voluntatem non audiendi cessante dicta occasione; quo casu in voluntate peccaret etiam contra præceptum, licet in re præceptum impleret, nec secundam sacrum teneretur audire: ratio est, quia illa intentio libidinosa non tollit voluntatem audiendi missam, quæ sufficit, vt præcepto satisfiat, & non obstante

malo

malo fine eundi ad Ecclesiam, potest in ea benè audire missam, & cum mortali peccato potest quis præceptum implere, vt docent communiter Doctores, nec finis præcepti cadit sub præcepto.

Ad satisfaciendum praeceptis necessenè sit, vt quis ita opera praecepta exequatur, vt praecepti finem assequatur, atque finis praecepti, seu legis cadat sub lege, praeceptonè, vbi etiam quid de voto, Iuramento, & paenitentia.

VErùm quia multi scrupulosi cum nimia anxietate operibus de præcepto incumbunt, & sæpè semel præstita reiterant, vt reddantur certi se consecutos finem præcepti, eo quod existiment finem præcepti cadere sub præcepto; ad subueniendum his scrupulosis hìc explicandum est, an sub mortali teneamur ita implere præceptum, vt illius finem assequamur. igitur.

255 Notandum ex *D.Thoma 1.2.quaest.100.art.9 ad 2. & in 2.sent.d.28.quaest.vnica a.3.corpore & in 3.sent.d.26 quaest. vnica art.6.*corpore, aliud esse materiam, seu obiectum præcepti, aut legis, aliud finem; materia, seu obiectum est illud, quod verbis præcepti, aut legis exprimitur v.g. *sumatur Eucharestia, recitentur hora canonica, audiatur sacrum:* finis autem est bonum aliquod, & fructus extrinsecus natus inde sequi, & in primis formalis actus, seu operis bonitas, deuotio, charitas, (vt ait Apostolos 1.ad Timoth.1.) spiritualis profectus hominis, & honor Dei; ad quod bonum extrinsecum legislator per præceptum legis intendit inducere. Explicat hanc distinctionem S.Thomas exemplo aliarum rerum, in quibus non idem est finis, & quod est ad finem. Quare vt ibidem declarat S.Thomas, & post eũ *Sanchez lib.1.summa cap.14.num.4. Suarez de legibus cap. 20. num.3.Castrus Palaus tom.1.tractat.3.disputat.1.p.18. num.3. & alij,* duplex est intentio legislatoris, vna de eo, seu circa id, de quo intendit præceptum inducere; & hoc est materia, & obiectum præcepti: altera de eo, seu circa id, quã

ad

ad quod intendit per præceptum, seu præcepti materiam inducere, & hoc, inquit, est virtus, seu actus virtutis. ex quibus *Adrianus in 4. vbi de confessione quæst. 5. dub. 4. ad finem in solutione ad tertium argumentum, & cum eo Sanchez d. nu. 4. & alij recentiores* communiter in tractatu de legibus aiunt duplicem legis intentionem esse, vnam intrinsecam, qua intendit obligare ad aliquid tanquam ad materiam, & obiectum præcepti; alteram extrinsecam, qua intendit aliquod bonum, vt materię illius præceptę finem. Quapropter etiam ipsa materia pręcepti, seu legis est finis præcepti intrinsecus, vt etiam notauit Filliucius loco numero sequenti allegato (in moralibus enim materia, seu obiectum immediatum, & finis intrinsecus idem sunt) illud verò bonum, ad quod legislator, seu lex intendit inducere per materiam præcepti, est finis extrinsecus præcepti. His notatis.

256 Communis Theologorum sententia est, finem præcepti (scilicet extrinsecus; & ad quam à legislatore ordinatur materia præcepti) non cadere sub præcepto, ac proindè hoc sæpè impleri, ac si ille non obtineatur. ita *S. Tho.* 1. 2. *d. q.* 100. *a.* 9. (vbi dicit non cadere sub præcepto legis humanæ, nec diuinæ modum virtutis quantum ad hoc, vt aliquis ex habitu radicato operetur, quamuis cadat ipse actus virtutis; nam licet lex pręcipiens actum virtutis intendat sibi subditos ad virtutem inducere; tamen de actu virtutis, non de fine præceptum facit) idem tradit. *S. Thomas* 1. 2. *q.* 96. *art.* 3. *ad* 2. *&* 2. 2. *q.* 44. *a.* 1. 4. *&* 8. *& in magistrum sent. locis supra allegatis & citat quæst.* 100. *a.* 10. (*vbi dicit, quod actus charitatis dupliciter considerari potest, vno modo secundum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod est de hoc specialiter scilicet, diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum; alio modo considerari potest actus charitatis, secundum quod est modus aliarum virtutum; hoc est, eo modo, quo actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ est finis præcepti; & tunc actus charitatis non cadit sub præcepto*. hæc S. Tho. adijciens exemplũ de præcepto honorandi parentẽ, in quo ait non includi,

includi, quod honoretur ex charitate, sed solùm quod honoretur Pater, ac proinde à Deo non puniri; tanquam præcepti transgressorem, qui debitum parentibus honorem impedit, quamuis id fecerit absque habitu pietatis) *S. Thomam sequuti sunt posterioris Theologi; Caietanus, Conrandus, Medina, & alij discipuli S. Thomæ in d. art. 9. & in d. art. 2. Maior in 3. d. 37. quæst 5. ibidem Paludanus quæst. 3. Almainus in 4. d. 16. quæst. vnica circa finem, Ioannes Medina cap. de orat. quæst. 16. de horis canonicis. Sanchez lib. 1. summa cap. 14. Azorius 1. p. lib. 7. cap. 6. quæst. 1. Suarez de legibus lib. 3. cap. 29. Fagundez de præceptis Ecclesiæ p. 1. lib. 2. cap. 7. num. 16. Ariaga de legibus disputat. 14. num. 34. Bonacina item de legib. disputat. 1. quæst. 1. p. 9. num. 1. Bresserus de conscientia lib. 6. cap. 13. num. 153. Filliucius tom. 2. tractat. 26. cap. 4. num. 115. Castrus Palaus tom. 1. tractat. 3. disputat. 1. punct. 18. & alij Theologi communiter, & ex Iuris peritis Nauarrus in man cap. 21. num. 6. & latiùs in Enchiridion de oratione cap. 20. num. 29. (vbi etiam refert se ipsum in cap. inter verba 11. quæst. 3.) Couarruuias in cap. Alma Mater p. 5. §. 5. num. 1. & alij Iuris periti ab ijsdem allegati.* Probatur hæc communis sententia; quia lex solum obligat ad id, quod præcipit; solùm autem præcipit materiam, in quam cadit, & non finem, qui ex ipsa materia natus est sequi; ergo obligat ad materiam non ad finem; ergo si materia executioni mandetur, seruatur lex, licet finis cesset; & etiam aliunde in ipsa materiæ executione contra aliquam aliam virtutem peccetur. Quod autem lex humana solùm materiam præcipiat, ostenditur; quia id solùm præcipitur, quod in lege imperatiuè, seu per modum imperij exprimitur; quod conuenit tantum materiæ, & obiecto legis, non fini; lex enim imperat, vt fiat hoc, non autem, vt fiat hoc propter illud. Quare finem quidem legislator intendit speratque, non tamen præcipit, vel quia non vult, vel quia non potest, cum situs sit plerumque in internis actibus, qui iuxta communiorem sententiam (de qua Coninch de Sacrament. d. quæst. 83. difficul-

difficultate 2.num.289.& seqq.*Suarez d.cap.29.* resolutè asserens actum internum omninò extrinsecum actui externo à lege humana non posse præcipi, & ego ipse in tract. de triplici iubilei priuilegio sectione 1.casu 10.num.107. & seqq.& Theologi communiter agentes de legibus humanis) lege humana percipi non possunt, & saltem ordinariè non præcipiũtur (quãdo sunt extrinseci actui externo præcepto ad eius substantiam constituendam non pertinentes;) Nam si actus internus spectet ad substantiam actus præcepti, tunc nõ solum actus externus præcipitur per se, sed etiam vestitus, & informatus actu interno, qui vocatur,& est modus eiusdem externi actus, vt in præcepto recitationis horarum, & audiendi Missam ex consequenti præcipitur intẽtio colendi Deum,& orandi, & interna intentio requisita ad orationem, & ad Missæ auditionem, iuxta communiorem sententiam; de qua *Suarez tom.2. de relig.lib.4.cap.26.& 10.3.in 3.p.disputat.88.sect.3.& Sanchez in consilijs moralibus lib. 7. cap. 2. dubio* 28. & in præcepto confessionis Sacramentalis, in quo etiam mandatur habere intentionem illud recipiendi, & etiam iuxta plures Doctores, dolorem, quia sine his non reciperetur Sacramentum. Quod si aliquando in lege exprimitur finis legis,non esse(vt notat Suarez d. c. 29.) per modum obiecti legis,sed solum per modum rationis, vel motiui. Confirmatur hæc communis sententia, quia posito quod finis legis, & modus virtutis caderet sub præcepto, aperiretur via infinitis scrupulis circa expletionem præceptorum ieiunij, auditionis sacri, recitationis horarum canonicarum, sumptionis S. Eucharistiæ, pœnitentiæ Sacramentalis, & ferè omnium præceptorum positiuorum, cũ vt plurimum difficile sit agnoscere finis cõsequutionem, vel ita exquisitè opera præcepta exequi, vt finis attingatur; vt magis constabit ex sequentibus corollarijs, quibus etiam vrgentiùs confirmata manebit eadem communis sententia, & post quæ soluentur, quæ eidem communi sententiæ videntur aliquo modo obstare.itaque.

258 Ex dictis primò sequitur,licet finis præcepti ieiunij sit, vel

vel satisfactio pro peccatis, vel corporis maceratio, tamen si quis formam ieiunij seruet, scilicet, semel in die ieiunij & tantum cibos permissos cōmedat, & si lautè, & delitiosè comedat, repleatque stomachum cibis, ita vt nil prorsus famis patiatur, & in statu peccati mortalis ieiunet, ita quod non satisfaciat, nec corpus maceretur; nil peccat cōtra præceptum ieiunij, cum verè illud impleat; nec finis ille a lege præcipiatur. ita locis citatis *Sanchez, Palaus, & Suarez*, vbi addit esse constans apud omnes; & certè quot scrupuli orirentur, si necessarium esset ita ieiunare, vt finis ille, qui est corporis maceratio, obtineretur, cum vix possit agnosci.

258 Secundò sequitur contra *Dionisium Carth.* 1. *d.* 17. *art.* 3. & *D. Anton.* 2. *p. tit.* 9. *cap.* 10. §. 2. expleri legem, seu præceptū non semper actu moraliter bono, sed etiam sæpiùs malo, seu peccato, idest actu secundum se bono, sed vitiato, & malo ex aliqua extrinseca circumstantia finis, loci, temporis, alteriusvè similis, vt legem seu præceptum ieiunandi, recitandi horas canonicas, audiendi sacrum, vel communicandi, vel eleemosinam largiendi implet is, qui quodvis istorum facit ex vana gloria, vel alio fine, seu affectu malo; ita omnes Doctores pro communi sententia allegari ob rationem ad eandem sententiam confirmandam adductam; præceptum enim humanū solùm imperat actus substantiam, non modum virtutis, seu honestatis, & consequenter ex vi sua non prohibet finem illum extrinsecum vitiosum, seu circumstantiæ illius malæ adiunctionē, licet aliunde prohibeatur, ac proindè ratione talis finis. & praui affectus, seu circumstantiæ extrinsecæ malæ actus præceptus fiat, & expleatur cum peccato veniali, vel mortali contra aliud præceptum alicuius virtutis. confirmatur hoc corollarium: tum, quia intentio illa praua non impedit sufficientem attentionem ad recitationem, vel auditionē sacri, nec etiam virtualem intentionem (supposito quod requiratur) implendi præceptum; tum quia actus sic factus pertinet sufficienter ad cultum Dei extrinsecum, & ad rectam Ecclesię, & reipublicæ gubernationem, videatur Nauarrus

narrus in Enchiridion *de oratione d.cap.20. num.29.* latiùs id explicans. Et idem à fortiori dicendum est de legibus ciuilibus, quæ cum minùs ordinentur ad interiorem animæ perfectionem, præcipuè verò ad exteriorem Reipublicæ pacem considerentur; facilius potest eis satisfieri per opus externum, etiamsi admisceatur aliqua mala intentio.

259 Hinc quoque qui communicat indignè in statu peccati mortalis, adeoque peccat mortaliter communicando, satisfacit præcepto sumendi Eucharistiam; quia nihilominus facit, quod sibi præceptum est, seu quoad substantiam impletur præceptum Ecclesiæ, scilicet verè sumit Eucharistiam, & si male sumat; Ecclesia enim nihil aliud præcipit, quam vt in Paschate Corpus Domini sumatur, neque præcipit eodem pręcepto, vt dignè, seu non indignè sumatur. Quare sic indignè sumens peccat mortaliter tantùm contra illud præceptum diuinum, & naturale, Sanctè Sancta tractanda esse. ita *Sotus lib. 2. de iustitia quæst. 3. art. 10. Vega in summa lib. 3. casu. 273. Lopez 1. p. instruct. c. 11. §. reuocari, Azorius 1. p. lib. 7. cap. 41. quæst. 12. Fagundez de præceptis Ecclesiæ præcepto tertio lib. 1. cap. 6. num. 4. & est communis Doctorum sententia, quæ magis confirmatur ex sequenti corollario.*

260 Tertiò sequitur à fortiori per opera de præcepto facta in statu peccati mortalis præceptum impleri, neque opus esse iterum opus peragere ad satisfaciendum præcepto; vt si quis in peccato mortali ieiunet, audiat sacrum, pensum horarum canonicarum soluat, baptismum, vel confirmationem suscipiat, votum, aut Iuramentum obsèruet, implet præcepta faciendi prædicta; quia verè exequitur id, quod præcepto imperatur, & ex eo, quod opus ex se bonum sit factum in statu peccati mortalis, non desinit esse simpliciter bonum, vt est certum de fide, & definitum à *Tridentino sess. 6. cap. 4.* vbi declarat hæreticum esse illum, qui dixerit opera nostra, ob id solùm, quod fiunt extra statum gratiæ esse peccata, atque ita æque certum videtur per illa opera seruari præcepta; alioqui quomodo essent simpliciter bona; loquor enim de operibus ex se bonis, quibus non admisce-

miſcetur circunſtantia mala extrinſeca, quæ illa vitiet: Et hoc corollarium docent *S. Thomas, Nauarrus, Couarruuias, & alij doctores pro communi ſententia allegati, & cæteri omnes*. Ab hoc autem corollario excipiuntur præcepta, quæ non poſſunt impleri, niſi cum charitate, ſeu quorum actibus poſitis ſemper venitur ad gratiam gratum facientem, qualia ſunt præceptum de dilectione Dei ſuper omnia, præceptum de contritione, & præceptum de martyrio; quod poſt alios notauit *Couaruuias d. num. 5.*

261 Verùm contra communem ſententiam, & prædicta corollaria præſertim ſecundum, obijcitur primò *regula* 8. *extrauag. de reg. iuris, vbi dicitur, qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debet, facit, & ideò iam non facit*. Sed reſpondetur regulam procedere de faciente ex timore habente animum alioqui non faciendi; iſte enim non implet præceptum in affectu voluntatis, & quoad Deum iuxta dicta ſupra 253. implet tamen in effectu, & re ipſa, & quoad Eccleſiam, vt ibidem dictum eſt.

262 Obijcitur ſecundò, Eccleſia, ſeu lex præcipit ſolùm opus bonum; ergo per actum malum non ſatisfit præcepto; Confirmatur magis hoc conſequens, quia lex præcipit v. g. Dei cultum, vel temperantiam, aut aliam virtutem; actus autem non bonus non eſt cultus Dei, nec actus temperantiæ, vel alterius virtutis; ergo per illum non ſatisfit legi. Reſpondetur ex *S. Thoma* 1. 2. *quæſt.* 96. *citato art.* 3. *ad* 2. legem humanam præcipere actum de ſe, & intrinſecè bonum, licet ex parte operãtis ex aliqua circumſtantia extrinſeca mala poſſit fieri malè, & eſſe vitioſus; non tamen præcipit omnes modos neceſſarios, vt benè fiat; igitur cum verbi gratia auditio miſſæ ob finem prauum ex ſe mala, & vitioſa non ſit, ſed tantùm extrinſecè, hæc extrinſeca malitia non obſtat expletioni præcepti, quia non obſtat, quominùs auditio ſacri de ſe bona ſit; quæ ſola eſt materia præcepti. Ad confirmationem reſpondetur legem humanam præcipere cultum Dei, vel mediocritatem

aliquam temperantiæ, aut alterius virtutis; actus autem spectat ad cultum Dei extrinsecum, & potest illam mediocritatem habere, tametsi ex parte agentis malè fiat ex aliqua extrinseca circunstantia; quod lex humana per se non præcipit, nec prohibet.

263 Vrgebit aliquis, lex humana iuxta communem Theologorum præcipiendo actum, constituit illum in certa specie virtutis iuxta materiæ capacitatem, & rationem, sub qua præcipitur; ergo nisi verè fiat actus virtutis in tali specie, non seruabitur lex; actus autem non bonus, non est actus virtutis. Respondetur per legem humanam actus præceptos determinari ad certam speciem virtutis, quia leges humanæ intendunt facere humanos honestos in omni genere virtutis, & ideò præcipiunt de se actus singularium virtutum, seu secundum omnes species virtutum; hinc tamen non fit, vt lex humana præcipiat illam virtutis speciem esse per se intentam ab operante, aut quod purè fiat sine admixione alicuius malitiæ; scilicet, non sequitur, vt præcipiat actum studiosum simpliciter, & vt studiosè fiat: sed sufficit, quod præcipiat studiosum in genere, & constituendo tale medium in tali specie virtutis; vt manifestè apparet in materia iustitiæ; præcipit enim actum eius constituendo medium in materia illius, quo seruato non peccatur contra illam legem, etiamsi ex auaritia, vel alio vitio quis operetur.

264 Denique obijcitur iurisperitorum doctrina, seu regula, quod is in legem delinquit, *qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem; qua regula traditur in l. non dubium C. de legibus, & l. contra legem, & sequenti ff. eod.* *finis.* autem, & intentio omnis legis, & legislatoris est facere subditos bonos, virtutis studiosos, & Deo obsequentes, cui fini manifestè obstat actus vitiosus, & malus etiam ex circunstantia extrinseca, & quoties materia præcepta ita mandatur exequutioni, vt intentio legislatoris, & legis, qua motus est ad materiam illam præcipiendam, frustratur. Propter prædictos textus, & alios similes, quos valdè vrget, non solùm præcepti materiam, sed etiã finẽ, ad

quem

quem à lege, seu legislatore materia dirigitur, cadere sub præcepto, tomo 4. controu. iur. lib. 19. contra Theologorum communem affirmat vir ingenio præcellenti, omni doctrina ornatus Antonius Merenda Doctor Iurisperitus cathedrarius insignis, & primarius Regiæ, ac inclitæ Academiæ Ticinensis, quem plurimum amo, obseruo, & colo ob eius in qualibet scientia peritiam, amabilissimos mores, & singularem non solum in me, sed & in vniuersam nostram Congregationem beneuolentiam: verũ salua reuerentia tanto viro debita: Ad obiectionem, & præfatam doctrinam, seu regulam ex *S. Thom. Sanchez, Suarez, Palao, & Filliucio* locis supra nu. 255. relatis, & ex ibidem notatis respondeo, cum duplex sit voluntas, seu intentio legislatoris, & legis, vna de materia, seu re præcepta, vt, scilicet, fiat prout in lege imperatiuè exprimitur; quæ dicitur, & est finis legis, seu præcepti intrinsecus, altera de fine extrinseco obtinendo per materię, seu rei pręceptæ exequutionem; respondeo, inquam, solam primam voluntatem, seu intentionem, solumque primum finem intrinsecum legis, seu præcepti, vtpote de intrinseca ratione, & substantia præcepti tanquam formam, & materiam cadere sub præcepto; ac proinde qui contra talem intentionem, & finem facit; scilicet, non exequitur materiam, seu rem præceptam, violat præceptum, & peccat in legem; alteram verò intentionem, & finem, in quem tendit, cum sint extrinseca præcepto, & legi, non cadere sub præcepto; & ideo contra huiusmodi intentionem, & finem faciens, non transgreditur præceptum, & legem. Itaque si dum asseritur finem præcepti cadere sub præcepto, id intelligatur de fine intrinseco, qui, vt dixi, coincidit cum pręcepti, seu legis materia, & obiecto, vera est assertio, & hoc probant textus allegati, & illa regula, seu doctrina iurisperitorum; si verò intelligatur de fine extrinseco, ad quem materia ipsa, finisvè intrinsecus ex intentione legislatoris, seu legis destinatur, nequaquam admitti debet assertio. Ad id autem quod *Syluester v. lex fine, & v. fraus innixus præallegatis testib*

dicit; scilicet, in legis fraudem nihil faciendum esse, 11 : cum quid prohibetur vna via, *intelligitur, & alia prohibi- tum reg. cum quid de reg. iuris in 6.* Respondetur non omnem fraudem legis factam esse illicitam, sed illam solam, qua materia lege præcepta violatur: ac proinde (vt notauit Sanchez) omnes illæ cautelæ, quæ à Iurisperitis inueniuntur, vt violantes extrinsecam legis intentionem non fiant materiæ legis transgressores, licitæ sunt; si quidem qui Iure suo vtitur, non potest dici fraudem committere; de quo idem *Sanchez lib. 3. de Matr. disp. 18. num. 29. & ego in tract. de contractu matrimonij cap. 1. num.* 80. vbi probo validum esse matrimonium ab incola loci, vbi Concilium Tridentinum obligat, contractum absque Parochi præsentia in loco, vbi idem Concilium non obligat, etiamsi ad hunc locum transierit ea solùm intentione, vt dispositionem Tridentini non obseruaret in matrimonij contractu.

265 Porro sicut finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto, ita etiam finis ad quem obtinendum, vel pœnitentia Sacramentalis à confessario fuit imposita, vel votum, aut iuramentum emissum est, non cadit sub oligatione; ita *Suarez de pœnitentia disp. 38. sect. 8. num. 1. fine docet* de ipsa pœnitentia: de voto *Vasquez 1. 2. quæst. 100. art. 9. in exposit. litera num. 11. & Filliucius vbi supra* de pœnitentia, & voto *Sanchez d. cap. 14. num. 3. Palaus d. p. 18. num. 4. Bonacina vbi supra, & alij recentiores,* sic qui vomit ieiunare ad edomandam carnem, vel propter eundem finem habuit pœnitentiam ieiunandi, si excedat in cibis, dummodò faciat vnicam comestionem, non propterea frangit votum, aut pœnitentiæ præceptum, sicut non frangit præceptum Ecclesiasticum ieiunij; quia domare carnem est finis extrinsecus voti, & pœnitentiæ, scilicet, ad quem votum à vouente, & pœnitentię iniunctio à confessario ordinatur: vndè cum pœnitentiæ iniunctio sit quoddam confessarij præceptum, & votum quoddam præceptum, quod quis sibi imponit, ad instar præcepti regulantur; finis verò intrinsecus ipsius præcepti pœnitentiæ, & ipsius

ipsius voti cum coincidat cum ipsius materia, & obiecto voti, & præcepti pœnitentiæ, cadit sub præcepto iuxta superiùs dicta. Vndè in voto castitatis cadit sub præcepto carentia venereæ delectationis, & in voto eleemosinæ subleuatio miseriæ, in voto verò ingrediendi religionem finè eundi ad hæreticos, vel gentiles martirij subeundi causa sub obligatione cadit solus ingressus, post quem vouens ad aliud non tenetur ex vi voti. Hinc etiam ex pœnitentia, vel voto obligatus audire missam, vel facere eleemosinam, satisfacit pœnitentiæ, si cum sufficienti attentione audiat ob vanam gloriam, vel alium prauum affectum, quia, vt dixi, obligantur ad instar legis, & præcepti Ecclesiastici. Quod si obijcitur votum, & pœnitentiam esse de opere bono, & grato Deo, & ad eius cultum spectante, quale non est opus vitiosum, & malum; Respondetur ex dictis supra in responsione ad secundam obiectionem, sicut præceptum, ita, & votum, ac pœnitentiam sacramentalem esse de opere bono, honesto, & virtutis, & spectante ad cultum Dei secundum se, seu quoad actus substantiam & materiam, seu obiectum, & per illud impleri debent cum omnibus circunstantijs intrinsecis materiæ, seu rei promissæ, vel iniunctæ; & hoc si fiat, satisfit voto, & pœnitentiæ, etiamsi opus illud ab operantè male fiat ob admixtionem alicuius extrinsecæ circunstantiæ se tenente tantùm ex parte ipsius operantis; nam sicut ad satisfaciendum præceptis, ita ad satisfaciendum obligationi voti, & pœnitentiæ satis est, vt opus impletum sit de se & quoad materiam, seu substantiam bonum, & vtilè, & si modus sit inutilis, & vitiosus; quia ad prius tantùm, sicut præcepta, ita & vota obligant; Et licet modus virtutis, sicut à legislatore, ita a vouente & confessario iniungente pœnitentiam intendatur, ad illamque tamquam ad finem legis, voti, & pœnitentiæ materia, seu obiectum ordinetur; istæ ta-

men eſt finis extrinſecus, qui (vt probatum eſt) non tendit ſub lege,& conſequenter, nec ſub obligatione voti,vel pœnitentiæ.

266 Et ex prædictis omnibus apertè colligitur,fruſtra ſcrupuloſos,& pios ſæpe angi, & perturbari quaſi præcepta, & leges non ſeruaſſent, eo quod non ſint aſſecuti legis, ſeu præcepti finem v. g. quod non ieiunauerint, orauerint, interfuerint ſacro, communicauerint piè, deuotè, & vtiliter.

Pluribus actibus eodem tempore factis poteſt ſatisfieri pluribus præceptis? & an,& quando vnico actu,ſeu opere pluribus præceptis,ſeu obligationibus ſatisfiat.

267 AD eorumdem inſuper ſcrupuloſorum ſolamen aduertendum pluribus actibus eodem tempore factis poſſe pluribus præceptis ſatisfieri, quando vnum non impedit aliud,eo quod nullibi temporum diuerſitas præcipiatur.Ita *Caiet.in ſum.v.feſtorum violatio,Nauarrus in man.c.*21.*n* 8.*& c.quando de conſec.d.*1.*c.*19.*n.*178. *Azor.p.*1.*lib.*10.*c.*12. *q.*10.*& lib.*7.*c.*5.*q.*3.*Suar to.*3.*in* 3.*p.diſp.*38 *ſect.*6.*n.*5.*Sanchez d.c.*14.*nu.*11.*Bonacina de legibus diſp.*1.*q.*1 *p.*9.*nu.*8.*Palaus d. diſp.*1.*p.*20.*Breſſerus de conſcientia lib.*6.*c.*13.*num.*165.*& alij a Sanchez. & Caſtro Palao allegatis* ex qua doctrina ſequitur, eodem tempore audientem ſacrum, & recitantem horas canonicas ſatisfacere vtrique præcepto non ſolùm iuxta ſententiam eorum, qui ad implenda huiuſmodi præcepta aiunt nullam requiri internam attentionem, ſed etiam iuxta ſententiam eorum, qui ſentiunt attentionem internam eſſe neceſſariam, tum quia intellectus noſter non eſt ita limitatus, quin facile adhibere quis poſſit internam attentionem ad verba precum horariarum, & ſimul ad ſacrum; quemadmodum quis poteſt attendere v. g. ad ſui veſtitionem,& ad recitationem officij, dum ſimul ſe veſtit,& recitat officium; tum quia ad recitationem officij & audi-

auditionem missæ sufficit vna eademque attentio; non enim necesse est, attendere ad verba, vel illorum sensum, licet sufficiat; sed satis est attendere ad Deum, resque diuinas, quæ attentio vtrique operi conuenit, & sufficiens est ad satisfaciendum vtrique; ita *Caietanus, Nauarrus, Azorius, Suarez, Sanchez, Bresserus, Palaus, Bonacina, & alij relati a Sanchez contra Syluestrum v. missa Armillam v. eodem, Angelum v. feria, & Rosellam v. Dominica.* Et licet Caietanus, & Nauarrus dicant esse veniale, si quis eodem tempore reciter horas, & audiat missam absque causa, rectiùs tamen negat Sanchez eodem nu. 11. fine.

268 Qui numero sequenti ob eandem rationem addit posse quempiam simul idoneo loco, (puta si altaria ita essent coniuncta, vt verè diceretur audiens esse præsens moraliter celebrationi) audire, (atque adeo satisfacere obligationi audiendi,) duo, vel etiam tria sacra; quia potest non tantum tribus morali præsentia assistere, sed etiam tum vnica attentione ad Deum, & res diuinas, tum etiam attentione superficiali ad verba: huiusmodi enim attentio facilè diuiditur, & applicatur diuersis, ita ut quis de illis testificari possit, vt experientia patet, maximè in pluribus eodem tempore recitantibus calculos virgineos, vel horas canonicas, & missam audientibus, qui de omnibus, quæ in missa contigerunt, testificantur; quæ attentio diuisa præsertim a pollentibus viuacitate ingenij adhiberi potest. Et hoc idem prius docuerunt *Maior in 4. d. 12. quæst. 8. dub. 1. in solut. d. 1. & Petrus Ledesma in summ. Sacrament. vbi de Eucharist. capit. 27.* quos allegat Sanchez, quem etiam in hoc sequutus est Bresserus.

Si petat quis, an is, cui pro pęnitentia a confessario iniunctum est, vt ieiunet, vel vt audiat sacrum, aut qui hæc vouit, satisfaciat pœnitentiæ, aut voto, ieiunādo in die ieiunij de præcepto Ecclesiastico, aut audiendo sacra, ad quæ etiam obligatur ex Ecclesiastico præcepto.

Respondeo indubitatum esse vnico actu posse satis-

fieri pluribus præceptis, seu obligationibus diuersarum virtutum, dummodo non sint plures obligationes iustitiæ, quibus certum est vnico actu satisfieri non posse; non implicat enim rem debitam vno titulo, alio titulo deberi, v.g. debitam titulo iustitiæ, deberi etiam ex voto, & pœnitentiæ præcepto, & debita ex præcepto temperantiæ, deberi etiam ex voto; at verò implicat rem debitam titulo iustitiæ, alio titulo iustitiæ deberi; quia si ex iustitia debita est, alio titulo deberi non potest, cum supra eandem rem duo tituli iustitiæ cadere non possint. Quare si quis alteri debet centum ex promissione acceptata, vel ex contractu, & insuper committit delictum, quo tenetur eidem dare centum, non satisfacit vtrique obligationi dando centum, sed necessariò debet dare ducentum. Ratio autem differentiæ huius inter debita iustitiæ commutatiuæ, & voti, pœnitentiæ, & legis est; quia obligatio voti, pœnitentiæ iniunctæ, & legis, seu alterius præcepti positiui ex legislatoris intentione pendet; intentio autem legis, voti, & pœnitentiæ possunt tendere in vnum, & idem opus, ita quod intentio legislatoris alligari potest operi iam debito alio titulo, & è contra intentio vouentis operi item debito alio titulo. At cum debitum iustitiæ ex ipsa rei natura oriatur, & fundetur in æqualitate rei ad rem, non potest duplex obligatio iustitiæ super eandem rem cadere. Ita de communi *Ioan. Medina capit. de satisfact. quæst. 4. versic. corollariè sequitur Sanchez lib. 1. summ. dicto capit. 14. num. 5. & Castrus Palaus tom. 1. tractat. 3. disput. 1. par. 19. num. 1. & 2.*

26. Ex prædicta doctrina sequitur Primò obligatum ad horas ratione ordinis, & ratione beneficij, vel ratione solemnis professionis satisfacere eadem recitatione iuxta omnes, quia supra eandem materiam illa duplex obligatio cadit. Secundò ob eandem rationem sequitur, si quis vouit restituere debitum, vel dare eleemosinam indigenti extremè vnico actu restitutionis, vel largitionis eleemosinæ satisfacere vtrique obligationi orienti ex iustitia & ex

voto,

voto,& orienti ex charitate,ac voto. Tertiò ob eandem rationem sequitur: si quis voueat ieiunare in quadragesima, vnico ieiunio satisfacere & præcepto Ecclesiæ, & voto. item si alicuius vigiliç ieiunium voueatur,& idem eiusdem vigiliæ ieiunium imponatur in pœnitentiam, vnico ieiunio satisfieri voto,pçnitentiæ,& præcepto Ecclesiæ. Quæ omnia sunt certa, & etiam in terminis tradunt *Sanchez, & Palaus locis allegatis*. Hinc.

270 Ad dubium in petitione factum, an ille,cui absolutè est iniuncta pœnitentia audiendi aliqua sacra, vel hæc vouit, satisfaciat audiendo sacra debita ex præcepto Ecclesiæ. Respondetur hoc pendere ex intentione confessarij præcipientis,aut vouentis,quæ quando de ea est dubium,prudenti iudicio, & ex circunstantijs debet colligi: vt si Sacerdos alicui iniungeret,vt die festo duo,vel tria sacra audiret, nisi aliundè aliud constet, intelligendum est, velle comprænhendi simul sacrum, ad quod aliàs tenetur ex præcepto Ecclesiæ,vt *Sanchez vbi supra n.6. Palaus nu.3. Coninch de Sacram.q.83.ar.6.nu.311. & Suarez de pœnit.disp.37. sect.6.num.5.* ideo enim iubat eodem die eum duo audire, quia vult eum vnum audire super id, quod præceptum est. Sic ex eisdem Doctoribus,qui simpliciter vouit singulis diebus audire sacrum, nisi aliud expresse intendat,non censetur se obligare ad audienda duo diebus festis, vel Dominicis; quia quando non constat de mente contraria vouentis, verba intelligenda sunt, vt sonant; illa autem verba aliud non sonant;eaque absolutè seruat,qui vnicum sacrum per diem etiam festum audit. Quod si ex circunstantijs, & prudenti iudicio aliud non colligatur, communiter pœnitentiæ iniunctæ & vota solent intelligi de materia aliàs non præcepta, & supererogationis; & consequenter distinctis actibus, seu operibus satisfaciendum esse pœnitentiæ, voto, & præcepto Ecclesiæ, vel alterius virtutis; ita *Sanchez, Suarez, Coninch, Palaus locis allegatis Nauarrus in man. capit.26. num.23. Azorius 1.par lib.11.cap. 14.quæst.1.fine, Sayrus lib.6.clau.cap.3.num.22. & alij à Sanchez relati.*

Quare

271 Quare si confessarius pœnitenti iniungat pœnitentiam recitandi bis calculos virgineos, & ipse pœnitens haberet votum quotidiè, vel diebus lectis illos recitandi, si aliud expressè confessarius non explicet, non satisfaciet recitando calculos ex voto; & similiter si Confessarius aliqua ieiunia absolutè imposuit, non satisfit pœnitentiæ ieiunij ex præcepto Ecclesiæ, aut voto debitis, quia intelligitur imposuisse obligationem de re aliàs non debita, vt Doctores modo citati: Item si eleemosina sit iniuncta in pœnitentiam, non satisfit dando eleemosinam ex voto debitam: & si quis vouit eleemosinam, vel eam ex pœnitentia debeat, non satisfit dando eleemosinā debitam alio titulo, scilicet, ratione restituendi incerta, quia illa elargitio non est donatio liberalis, & consequenter neque eleemosina: ita *Azorius, Sanchez, Palaus*. Ex eadem doctrina *Sanchez, & Palaus contra Henriquez lib. 5. cap. 21. num. 3.* in glosa lit. P. inferunt, obligatum ex voto, vel pœnitentia sacramentali ad dandam eleemosinam non satisfacere, si illam eleemosinam det fratribus, auis, & parentibus taliter indigentibus, vt teneatur illis ex debito legali, & ad id per iudicem compelli possit (sicut verè potest compelli, si diues sit, vt post *Molinam lib. 2. de primog. cap. 15. a num. 57. idem Sanchez d. num. 6. fine.*) Quia illa non erit propria eleemosina, sed solutio debiti legalis; & quia etiam non est elargitio pauperi facta, & consequenter nec eleemosina; nam pauper non est, qui ius habet postulandi alimenta, vt post alios Surdus de Alimentis *tit. 7. quæst. 37. a num. 1. Sanchez d. num. 6. & Palaus pariter num. 6.* si vero alijs consanguineis a prædictis eleemosinam tribuat, satisfaciet voto, & pœnitentiæ, cum illis ex legali debito non teneatur alimenta subministrare ex ijsdem *Medina, Sanchez, & Palao.*

272 Contra *Medinam autem, Suarez & Sayrum locis citatis, & nonnullos alios* aiunt, tamquam probabilius *Henriquez, Azorius locis supra relatis, Sà v. satisfactio dub. 9. fine Sanch. d. num. 6. & Palaus eodem num. 6.* debitorem eleemosinæ ex voto, vel pœnitentia iniuncta satisfacere dando illam eleemosinam indigenti extremè, eo quod non sit debita illa eleemosina

mosina ex præcepto misericordiæ absolutè, sed ex suppositione, quod quis non possit aliâ via necessitati pauperis subuenire; vt si esset incertorum debitor, quæ pauperibus restituenda sunt ea largiendo extremè indigenti, non teneretur ad aliam eleemosinam pauperibus faciendam; idque ob eamdem rationem, quod obligatio dandi eleemosinam in extrema necessitate sit solum, quando alia via prouideri non potest. Quid verò dicendum sit, cum pro multiplicatione obligationis, seu tituli res multiplicanda est, v. g. quis debet dare pauperibus centum ob iniustè ablata, alia centum ex voto, alia ex iniunĉta pœnitentia; cētum largitur cui nam ex obligationibus (omnibus enim potest satisfacere, quia non debet solum centum, sed trecentum) satisfaciat, latè tractāt, & explicant Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 8. *& duobus sequentibus Palaus d. p.* 19. *num.* 9. *& Bonacina de leg. disputat.* 1. *quæst.* 1. *p.* 10. *num.* 12. *fine*, qui videri possunt. Nobis sufficit paulo latiùs prædicta explicasse ad demonstrandum, & persuadendum scrupulosis non esse tam difficilè implere præcepta, illisvè satisfacere, vt nulla sit opus iteratione, quam ipsi arbitrantur.

SVMARIVM §. DECIMI.

273. *& pluribus seqq. Scrupulosi circa distractiones, indeuotionem, ariditatem, & desolationem in orationibus, & aliis piis exercitiis, & remedia contra hos scrupulos.*

274. & 275 *Difficile est in hac corruptione naturæ orare, aliisque piis exercitiis vacare attentè, & deuotè, ac sine distractionibus, & euagationibus mentis, hisque omninò carere non est in hominis potestate.*

Distractio inuoluntaria in oratione patienter tolerata non impedit fructum orationis, aut profectum spiritus, sed sæpè vtiliorem reddit orationem.

277. 278 *Distractio voluntaria in orationibus solius deuotionis, & non præcepti nunquam est peccatum mortale, imò probabile etiam in orationibus præcepti carere culpa mortali.*

279 *Distractio interna voluntaria inter orandum etiam ex*

sola

sola deuotione est veniale peccatum.

§. DE-

§. DECIMVS.

Remedia scrupulorum circa distractiones, indeuotionem, seu tædium, ariditatem, & desolationem spiritualem in oratione, meditatione, atque in alijs exercitijs spiritualibus.

273 ALij scrupulosi timoratæ conscientię nimis anguntur, & affliguntur, quod in suis orationibus, & meditationibus, ac alijs pijs exercitijs videatur ipsis, se habere mentem varijs & inutilibus distractionibus vagantem; experiantur indeuotionem, seu tædium, & horrorem quemdam diuinorum, & agnoscant se aridos, & omni consolatione spirituali destitutos. Quapropter videntes se carere affectione erga diuina, & omni consolatione spirituali, suspicantur se esse in statu peccati mortalis, sua pia exercitia Deo minimè placere, & actum esse de propria salute, existimantes, vel saltem vehementer dubitantes se esse reprobos; Quæ est maxima tribulatio, maximumque impedimentum piorum exercitiorum, & exponit periculo deserendi viam salutis. Hacque de causa aliquando Diabolus Deo permittente menti serui Dei præsertim, si eũ agnoscit pusillanimen, huiusmodi cordis obdurationem, & ariditatem, & tantam immittit, vt cælum ipsis esse æneum, & omnipotentis aures ad exaudiendum obduratæ videantur, vt indè ingenti tædio afficiatur, & omnia deuotionis exercitia veluti ingentem cruciatum abhorreat, atque tandem anima sic tristitia, dolore, tepiditate, & accedia malè agitata, de sua perseuerantia trepidet, & de propria salute diffidat. Ad curandos hos scrupulos, & superandam huiusmodi tentationem, & molestiam inde prouenientem expellendam aduertenda sunt sequentia.

Orare

Orare Deum absque distractione, & mentis euagatione difficile.

274 PRimum aduertẽdum est, inter omnia virtutum opera nil esse tam ardum,& difficile,ac orare Deum attentè, & deuotè, atque sine distractione; Quæ difficultas ex duplici causa oritur;vna est naturalis ingenij,seu intellectus nostri,atque voluntatis naturalis infirmitas,misera conditio, & inconstantia, ex qua fit, vt absque distractione,& euagatione mentis non possimus orare.Et hanc ingenij, & cordis inconstantiam explicauit perbellè D. Augustinus in *Psal.*85.his verbis *Attendat,& videat,quãta agũtur in corde humano, quemadmodum ipsa plerũque orationes impediuntur varijs cogitationibus,itavt vix stet cur ad Deum suum, & vult se tenere, vt stet,& quodammodo fugit à se, nec inuenit, cancellos,quibus se includat,aut obices quosdam, quibus retineat auolatrones suas, & vagos quosdam motus, sed stet iucundari à Deo suo,vix,vt,& occurrat talis oratio inter multas orationes:diceret vnusquisque sibi contingere,& alteri non contingere, nisi inueniremus in scripturis Dei Dauid orantem quodam in loco (2. Reg.7.)& dicentem quoniam inueni Domine cor meum,vt orarem ad te inuenisse se dixit cor suum,quasi soleret ab eo fugere,& ille sequi quasi fugitiuum,& non posse comprahendere, & clamare ad Dominum, quoniam cor meum dereliquit me. Altera causa est Dæmonis tentatio,de qua Cassianus lib.2.cap.10.vbi cum(inquit) inimicus noster sit nobis semper infestus,tunc maximè assistit infestior, cum contra se nos offerre praces Domino videt, cogitationibus,seu diuersis humoribus excitatis abducere mentem nostram à supplicantis intentione festinans, & per hoc eum tepefacere à cæpto feruore contendens.*

276 Ex his manifestè patet,non esse in nostra potestate,dũ orationi,& meditationi,alijsvè pijs exercitijs vacamus,nullas habere mentis distractiones,& euagationes; ac proindè inter orandum contingere distractiones, mentis euagationes absque culpa; quod tunc euenit, quando sunt in voluntariæ;tunc enim(vt supra num.228. dictum est)nullum

lum est peccatum, nec etiam moraliter interrumpit orationem, cum nihilominus sit cum attentione, vel intentione orandi virtuali, quatenus intentione orandi primo inchoata est, eiusque vi continuatur verborum recitatio, vel ducat compositio, & deuotio exterior, qua oratio mentalis, & meditatio inchoata est.

276 Imò distractio in voluntaria patienter tolerata non solùm non imputatur ad culpam, sed nec impedit fructũ orationis, aut profectum spiritus, & sæpiùs vtiliorem, & fructuosiorem reddit orationẽ: quod probatur tum auctoritate *Blosij in Sriniolo spirituali cap. 7. Epist. ad amicum, ita scribentis: illa mẽtis instabilitas, qua se inter orandum affligi dicit, innumeris Dei seruis cõmunis est: non est, quod hinc nimis expauescat: si enim inuitus, mente distrahitur, & rationabiliter facit quod in se est, vt sit attentus: oratio ipsius in eiusmodi distractione humiliter fusa sæpè vtilior, ac frutuosior est, quàm si cum magna cordis attentione perageretur:* tum ratione, quia distractio patienter tolerata includit actum virtutis patientiæ, imò ordinariè fidei *(vt de quibusvis tentationibus docuit D. Iacobus cap.* 1.) ac insuper *spei (vt d. Paulus ad Rom.* 5.) ex quo capite fit meritoria oratio, atque etiam efficax, quatenus est petitio.

277 Quod si inter orandum contingat distractio interna voluntaria, sciant scrupulosi, illam nunquam esse peccatũ mortale in orationibus, quæ ex sola deuotione, & non ex præcepto fiunt, vt tradunt communiter Doctores *S. Thomas, Caietanus, Nauarrus, & alij infra mox citandi*; & ratio est; quia & si sit aliqua in Deum irreuerentia voluntariè inter orandum distrahi, vt mox etiam dicetur, illa tamen sola non potest esse mortalis: tum quia secundum se est res parua; tum quia naturæ nostræ corruptæ connaturalis & quodammodo necessaria est (vt modo dictum est) ea mẽtis euagatio, dum orationi vacatur; nam, & si homini non sit impossibile quouis temporis momento euitare distractionem, non tamen longiori tempore; vti possumus vitare peccata venialia singula, non tamen longiori tempore omnia; vt etiam supra dum de remedijs scrupulorum circa

ca

ca frequentiam venialium peccatorum dictum est. Quapropter si distractio, sola licet voluntaria, & ex aliqua negligētia culpabili eueniens esset peccatum mortale, etiam iusti, & quantumuis perfecti peccarent aliquando mortaliter contra Tridentinum.

278 Imò etiam in oratione de præcepto probabile est iuxta tradita supra num.229. solam distractionem internam nunquam esse mortalem; quia, vt docent doctores ibidem relati, probabile est ab Ecclesia in præcepto horarum canonicarum, & audiendi sacrum non præcipi internam, sed externam orationem & præsentiam; licet iuxta eosdem Doctores ex Ecclesiæ præcepto sit adhibenda deuotio, & attentio, ac compositio externa, dùm officium recitatur, & sacrum auditur, itaut tunc sit abstinendum à fabulis, alijsque occupationibus, nedum, cum vera, & interna, sed etiam cum externa deuotione, & attentione imcompossibilibus, vt ibidem notatum est. Et dato quod ex præcepto requiratur interna attentio, & deuotio, distractio voluntaria non esset mortalis, nisi sit notabilis, seu duret notabili parte horarum, vel sacri; & simul sit deliberata, & perfectè voluntaria; nam si imperfectè tantùm cognita, ac voluntaria ex hoc capite fiet venialis, & si aliàs mortalis.

279 Quamuis *autem Gabriel. lect.62. in canon. lit.I. & Palatios 4.d.15. disp.10.* dixerint in orationibus voluntarijs, & minimè de præcepto distractionem internam voluntariam neque esse venialem, ac proinde nullo modo peccare recitantem orationes vocales, officium v.g. B. Virginis, vel illius calculos, tametsi ex proposito non attendat, ea moti ratione, quod talis oratio potest absque culpa omitti; ergo & sine attentione dici. Nihilominus esse veniale peccatum docent *Communiter Theologi, & Summistæ S.Thomas 2.2.quæst.83. artic.3. ad 3. ibidem Caietanus, & in summ. v.oratio ibidem Armilla num.1. Nauarrus in man. capit.21.num.39. Ioannes Medina C. de oratione, Sanchez consil. mor. lib.7. capit.2. dub.31. Bresserus de conscientia lib.6. capit.15.num.190. & 191. doctores allegati supra d. num.229.*

& plures alij à Sanchez relati, licet enim recitans orationes voluntarias, & ex sola deuotione non teneatur recitare; tamen supposito, quod recitet, tenetur id facere cum debitis circunstantijs, vt patet in omnibus alijs actibus virtutum. At vna ex debitis circunstantijs orationis est interna attentio: nam ipsa naturalis ratio dicat, orare Deum sine attentione esse contra reuerentiam Deo debitam, cum quo agimus; sicut qui loqueretur cum Principe aliquo terreno & non attenderet ad id, quod loquitur, faceret ei iniuriam. Confirmatur, quia qui suscipit aliquod officium, seu munus, etiamsi voluntariè, debet bene illud exercere; verbi gratia si Aduocatus patrocinetur pauperi, non potest huius causam negligere; ergo multò magis si quis velit agere cum Deo oratione, etsi voluntaria, debet cum eo agere, quatenus potest, vt decet tantam maiestatem. Quæ tamen iuxta eosdem doctores procedunt de oratione per se vt oratio est, idest quando quis intentione orandi recitat aliquas præces: nam si quis, cum manibus laborat, vult Psalmos, aut alias præces recitare, vel canere non animo orandi, sed vt caueat alias vanas cogitationes, vel recreationis gratia, non peccat, sed laudabiliter facit, licet data opera non habeat attentionem; & ratio est, quia ille non orat formaliter; sed materialiter; Et idem si quis recitaret aliquas præces solo animo eas tradendi memoriæ.

Porrò non omittendum, valdè consultum esse ad impediendas distractiones, ante orationem præparare animam suam; & remouere propinquas earum occasiones v. g. Secedere ad locum secretiorem extra tumultum, & strepitum; quod ordinariè est tantum consilij, aliquando tamen præcepti, vt cum occasio esset, & præuideretur, vt moraliter impossibile sit vitare frequentes distractiones.

Quid

Quid sit vera, & propria deuotio, quid consolatio spiritualis, quid indeuotio, ariditas, & desolatio spiritualis.

ADuertendum secundo, quid nomine deuotionis, suauitatis, seu consolationis spiritualis, indeuotionis, & desolationis spiritualis intelligatur, quidque sit vnaquæque prædictarum affectionum. Igitur.

280 Deuotio propriè sumpta iuxta *S. Thom. 2.2. q.82. artic. 1.* est efficax voluntas, seu promptitudo voluntatis, qua aliquis est promptus, & paratissimus ad ea, quæ pertinent ad Dei obsequium, seu quo se diuinis obsequijs deuouet, & consecrat. Quare est propria actio virtutis religionis; cum eiusdem virtutis sit facere aliquid, vt dicit *S. Thom. d. q.82. art.2.* & promptam voluntatem faciendi illud habere; diuinus autem cultus, seu famulatus, ac diuinum obsequium est religionis actio. Dicitur voluntas, promptitudo, & affectus exequendi &c. vt deuotio sit promptitudo affectum internum semper afficiens, licet non semper opus. Nam, si quis velit efficaciter corporis afflictionem in Dei cultum, & obsequium accipere, ac per castigationem carnis se Deo dicare, licet caro fragilis obmurmuret, sensus contradicat, & difficultatem maximam sentiat, non ob id est deuotionis dono priuatus; cum promptè, & efficaciter velit difficultatem illam superare, & se per afflictionem Deo suo subijcere. Proprium est enim deuotionis ipsa obsequia, licet de se amara, & ardua, reddere facilia; tum quia respicit ea, vt media ad venerandum Deum, cui deuota voluntas summè placere desiderat; hocque ipsum difficultatem tollit, sicut consideratio vtilitatis in potione amara ad sanitatem recuperandam, eam magna ex parte lenit; tùm quia ipsa deuotio est amor obsequiorum illorum, quibus Deum colimus, illique placemus; amor autem res etiam laboriosas reddit faciles, & iucundas. Denique huius deuotionis propriè acceptæ effectus sunt, omnia obsequia

siue interiora, siue exteriora, quæ in Dei cultum,& honorem suscipiuntur; qualia sunt ieiunium, vigilia, genuflexio, carnis castigatio, multiplex virtutum affectio, psalmodia, sacrificium, & ipsa mentalis oratio: nam licet deuotio oratione, & meditatione generetur; vt docet S.Thomas *d. q.82. art.3.* tamen eadem oratio mentalis affectus quoque est deuotionis, quia hæc prompta voluntas iam per orationem, & meditationem genita, sicut ad alia opera, ita ad opus orationis, & meditationis excitat, & in ea spiritum promouet.

281 Ex quibus concluditur deuotionem veram, & propriam esse, tùm filiam gratiæ; quia quod quis habeat efficacem, & promptam voluntatem exequendi omnia, quæ sunt obsequij Dei, ex gratia procedit, & omne graue peccatum reijcit; nam si aliquod admitteret, non esset efficax voluntas, & ita nec vera deuotio; tùm matrem, seu originem omnium aliorum bonorum operum, aliarumque virtutum; quia est generalis actus, seu voluntas, qua homo efficaciter ad omne bonum afficitur. Dixi verò *deuotionem propriè*; nam impropriè, communiter, & iuxta vulgus sumitur deuotio pro sola consolatione, & refectione illa spirituali mentis, ac dulcissima recreatione, quæ prouenit, & ab oratione, & ab ipsa deuotione vera, & propria; de qua in sequentibus.

282 Consolatio spiritualis duplex est, vna rationalis, & purè spiritualis in animæ parte superiori sedem habens; altera sensibilis, ac simul corporalis in animæ parte inferiore resultans.

Suauitas, seu consolatio purè spiritualis (vt colligitur ex D.Bernardo sermone 3.de circumcisione, S.Bonauentura 3.processu religionis per totum, & 7.processu.cap.16. & alijs spiritualibus magistris scribentibus de deuotione, & oratione) est omnis animi motus, per quem interiùs anima incenditur in amorem creatoris, nec quid in creatura quærit, nisi propter Deum; item lumen intelligentiæ, quo homo cælestia clariùs intuetur, & quæ sunt spiritus Dei,

Dei, perfectius cognoscit. item omnis lætitia, quæ animam ad cælestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem, & pacem cum Deo in corde habendam incitat; item omne desiderium Deo fruendi, mundum contemnendi, carnem mortificandi; item lachrimę animæ, quæ in Dei amore funduntur, siue ex dolore de peccatis, siue ex Christi passionis consideratione, siue ex alia causa ad honorem Dei rectè ordinata originem ducant. Quare hæc consolatio purè spiritualis afficit animam secundum eius triplicem potentiam memoriam, intellectum,& voluntatem: Memoriam sanctis cogitationibus replet, in recordatione Dei stabilem reddit, ab ea omnem euagationem excludit, & perfectam obliuionem rerum mundanarum immittit: Intellectum ad intelligentiam Dei, & eorum, quæ ipsius sunt, & ad eum consequendum conducunt, peculiari lumine illustrat, Dei beneplacitum illi patefacit, inter virtutes, & vitia discernere docet; vias virtutum, & remedia vitiorum aperit, admirationem sapientiæ, bonitatis, & potentiæ Dei, & aliarum perfectionum in diuinis operibus elucentium infert, & circa quamcunque rem, quam recogitet, clarissima luce replet: Voluntatem Sanctis, deuotis, ac multiplicibus affectionibus, perficit; fiduciam, & confidentiam exauditionis excitat, charitatem adauget; Desiderium Deo in omnibus placendi, & bonam voluntatem immittit; mentis alacritatem præbet; spem remissionis peccatorum, & assequendæ salutis erigit; amore erga Christi humanitatem, compassione dolorum ipsius, desiderio regni cęlestis, & diuinæ familiaritatis afficit; & ad amorem proximorũ, odium vitiorum, studium virtutum, & curam bonarum actionum inflammat: Denique tribuit homini delectationem in bonis operibus, licet de se laboriosis & in consideratione diuinorum, & in reliquis exercitationibus spiritualibus, itaut illi satisfaciant, & in illis quietem, & animi serenitatem, in alijs verò quibuscunque rebus ab spiritu alienis, quasi tribulos, & spinas inueniat. Hæc igitur est consolatio rationalis, & purè spiritualis, quia tota est

spiritualis: & solam mentes, seu animæ partem superiorem afficit,& non corpus;& sine vlla prorsus corporis immutatione contingit,

283 Altera consolatio spiritualis quidem,quoniam de rebus spiritualibus Sanctis, & Diuinis habetur, sensibilis tamen dicitur, & est, quia non est solius voluntatis, sed appetitus sensitiui, seu partis animæ inferioris, & non contingit, seu non percipitur sine corporis immutatione aliqua, dilatatione cordis, ac diffusione sanguinis, & spirituum sanguineorum,vt docet,*S.Tho.1.2.q.31.ar.3.*ad quam rectè explicandam, & intelligendam declarandæ sunt illius causæ, Hæc igitur consolatio sensibilis, quæ appetitu sensitiuo percipitur, aliquando oritur ex abundantia prioris consolationis puræ spiritualis, quæ non semel ita solet excrescere, vt nequaquam in mente, seu parte superiori animæ se contineat, sed hinc etiam se transfundat in inferiorem,atque adeo in appetitū sensibilem,& corpus ipsum;vt loquitur Psalmista Psal. 83. *cor, idest, voluntas, seu spiritus, & caro mea exultauerunt in Deum meum*, scilicet, ratione vtriusque consolationis coniunctæ, & vtriusque appetitus rationalis, & sensibilis conspirantis; Vndè naturali sequela, & sympathia sequitur perfectior consolatio; & ita hæc consolatio sensibilis priori purè spirituali pretiosior est, quia illam continet, & aliquid amplius, quod vehementius ad virtutem allicit, includit, scilicet, redundantiam eiusdem ex mente in appetitum sensibilem, & corpus. Aliquando consolatio hæc sensibilis non ex abundantia consolationis rationalis, & portionis animæ superioris prouenit, sed eam Deus ex sua benignitate animabus teneris, & imperfectis, scilicet recenter ad se conuersis impertit, vt ipsas ad suum obsequium vehementiùs alliciat; de qua scribit *Richardus in cant. capit. 6. visitatione gratiæ consolatur Deus pusillanimitatem nostram, iuuat infirmitatem, excitat voluntatem. Aliquando in viris imperfectis, & recenter Deum ad conuersis de rerum, quas meditantur, & numquam antè considerauerunt, nouitate procedit*. Aliquando oritur à Diabolo; qui, Deo permittente,

rente, consolationes, gustus, & sentimenta, vt quidam vocat, immittit; Quod quomodo faciat, sic declaratur; etsi enim solus Deus spiritui illabi possit, & in solam animam immediatè agere, tamen, Deo permittente spiritus, siue bonus, siue malus potest in corporibus operationem exercere, & etiam in potentijs (vt supra de illusionibus nocturnis dictum est) quæ per organa corporis suos actus exercent; in sensitiuis potentijs quidem immediatè; & his mediantibus in intellectualibus. Ex hac radice possunt Dæmones sensibus nostris illudere, delectabilibus appetitum allicere, & tentationes inducere, vt clarè patet experientia; & ex hoc itidem fundamento inimicus quandoque fouet inferiorem portionem animæ tranquillata, ementita, ac sophistica, seu fallaci consolatione, ac dulcedine, siue sentimento: & sicut ob magnam coniunctionem inter partem animæ superiorem, & inferiorem quandoque consolatio in superioribus animæ potentijs intellectu, & voluntate à Deo productam, maximè si si abundas, se diffundit ad appetitum sensitiuum, & ad corpus, vt supra explicatum est; ita è contra quando delectatio vehemens est in corpore, & potentijs organicis, redundat in superiores vires, vt quasi totus homo sentimento dulcedinis perfruatur: qua ratione contingit, quod quandoq; homo decipitur non aliud credens nisi huiusmodi dulcedinem esse consolationem à Deo infusam, cum tamen inimicus deceptor procurauerit, & excitauerit, non vt consoletur hominem, quem implacabili odio prosequitur, sed vt illum decipiat, nempè vt vel ea enutritus rapiatur in vanam complacentiam, in elationem, vel superbiam se sanctum existimans, & alios contemnens, vel saltem eum nonnumquam per indiscretionem, & abusum fallacis illius consolationis in insaniam aliaque mala impellat: Vnde exponitur magno periculo ille, qui adhuc non habet exercitatos sensus ad discretionem boni, & mali.

284 Indeuotio, quæ ex diametro opponitur deuotioni ve-

ræ,& propriæ; & dicitur etiam tædiũ spirituale,est horror quidam orationis,& tristitia, ac lãguor animi in omnibus, quæ pertinent ad cultum, & obsequium Dei; ex qua proinde sequitur, vt homo sit ad orationem, & cultum Dei minimè promptus, & idoneus; & inde tepidus, & indeuotus dicatur. Et in anima efficit cum maiori intensione omnes affectus,quos dicam infra effici ab ariditate,& desolatione. Quapropter hæc indeuotio periculosa satis res est, & nimis à viro sapiente formidanda, vtpotè quæ veram deuotionem tollit, & hominem morosum, & inidoneum ad obsequia diuina efficit, atque in bene operando promptitudinem aufert, & omnibus pijs exercitijs vehementer obsistit.

Desolatio,quæ consolationi est contraria, duplex est,sicut, & ipsa consolatio; vna rationalis, & purè spiritualis in animæ parte superiori;altera sensibilis,ac simul corporalis in animæ parte inferiori; hæc vocatur propriè desolatio,illa communiter à magistris vitæ spiritualis appellatur ariditas.

285 Desolatio purè spiritualis solam mentem, & partem animæ superiorem afficiens,& consolationi purè spirituali opposita;est quæuis animæ excæcatio,perturbatio,instigatio ad terrena,& infima, omnis animæ inquietudo,anxietas,tristitia, diffidentia, timor inordinatus, omnis tentatio Dæmonis,carnis, & mundi, quæ trahit in diffidentiam salutis:vnde anima se tristari,vrgeri, tepescere, & augi sentit, & parùm in Deum confidit; sicut enim consolatio, & desolatio opponuntur ad inuicem, ita etiam cogitationes, & affectiones, quæ ab vtraque procedunt, opponuntur. Quare cum hæc desolatio rationalis animam afficit,intellectum obscurat,voluntatem obdurat,abundantiam Sanctarum cogitationum, & affectionum impedit; cogitationem verò,seu memoriam dissoluit, vt noxia, & inania recogitet; appetitum ad terrena deprimit, & animam ad ea, quæ sunt mundi inclinat, & exercitationes spiritus insipidas,& onerosas reddit. Vnde hæc desolatio dicitur ariditas; quia, dùm quis alioqui verè deuotus, & paratissimus, & prom-

& promptissimus ad Dei obsequia, & exercitationes spiritus, orationis, & meditationis satis auidus, ad quas proinde libentissimè accedit, in eiusmodi pijs exercitijs positus nec bonarum cogitationum, nec affectionum vbertatem sentit, videtur eius anima arida, & sterilis: sicut enim terra sterilis accepto optimo semine prouentum speratum non refert; ita anima hac ægritudine desolationis, seu ariditatis affecta, licet sæpe sarculo mortificationis exculta, & à sensibus, & zizanijs purgata, desiderijs, & exercitatione virtutum præuenta, & præparatione eorum, quæ meditanda sunt, tanquam bono semine, in vtero intellectus impleta; tempore tamen orationis, scilicet, fructus ferendi, non Sanctas cogitationes, nec feruidos virtutum affectus profert, sed distractionum tribulos, & affectuum illis correspondentium spinas gignit: Et de hac desolatione, seu ariditate spirituali virorum spiritualium ferè nullus est, ex sententia Thomæ de Kempis libro 2. de imitat. Christi cap. 9. num. 7. qui aliquando non conqueratur, & vicissitudine consolationis, & desolationis non exerceatur ad bonum suum, vt Bernardus serm. 17. in cant. testatur his verbis, *it, & redit spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat; necesse est: sed non collidetur, quia Dominus rursum supponit manum suam; & has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit; visitans diluculo, & subitò probans; denique septies cadit iustus, & septies resurgit; si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat; & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis; & dicat, Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

286 Desolatio sensualis, quæ consolationi sensuali supra explicatæ est contraria, est quædã affectio mestitiæ, seu perturbatio appetitus sensitiui, seu sensualis, & inferioris partis hominis ad Celestia adspirantis, dum ex rebus spiritualibus gaudium, & lætitiam, seu delectationem vllam non percipit, sed potius contradictionem, molestiam, & afflictionem; quæ tamen ex se nõ excludit veram deuotionẽ,

& consolationem purè spiritualem mentis, seu partis superioris, sed simul esse potest, & aliquando etiam in viris magnæ perfectionis, & bene dispositis quoad partem superiorem est; Nonnunquam enim quis est verè deuotus, scilicet, ad Dei obsequia, & ad diuinum famulatum promptus, & alacer, & in oratione meditatione, & alijs exercitationibus spiritus, sanctis cogitationibus, illustrationibus, & affectionibus secundum intellectum, & voluntatem irrigatur; & tamen pars sensualis, seu appetitus, hac desolatione torquetur, nempè manet ieiunus omni gaudio, & delectatione de rebus spiritualibus, & deuotione priuatus, ac contradictionē sentit. Quare homo in huius desolationis statu cum magno labore, multaque difficultate ad res diuinas meditandas attendit, in sanctis cogitationibus, & discretionibus habendis desudat, & defatigatur, ac si fune, & situla ex profundo puteo hauriret. Affectus amoris, & aliarum virtutum elicit non suauiter, & remissos cum afflictione, & vehementi conatu, quia vires inferiores nō concurrunt, sed potiùs contradicunt. Tempus orationi destinatum non breuiter, sed tardè elabi, & præterire videtur, & ad perseuerandum per illud totum in loco orationis non dulcedine, sed ratione ducitur: Et sicut æger omni desiderio cibi carens, si appetitui obediret, nil cibi prorsus sumeret; at necessitate, quam bene cognoscit, & desiderio valetudinis se ipsum ad manducandum cogit, & licet eum nausea, & repugnantia naturæ cibos sumit; ita animus hac sensibili desolutione affectus non dulcedine, quam sentiat, illectus; sed ratione, & propria necessitate conuictus, licet cum tristitia, & difficultate; spiritualibus intendit. Quemadmodum autem consolatio sensibilis, vt supra dictum est, ita hæc desolatio sensibilis prouenire potest à spiritu maligno, qui præsertim tentatione hac impugnat recenter ad Deum conuersos; quibus, dum se à vitijs purgant, & proficiunt in via salutis, molestias, scrupulos, tristitiam, perturbationes, similesque desolationis motus, quibus tranquillitatem conscientiæ tollat, & spiritualem profectum impediat, immittit.

Ex

287 Ex dictis colligitur, cur teneræ conscientiæ sæpè maneant perplexæ & perturbentur scrupulis supradictis ex carentia consolationis spiritualis, & experimento desolationis, dum orationi, & alijs pijs exercitijs vacant prouenientibus; id enim contingit, quia nō distingunt illas duas animæ cōsolationes, & desolationes, nempè rationalem, & purè spiritualem in sola mente, & superiori portione, & sensibilem in appetitu sensitiuo, seu portione inferiori hominis: putant enim se carere priori consolatione, quia non sentiunt posteriorem; ex eo enim quia non sentiunt quietem, & delectationem in parte inferiori sensibilem, sed desolationem scilicet mærorem, & tristitiam, & repugnātiam in exercitationibus spiritus, existimant eodem modo affectam esse partem superiorem, & mentem; quæ tamen etiam tunc veram, & solidam deuotionem, quæ in promptitudine voluntatis ad diuina obsequia consistit, habet, & insuper sępè fruitur sua quiete, ac pace tota diuinę voluntati conformis. Quemadmodum etiam aliquando putant se verè non dolere de peccatis suis, quia dolorem non sentiunt in appetitu sensitiuo, neque in oculis lachrymas, Aduertant igitur eiusmodi scrupulosi tum consolationem & quietem; tum dolorem, & tristitiam partis animæ superioris: & si sæpè se transfundant ab eadem parte superiori ad inferiorem, appetitumque sensibilem, vt supra dictū est, sæpiùs tamen non se transfundere vel ob earum remissionem, modicamvè intensionem, vel ob corporis naturalem indispositionem, vel aliam afflictionem à diuina prouidentia permissam; imò aliquando immissam, vel etiam ob Dæmonis operationem ita Deo permittente. ita Christi Domini anima in horto desolata, & tristis fuit vsque ad mortem in parte inferiori, quamuis eodem tempore frueretur quiete, & gaudio beatifico in parte superiori; & quod eodem tempore homo ita Deo disponente secundum superiorem portionem consolatione recreetur, & secundum inferiorem desolatione, & tentationibus affligatur latè explicat D. Gregorius 10. moralium cap. 8. declarans illam S. Iob sententiam, *si sub-*

si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei.

Desolatio patienter tolerata non impedit fructum orationis, & aliarum exercitationum spiritualium, aut profectum Spiritus, sed ad vtrumque vtilior, quàm consolatio.

288 EX dictis etiam infertur desolationem spiritualem, siue vtramque animæ partem afficiat, siue tantùm inferiorem, patienter toleratam non impedire fructum orationis, aliarumque exercitationũ spiritualium, aut profectum spiritus, sed imò sæpiùs ad vtrumque vtiliorem esse, quàm consolationem. Quod non impediat probatur, quia stat simul cum vera, & solida deuotione, & charitate, vt dictum est; Quod sit vtilior, quàm consolatio, probatur primò ex practica Doctrina à scrupulosis valdè notanda, à Taulero tradita dialogo inter patrem, & filium spiritualem, quem refert *Blosius de consolatione pusillanimum cap. 23. §. 2. & continetur* his verbis: *Plerique aliqua molestia grauati ita mihi dicere consueuerunt. Pater male mecum agitur, diuersis enim afflictionibus, multoque mærore perturbor: Et ego rectè cum eis agi pronuntio. Tum illi, non, aiunt Domine, sed mea culpa id actum est. Ad quod versus ego: siue tua culpa id actum est, siue non, crede ipsam afflictionem crucem à Deo tibi impositam, eidemque gratias agens sustine, & resigna te ipsum. Rursum illi, sed magna intus ariditate obscuritateque contabesco. quibus ego: Feras animo, dilecte fili, patienter, & meliùs tecum agetur, quam si in magna, multaque sensibili deuotione versareis.* Ex quibus etiam illud notandum, vtilem esse desolationem, tametsi inflicta esset tamquam pœna ab aliquod peccatum, seu defectum: quia tunc etiã expedit animæ sic pro eo satisfacere, vel satispati, quare dolere quidem deberet de peccato, gaudere autem de pœna. Secundò probatur, quia desolatio patienter tolerata includit actum virtutis patientiæ, fidei, & spei, vt de

de inuoluntaria distractione supra num. 276. dictum est. Tertiò, quia est quædam satisfactio, vel satispassio pro defectibus; vnde sæpè a Deo immittitur ad animam ab ijs purgandam: si enim ieiunia, & alia opera pœnalia pro peccatis satisfaciunt, illaque purgant, quid non satisfaciat immissa desolatio patienter tolerata? quæ sentitur intimiùs & cruciat vehementius; melius autem est nunc purgari, & puniri breui priuatione alicuius lucis, & consolationis, quàm postea longiori fortè tempore visionis, & cõsolationis beatificæ, ad quam tamque ad finem oratio, & aliæ spirituales exercitationes ordinantur. Quartò desolatio est occasio, & causa practicæ, & experimentalis cuiusdam cognitionis sui ipsius, cum homo desolatus, ac destitutus auxilio Dei non omni, sed speciali aliquo experitur, & sentit, quid sine eo possit; qua propter etiam fræenum quoddam est, quo anima cohibetur, ne sibi nimis fidat, & nimis liberè se effundat in vana; & veluti calcar, quo excitatur, vt recurrat ad Deum, cuius auxilio se videt adeo indigere. Denique probatur; quia cum consolatio præsertim sensibilis non sit vera, & propria, ac essentialis deuotio, vt ex dictis constat, sed solùm quædam accidentalis deuotio ex illa per modum Passionis aliquando resultans, de qua intelligenda est acceptio vulgi, cum eam appellat deuotionem, non est secundum se meritoria sicut nec secundum se vt meritoria desolatio, sed tantum esse solet occasio, vt homo intensiùs exerceat virtutis actus, cum ea ardentius exequamur, in quibus delectationem, aut maiorem delectationem percipimus, huic autem bono possunt æquiualere, ac etiam præualere commoda desolationis iam explicata, & alia quoque explicanda.

(.)

Perfe-

Perfectio, & sanctitas non consistit in consolationibus & dulcibus affectibus: nec ex his eiusdem perfectionis quantitas est metienda, & quænam sint signa certa, & infallibilia sanctitatis.

289 ADuertendum tertio à scrupulosis, & quibusque vitā spiritualem profitentibus, & ad perfectionem, & sanctitatem aspirantibus, quod sicut non putandum est semper Dominum ob animæ culpam se abscondere, & desolationem ei immittere, sed imò non semel absque culpa discedere, vt se non consolationis, ac sensibilis deuotionis debitorem, sed donatorem ostendat, ac proinde ariditatem, & desolationem non esse signum peccati, & reprobationis, ita etiam (quod docet Gerson in tractat. de remedijs contra pusillam. & in lib. 4. de cõsolatione Theologica prof. 3. & de diuersis tenta:) non est existimandum perfectionem vitæ christianæ, & sanctitatem consistere in consolationibus, ita quod malè iudicant, qui spiritualem gustum, vel sentimentum reputent signum de se sufficiens, & infallibile charitatis, & dilectionis Dei, ac inexistentis diuinæ gratiæ gratum facientis, & ex illo quantitatem perfectionis in spirituali via metiuntur. Atque hoc clarissimè patet ex grauissimis huius vitæ perturbationibus, tribulationibus, & aduersitatibus, quibus dilectissimi Dei amici semper affecti sunt, ac eius testimonium est, act. 14. *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Cælorum: & iterum Apoc. 3. quos amo, arguo, & castigo. Neque enim* (vt notauit, & latè prosequitur deuotus vir Thomas de Kempis lib. 2. de imitatione Christi c. 9.) *graue est humanum contemnere solatium, cum adest diuinum, sed magnum est, & valdè magnum tam humano, quam diuino carere posse solatio, & pro Dei honore libenter exilium cordis velle sustinere; & in nullo se ipsum quærere: & infelices sunt, qui se exercent in timore, & humilitate, & orationis studio, vt consolationes, & sentimenta percipiant à Deo; quia ex amore mercenario, & non filiali Deo inseruiunt, & multis sunt expositi periculis, & insidijs Dæmonis.*

bis; Ad hæc rarò proficiunt in spiritu, nisi alio modo iuuetur, quia cùm sola consolatione ducantur (quæ instabilis est, aduenit, & abscedit; crescit, & decrescit sicut luna) necesse est eorum statum periclitari: vnde ritè comparari queunt illi semini Euangelico, qui supra petram cecidit; & quamdiu habebat humorem, creuit; adueniente autem æstate natum aruit, quia non habebat humorem: Ex quibus manifestè patet; quod homo quantumcumque fruatur consolationibus; non debet se sanctiorem alijs reputare, neque hinc suam perfectionem metiri; præsertim cum huiusmodi consolationes possint contingere opera Dæmonis illudentis, ac transfigurantis se in Angelum lucis, vt incautos decipiat, vt supra dictum est, & docuit etiã Gerson *dicto prof.* 3. Signa ergo certa, & infallibilia perfectionis, & vnde mensura sanctitatis sumenda est, si quis scire desiderat; consideret: Quantũ proficiat in humilitate tam interiori, quàm exteriori; quomodo Deum, & proximum propter Deum diligat; iniurias, tribulationes, & aduersitates ferat; quomodo Deum in omnibus actionibus suis purè, ac simpliciter quærat; qua ratione linguam, cor, sensus, carnem cum omnibus prauis desiderijs, & concupiscentijs fræno cohibeat, & præcipuè, an in se mortuus sit proprius amor, & appetitus honorum, delitiarum, & omnium vanitatum mundi, & pompæ eius. Ex his iudicium faciendum est de perfectione, non ex quantitate consolationum. Perfectio siquidem, & sanctitas consistit in charitate operante, non in solis affectionibus; & ita aliquis nõ est perfectus, quia dulciùs, & teneriùs ad Deum afficitur; nec quia in feruore orationis maiorem suauitatem; aut consolationem percipit; sed quia maiori fidelitate, & conatu ex charitate præcepta vniuersa custodit, puriùs viuit, & accuratiùs in omnibus diuinæ voluntati se accommodat: & hoc, scilicet, perfectionis substantiam non in affectis, sed in effectis constitutam esse Dominus Christus nõ solùm exemplo demonstrauit, sed & verbis docuit dicens (vt habetur Ioan. 14.) *Si quis diligit me, Sermonem meum seruabit; & qui non diligit me; Sermones meos non seruat;*

quasi

quasi dicat parum ad veram dilectionem, atque adeo ad veram perfectionem proderit, quod quis affectibus abundet; si se ipsum non vincat; si peccata omnia non vitet; si præcepta non impleat; si consilia non exequatur: multum verò dilectionis, & perfectionis habet, qui affectibus, & dulcedine, ac omni consolatione carens, præcepta diuina custodit, & iuxta præscriptum suę professionis, siuè status ab eo, quod Deo placitum est, nulla ratione discedit. Et hęc doctrina, quàm ex dictis constat esse verissimam, magis confirmatur ex eo, quod affectus illi dulces, & suaues amoris possunt sine gratia animum santificante, & sine charitate produci; nec tantum ab incipiente, verùm ab imperfectissimo quoque, imò & à magno peccatore haberi, qui speciali quodam auxilio fultus Deum, quem suum auctorem agnoscit, suum benefactorem considerat, diligit propter suam bonitatem tenero quodam, & non efficaci dilectionis affectu.

Quare, quasvè ob causas Deus consolationibus, & dulcedine spirituali suos in hac vita frequenter perfundat, & ducat; & quæ earundem consolationum vtilitates.

290 VErum & si in consolationibus, & teneris affectionibus non consistit sanctitas perfectionis; tamen ea de causa nō parui faciēdæ, aut contēnendę huiusmodi cōsolationes. Dicta enim in duobus præcedentibus numeris, & nonnulla alia, quæ in sequentibus dicuntur, traduntur ad ipsam consolationem timidorum, ac scrupulosorū, & simplicium, & non ad ruinam negligentium, vt indè accipiant occasionem diuina exercitia dimittendi, quibus anima fouetur; & in feruore continetur. Quare hic adferendæ, & aduertendæ sunt causæ, quare consolatione afficiantur virtutum studiosi, & qui Deo, & eius obsequijs per veram deuotionem se consecrant. Et imprimis, cum deuotio, & promptitudo voluntatis ad seruiendum Deo, & exercenda ea, quæ sunt eius obsequij, soleant interdum

terdum magna ex parte impediri tribus obstaculis, nempè fragilitate carnis omnem laborem fugiente iuxta illud Domini ad discipulos in horto dormientes *Spiritus promptus est, caro autem infirma Matth.20.* Sensualitate, seu appetitu sensibilium voluntati contradicente, carnalia concupiscente, & ijs, quæ sunt spiritus, repugnante; de quo *Paulus ad Rom.7. video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c.* & necessitate huius vitæ ad curam corporis, sanitatem, & alia ad vitæ sustentationem spectantia impellente; Deus, qui est Princeps benignissimus, & pater accuratissimus vult famulos, ac seruos suos læsos, & alacres esse, & non sine hilaritate, & exultatione sibi seruire. Si enim hoc volunt Principes huius seculi, & præcipuè carnales patres; cur idem non velit ille, qui verus & dulcis pater est, ex quo omnis paternitas in cęlis, & in terra nominatur; hoc igitur facit in eis per dulcedinem, & consolationem spiritualem, qua & infirmitatem nostram corroborat, & sensualitatem cohibet, & immoderatam curam rerum huius vitæ reijcit, & animam in quadam admiranda serenitate, & tranquillitate constituit. Secunda causa est, quia actiones spirituales, & pietatis exercitia, vt plurimum tales consolationes consequuntur, mouent homines, & adiumentum præstant, vt huiusmodi opera aggrediantur; verè enim dictum est *ab ethnico trahit sua quemque voluptas;* lactat ergo huiusmodi dulcedine Deus nos, vt ad ipsum veniamus. Quare sicut voluptas turpis omnium malorum esca dicitur; sic diuina dulcedo cunctorum bonorum spiritualium incitamentum dici potest: Philosophorum quoque est dogma, quod motus tantò est velocior, quantò magis accedit ad locum naturalem, quia inest vis quædam, quæ trahit, & seruat locatum; sic anima hominis, quæ ad videndum Deum, & ad fruendum eodem creata est; quando gustat, & gustando per abundantem quasi fidem videt, quàm suauis est Deus, appetitus currit per viam mandatorum Dei; vndè bene

X ait

ait Dauid Psal. 118. *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Tertia causa; quia est humani animi natura, vt sine delectatione esse non valeat; ne igitur impuris detineretur voluptatibus, Deus eum voluit spiritualibus delectare delicijs. Quapropter vna ex dispositionibus præparantibus animum ad fruitionem cælestium eiusmodi deliciarum est, vt procul à se desideria secularia desiderijs rerum cælestium aduersantia, & carnales consolatiunculas pellat. Hinc Quarta causa, quia spirituale hoc gaudium, quod est participatio quædam cęlestis beatitudinis, & felicitatis, eleuat mentem ab hisce terrenis ad cælestia; vnde bene S. Gregorius super Ezech. *Dulce est, esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cælestibus gaudijs nulla gustauit: quia quantò minus æterna intelligit, tantò delectabilius in temporalibus quiescit.* Quinta causa, quia vt dicitur Psal. 33. *multa sunt, & fuerunt semper tribulationes iustorum, & ex omnibus liberauit eos Dominus:* vt passim scripturis, & historis sanctorum manifestum est, atque ex quotidiana experientia constat; Ne igitur tribulationum malo pressi deficerent, ac animum abijcerent, spiritualibus consolationibus fouet; quod & Dauid Psal. 93. de se ipso testatur, *secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

An expediat diuinas consolationes desiderare, & à Deo petere, & quando expediat non petere, nec velle à desolationibus liberari; sed ijs gaudere.

291 EX his igitur constat non esse contemnendas diuinas consolationes, sed humiliter a Deo postulandas, & laborandum esse, vt eas habeamus, non vt in ijs quiescamus, & nihil aliud quæramus, sed vt sint nobis adiumento ad proficiendum in omni virtute ad perficiendam Dei voluntatem, & ad quærendum Dei gloriam, & honorem: sic Dauid cupiebat, quando dicebat

Psal. 62.

Psal.62 sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. Quare errant, qui huiusmodi spiritualem suauitatem, & consolationem non magnifaciunt, & eam in oratione non sitiunt, & si abscedat, non curant; in quo iudicium præbent, quod eius multiplicem vtilitatem nunquam opere didicerunt; quam si aliquando gustassent, & eius impulsu se non tam ambulare quam currere, imò & volare ad perfectionem cognouissent, prætiosam vtique æstimassent, eum, quæ tam magnum affert virtutum, spiritualis profectus, & omnis puritatis augmentum: quod certè de consolatione purè spirituali, partisque animæ superioris indubitatum omnino est.

292 Ex quibus satisfieri potest illi petitioni, quam nonnulli faciunt, an possimus, anque expediat desiderare, & petere à Deo consolationem spiritualem, vel desolationem. Certum enim est, licere absque peccato alterutrum petere ob varias causas, & vtriusque commoda, quibus quis putet alterutram sibi conuenientiorem. Certum etiam est desiderandam, procurandam, & petendam à Deo esse consolationem partis superioris, & quietem conscientiæ ob multiplices eius vtilitates, & magnum adiumentum ad omnium virtutum opera exercenda, & ad perfectum famulatum diuinum; contra verò fugiendam esse desolationem spiritualem eiusdem partis animæ superioris contrarios habentem effectus, & etiam fugiendos scrupulos quieti conscientiæ contrarios ex tali desolatione prouenientes; hi enim infestant, & turbant partem animæ superiorem ob causas, & eorum incommoda, de quibus supra num.23. & seqq.

293 Quoad consolationem & desolationem partis animæ inferioris, & appetitus sensitiui, licet, an alicui hic, & nunc omnibus consideratis magis conueniat, & expediat consolatio, vel desolatio, ad paternam Dei prouidentiam spectet; ac proinde videatur nec desideranda, ac petenda, nec fugienda; sed esse Deo committendum, vtram immittere, vel permittere velit, prout hic & nunc tali animæ conuenientius, vel vtilius iudicauerit, nisi

X 2 fortè

fortè inditio confessarij, aut aliundè constet, alterutrem magis huic, vel illi conuenire; & ita tunc expedire illam determinatè desiderare, & à Deo petere: Nihilominus secluso periculo abusus (de quo abusu infra) & quoties contrarium vtilius esse aliundè non constet, expedit desiderare, & petere etiam consolationem sensibilem partis inferioris, non tantùm, quia semper oportet exercere actus virtutum, veramque deuotionem promptè exercendo ea, quæ sunt diuini obsequij, vndè illa consolatio solet diffundi etiam in partem animæ inferiorem, vt supra dictum est; sed quia quisque fragilitatis, & imbecillitatis suæ conscius debet potiùs iudicare consolationem quoque sensibilem sibi ad spiritualis profectus augmentum, & ad perseuerantiam in bono necessariam esse quasi virtutis illecebram; qua si vir, etsi iam in virtute prouectus, & perfectus per tempus aliquod destituatur, vix nouit pro eo tempore absque multiplici imperfectione operibus virtutum vacare. Vnde non est homini delicati (vt aliqui putant) & habentis cor effæminatum, pro hac etiam consolatione suspirare, illamque à Deo petere, sed hominis sapientis, & fortis, qui ingenitam infirmitatem agnoscens illud desiderat, quò citiùs, & velociùs in Deum currat, & maiora opera, ac difficiliora perficiat.

294 Hinc ob eandem causam ordinariè non expedit desiderare, & petere desolationem nec partis superioris animæ, nec inferioris; sicut etiam non expedit ordinariè desiderare, & petere à Deo tentationes: nam & Dominus ipse docuit nos orare; *& ne nos inducas in tentationem*. Viuacitati enim meditationum, & feruori affectuum obstat desolatio sensibilis, quia huiusmodi actus spiritus, si vices inferiores non iuuent, non solent esse adeo vehementes; ex quorum tamen feruore non parum profectus virtutum, & omnis perfectio dependent; & ideò bonum est desiderare, & petere, vt spiritus, & appetitus, dùm orationi, & alijs pijs exercitationibus incumbitur, conspirent, & desolatio,

latio, vtpotè deuotioni contraria, ab omni animæ abscedat portione.

295 Non omittendum tamen, si constet de voluntate Dei immittentis, vel permittentis desolationes, vt etiam tentationes, bonum esse non petere, aut velle ijs liberari, sed totum diuinæ voluntati, & prouidentiæ committere postulando solam perseuerantiam in vera, & solida deuotione, & consolatione, ac quiete mentis, quam solam Dauid diuinam derelictionem per consolationis subtractionem experiens postulauit iuxta Cassiani sententiam, quando Psal. 118. cecinit, *iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequoque*, vel, vt alia littera habet, *vsque ad nimietatem: ille si quidem vsque ad nimietatem, vel vsquequaque* deseritur, qui non solum deuotione sensibili, sed & mentis tranquillitate, & suauitate, ac substantiali, & propria deuotione priuatur: imò valdè bonum est de ijsdem desolationibus, & tentationibus gaudere, quod vel sic voluntas Dei in nobis adimpleatur, nosque simus similes Christo patienti iuxta illud 1. Petri 4. *communicantes Christi passionibus gaudete*, & Pauli 2. ad Cor. 12. *libenter gloriabor in infirmitatibus meis: & Iacob. 1. omne gaudium existimate fratres*, cum in varias *tentationes incideritis*. Quibus casibus gaudium, & consolatio est in parte animæ superiori; dolor, ac desolatio in inferiori.

Causa, ob quas Deus animæ subtrahit suauitatem spiritus, & consolationem spiritualem, immittitque, seu permittit desolationem, & ariditatem.

296 IGitur si in oratione, alijsque pijs exercitationibus fruimur cōsolatione, humiliemus nos, & timeamus; si autem ea ex diuina permissione priuamur, abijciamus quidem omnia consolationis impedimenta, & præparemus animam aduentui Domini, sed interim dum derelictos, & desolatos relinquit, ne nimis animum abijciamus,

sed speremus in eo: non enim est Deus consolationibus alligatus, vt scilicet desolationis tempore spiritum nostrum valdè promouere non possit; neque desunt multæ causę bonum nostrum respicientes, ob quas ipse Deus has sensibiles consolationes animæ subtrahit, & in desolatione relinquit, quas latè refert *Gerson de Mystica Theologia pract. indust. 6. ex quibus* aliquæ in gratiam scrupulosorum, & aliorum vitam spiritualem profitentium nunc hic adferendæ sunt.

Prima causa est propter nostram in spiritualibus studijs, & exercitijs tepiditatem, & negligentiam, & ad castigationem peccatorum venialium (quod fortè est frequentissimum) Deus consolatione priuat, & desolationem immittit.

Secunda, vt homo etiam quando in desolationibus est, inquirat diligenter, qua ex causa id sibi contigerit, quod calorem illum suauissimũ perdiderit, ac aduersus illam omne bellum, & studium summis viribus reassumat, neque enim poterit per aliam portam illum reuocare; nisi per quam egressus est, vt Clymacus ait.

Tertia, ad arcendam superbiam omnis virtutis tineam, & custodiendum, seu conseruãdum in nobis humilitatem, vt scilicet sic primò intelligamus non esse in nostra potestate habere consolationes pro nostra voluntate, sed esse Dei eas dare, quãdo, & cui vult; *spiritus enim (Ioannis 3.) vbi vult, spirat*. Ea de causa etiam aliquando, quando quærimus consolationes, denegantur nobis; quando minimè laboramus, conferuntur, vt intelligamus mera esse diuinæ munera gratiæ; vnde si nostræ industrię ascribamus, vanæ gloriæ, & superbiæ crimen cum magno periculo incurrimus; Secundò, vt profundiùs agnoscamus nostram fragilitatem, & miseriarum abissum; hincque nos ipsos despiciamus, videntes quid ex nobis ipsis, & quid ex Dei munere esse possimus; quod sæpè nostris culpis exigentibus perdimus.

Quarta, vt probemur, quinam simus, an socij mensæ, & consolationum, an verò amici Dei in tribulatione, & cruce; scriptum est enim Prouerb. 17. *omni tempore diligit, qui*

ami-

amicus est, & frater in angustia comprobatur. Si enim Deo propter consolationes, & delectationes, & non propter ipsum inseruimus, non ex vero, sed seruili amore, adhæremus ei, quod satis reprehensibile est; ideoque Deus subtrahit nobis consolationes, vt auferat ea, qua nostrum amorem minùs purum possunt reddere, vtque ipsummet Deum non tam propter dona, quàm propter eius bonitatem concupiscamus, & ea, quæ sunt eius obsequij, exerceamus. De hoc amore Dei puro habendo, & quomodo debeamus Deum diligere, & laudare, illique inseruire in omni tempore, non solùm cum consolamur, sed maximè cum sumus in angustia cordis; latè Thomas de Kempis de imitatione Christi lib. 2. capit. 11.

Quinta causa; vt pluris consolationis gratiam faciamus, & deuotionis, ac Diuinæ familiaritatis maiora desideria in nobis succendamus; Vilescunt enim frequenter illa, quæ semper haberi, & in promptu inueniri possunt: sicut constat de filijs Israel cum manna Cœlesti: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo &c. Numeri 21.*

Sexta, vt dum homo consolatione fruitur cautiùs ambulet, & cum humilitate custodiat, Deus ipsum teneriùs affectibus astringat, iugiterque illi æterno fonti assideat. vnde tam dulcis aqua emanat. Abscondit aliquando infanti mater seipsam, quem si videt anxiùs inquirere, gaudio afficitur, sicque illum instruit sibi adhærere iugiter, affectumq; sui altiùs infanti imprimit, eumque ad se amandum ardentiùs inuitat.

Septima, vt per desolationem anima patientiam exerceat: satisfaciat pro peccatis, & ab eis purgetur iuxta dicta supra num. 288.

Octaua, vt homo ex tempore desolationis, & ariditatis conijciat, quàm inexplicabile malum erit à Deo in perpetuum separari: si hæc breuissima subtractio deuotionis sensibilis, qua Deus se abscondit, tàm vehementer afficit, & animam inconsolabiliter affligit.

Nona, vt discamus compati desolationibus, & ariditati-

bus aliorum cum nihil æquè, ac miseriæ experientia excitet compassionis affectum.

Decima. Ne homo propter dulcedinem Diuinæ consolationis in oratione, & meditatione, à lucro animarum, alioue ministerio, seu munere, ad quod vocatus est, retrahatur; & desinat præcepta seruare, & onera proprij status præcisæ obligationis portare, vt vacet orationi, & meditationi supererogationis. Aliæ huius rei causæ reddi possent, sed prædictæ sufficiant.

297 Ex quibus apparet hominem consolationibus spiritualibus ab vti Primò, si eas propter ipsas capiat, nō verò quatenus sunt virtutis adiumenta, & in illis finē constituat; datur enim consolatio ad reddendam suauem virtutem, & ad spiritus profectum, ac proinde malè illa vtitur, qui orationem, & alia opera spiritualia ad consolationes refert, & per gustum illarum veram virtutem non quærit; Secundò, qui dictas consolationes in vacuum recipit; & experimento earum proficere non studet, nec ad virtutis fastigium eisdem consolationibus fultus conscendere curat. Tertiò si propter easdem consolationes quis animum à debitis occupationibus suis status auertat, & omittat facere ea, ad quæ aliàs tenetur ex obligatione.

Nonnulla remedia ad pellendam desolationem, & consolationem spiritualem obtinendam.

SEd, vt quoad fieri potest, scrupulosis, & alijs virtutum studiosis consulamus, explicemus nonnulla alia remedia, quæ adhibita maximè iuuabunt ad tolerandam cum fructu desolationem, & ad obtinendam à Deo consolationem, & suauitatem spiritus.

298 Primum: quandò homo consolatione, & spiritu feruoris fruitur, meditetur, quid futurum sit abscedente lumine, & sic præparet animam spe, fiducia, & robore ad sustinendum impetum tentationis tempore desolationis. Hoc remedium indicat Thomas de Kempis lib. 2. de imitatio-

tatione Christi allegato *cap. 9. circa finem*.

Secundum, præsente desolatione remoueat homo consolationis, & deuotionis impedimenta, quæ Primò, vt supra dictum est, sunt desideria secularia, & carnales voluptates, & omnis inordinatus affectus; Secundò negligens cordis, mentisque custodia: Tertiò otium, & scurrilitas; Quartò nimiæ, & immoderatæ occupationes: Quintò defectus præparationis, & materiæ ad orationem, seu meditationem faciendam. Demum defectus resignationis, scilicet, quia non propter Deum, sed propter nos ipsos suauitatem, & consolationem optamus; Hæc enim omnia inducunt ariditatem, & sterilitatem mentis, & spiritus; & ita impediunt suauitatem, ac consolationem vtriusque partis animæ.

Tertium ex præallegato Thoma de Kempis *dict. capit. 9. num. 4. & 5.* sicut cum spiritualis consolatio à Deo datur, cum gratiarum actione eam homo debet accipere: intelligens esse Dei munus, non suum meritum; atque adeo inde non extolli, nec nimium gaudere, nec inaniter præsumere, sed esse magis humilis ex dono, & cautior, ac timoratior in cunctis actibus suis, cogitans quod transibit fortè citò hora illa, & sequetur tentatio: Ita cum ablata est consolatio, siue ex culpa, siue ex Diuina dispensatione non desperet, sed à Deo instanter petat, vt radijs suæ charitatis mentem sibi illuminet, & feruore Diuini spiritus voluntatem inflammet, cum humilitateque, & patientia expectet cælestem visitationem. Hoc remedium practicè docuit nos Dauid Psalmo 29. qui præsente iam gratia dicebat: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum*; absente autem eadem effectum desolationis sentiens, & ostendens dicebat, *auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*; interim tamen non est pusillanimis, sed intentiùs orat, & remedium sumit, & ait Ps. 27. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor*. Denique orationis suæ fructum reportat, & se exauditum testatur dicens Ps. 29. *Audiuit Dominus, & misertus est mei*: & subdit in quo fuerit exauditus, *conuertisti plan-*

planctum meum in gaudium mihi, & circundedisti me lætitia: Ecce iterum effectum consolationis experitur.

Huic proximum est aliud remedium, & optimum ab eodem de Kempis eod. cap. 9. indicatum, scilicet, Patientia huiusmodi tentationibus ex diametro opposita, & Spes in Deum cogitando breui adfuturam consolationem; quia potens est Deus (vt inquit idem de Kempis) ampliorem dare gratiam, & consolationem, maximè si homo per sancta exercitia (de quibus mox) conetur frangere impetus desolationis. Et ad patientiam huiusmodi habendam, atque spem exercendas considerandum iuxta eundem Thomam de Kempis ibidem num. 7. nunquam aliquem iam religiosum, & deuotum inuentum, qui non habuerit interdum gratiæ subtractionem, aut non senserit feruoris diminutionem: nullum sanctum fuisse tam altè raptum, & illuminatum, & qui priùs, vel postea non fuerit tentatus; quia non est dignus Dei alta contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione: & solet sequentis consolationis tentatio præcedens esse signum: nam tentationibus probatis cœlestis promittitur consolatio. Apocal. 2. qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ. Hæc præfatus Thomas.

Quintum remedium est, cum humilitate assumere, & frequentare pia opera, spiritualesque exercitationes, quæ contra desolationis impulsum tendunt, & apta sunt gignere spiritualem consolationem, & teneram deuotionem; Qualia sunt, primò oratio, & meditatio, præsertim vitæ, gestorum, & mortis Christi Saluatoris, qua anima sæpè ineffabili consolatione obruitur iuxta illud sponsæ Cantic. 2. *Sub Vmbra illius, quem desideraueram sedi* (ecce meditatio vitæ, & passionis Christi Domini) *& fructus eius dulcis gutturi meo*, ecce fructus ineffabilis consolationis. Secundò discussio conscientiæ: Tertiò Sacramentorum frequentia. Quartò pœnitentiæ opera, quia facile fit, vt nos in culpa priuationis Diuinæ consolationis fuerimus. Quintò, lectio Sacræ Scripturæ iuxta illud Diui Pauli ad Roman. 5. *Quæcunque*

scripta

scripta sunt, ad nostram consolationem scripta sunt. Sexto recursus per specialẽ inuocationem ad B. Virginem consolationis matrem, orando eam, vt nobis donum consolationis obtineat; quod docuit D. Bernardus serm. 1. in 1. Dominicam post Epihan.

Sextum remedium in desolationibus, & tentationibus est longanimitas, constantia, & magnanimitas: Hoc remedium iuuat, siue desolatio fit à Dæmone, siue à Deo; nam si a Dæmone hoste nostro, is naturam, & morem refert pertinacis mulieris: hæc si cum viro rixatur, eumque videat erecto, & constanti vultu sibi resistere, illicò abijcit animum, & terga vertit; si vero timidum, & fugacem esse animaduertit, in extremam insurgit audaciam, & illum ferociter inuadit: ita Dæmon consueuit animo, & robore destitui, quoties spiritualem athletam corde imperterrito, ac fronte serena tentationibus suis videt reluctari: si autẽ trepidet ad primos impetus sustinendos, ac animum abijciat; nulla est bestia super terram inimico illo ferocior in hominem, vt cum pernicie nostra malignæ, obstinatæque mentis suę desideria adimpleat: Si vero desolationem Deus ex speciali prouidentia immiserit; tum etiam longanimitas, constantia, & magnanimitas in oratione, meditatione, & alijs exercitationibus spiritus maximè iuuant ad diuinam consolationem obtinendam iuxta illud, quod Dauid *Psal. 26. cecinit, expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum*; Quod si post longam expectationem, & sustinentiam non venerit, adhuc sustinendum, nam tandem non permittet Dominus perseuerantiam in virtutum exercitatione inanem, & laborem esse cassum: *si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*; licet & si nunquam veniret, adhuc patienter eius dilatio, seu absentia ferenda, quia & ipsa sustinentia magnum meritum habet; & conducibilius est in hac expectatione mori, quàm per ignauiam, & instabilitatem à tam salutari, & frugifera expectatione; & à bono, virtutumque opere inchoato, & tempore consolationis exercito cessare. Quare tempore desolationis nihil est deliberan-

berandum circa animi propositum, & vitæ statum, sed est perseuerandum in eis, quæ priùs fuerunt constituta, quando anima diuina suauitate, & sua pace fruebatur. De ijs nonnulla alia videantur apud præfatum Thomam eodem lib. 2. de imitatione Christi dicto cap.9. & duobus sequentibus; pro complemento huius materiæ.

Coniectura, siue regula ad dignoscendum, an consolationes internæ sensibiles sint à Deo, vel à Dæmone.

Restat, vt annotentur coniecturæ, siue regulæ aliquæ, ex quibus cognoscitur, vel dignosci poterit, an consolatio partis animæ inferioris, & sensibilis sit à Deo, vel à Dæmone, vel Angelo bono, cum ab his quoque eam prouenire posse supra num.283. diximus; de quibus *Richardus in cant. cap.6. Gerson in tractat. de remedijs contra pusillanimitatem scrupulosorum, & deceptorias inimici consolationes. D. Antonius 4 p.tit.16.cap.vnico* §.8.*& 9. Petrus Binsfeldius in tractat. de tentationibus, & Dionisius Richelius dialogo de instis nouit.*

299 Primò, igitur quod sint à Deo, vel Angelo bono infallibilis coniectura est; si huiusmodi consolatione perfusus diligenter suam conscientiam discutiant, & examinet; si quodcumque graue peccatum abhorreat; si pro præteritis culpis libenter satisfaciat, habens firmum propositum vitandi in futurum omne mortale; si nulla habita ratione proprij commodi honorem Dei, & animarum salutem magno zelo procuret: si malit subijci, & obedire, quam alijs præesse; si proprias iniurias remittat; si ad suam vocationem spectantia, præcipuè præcepta, & vota fideliter impleat: si consolationem ipsam non pro ipsa dulcedine, & leuamine suo, sed vt feruentiùs in via Domini progrediatur, animosiùs laboret, & puriùs viuat, accipiat: & demque si ex illa in Dei amore, sui contemptu, veraque humilitate crescat. E contra verò erit signum, quod sit

à Dæ-

à Dæmone consolatio, si oppositos pariat effectus: si mentē impellat ad elationem, & præsumptionem, ad vanam complacentiam, ad persuasionem excellentioris sanctitatis, & dignitatis; Paradisi gloriæ, & ad aliorum contemptu: si foueat animæ torporem; vel inducat ad indiscretā corporis macerationē prętermisso, vel etiā neglecto magistri spiritualis consilio: si prouocet ad curiosiùs inuestiganda secreta Dei, præsertim circa fidem: si non excitet sancta desideria, nec promoueat ad feruentiores progressus in omni generę virtutum: si relinquat hominem, sicut priùs debilem, & infirmum contra aduersa: si auertat ob obseruatione, seu impletione eorum, quæ secundum suum statum ex obligatione facere debet: & denique si ea non obstante amore erga proximum, & salutis animarum zelo non ferueat. Hęc enim possunt inducere persuasionem, vel saltem vehemens dubium consolationes non à Deo, sed à Dæmone proficisci.

Secundò Deus, vel spiritus bonus menti eorum, qui virtutum studio, & procurandæ per pias exercitationes saluti solicitè incumbunt, se insinuat leuiter, placidè, & suauiter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens: malus autem spiritus duriter: implacidè, & vehementer cum strepitu, sicut imber decidens in petram: illis autem, qui negligentiùs student operibus virtutum, & propriæ saluti, atque in dies deficiunt, & in deteriùs tendunt, oppositum prorsus vsu venit. Huiusque diuersitatis ratio est similitudo, & dissimilitudo, siue contrarietas. Contraria enim cum difficultate agunt: & inter ea, quæ pluribus qualitatibus conueniunt facilior est actio: cum minori enim resistentia ignis accendit lignum siccum, & cum maiori pugna humidum: ad propositum ergo, si alteruter spiritus animam in dispositione sibi contraria, seu dissimili reperit, cum strepitu, & resistentia se coniungit, vt facilè aduerti queat: si conformem, & obsequentem tamquam propriam, & aptam domum subit cum quiete. Quando igitur aliquis in bono proficit, Deus, seu bonus spiritus eum leuiter mouet, quia

quia sibi similis est dispositio; malus autem spiritus cum vehementia inuit, quia sibi in nulla correspondet qualitate, sed per omnia repugnat: At è diuerso, quando anima tendit ad interitum, malus spiritus tunc paulatim, & leuiter procedit, quia suas sequitur anima vias, nec patitur resistentiam; Deus autem, bonusvè spiritus tunc irruit cum strepitu, & vehementia, vt cursum interrumpat, atque iterum ad bonum vocet.

Tertiò cum solus Deus possit illabi immediatè in animam nostram, & consequenter ipse solus agat in animã, & spiritum, ipse solus potest efficere in anima consolationem nulla præcedente consolationis causa, aut medio interueniente; & causa tunc dicitur præcedere quando aliquid sensibus obijcitur, aut superioribus animæ viribus, quod mouere potest ad consolationem, vel sentimentum: quando autem per medium venit consolatio, & eius præcessit causa; auctor eius potest esse, & spiritus bonus influens in animam veris, & salubribus instructionibus, & spiritus malus falsis rationibus, seu coloratis argumentis, & persuasionibus veri speciem præseferentibus ad lætitiam excitantibus. Quare hanc regulam ad discernendas lachrimas annotat Ioannes Clymates de luctu cap.7. scilicet, *quoties anima* (inquit) *nihil etiam curantibus, vel studiosè operantibus nobis in lachrimas in secreto compunctionis excitata in solo fletu requieuerit, curramus sollicitè; Dominus enim non vocatus aduenit, spongiamque diuini mæroris & refrigerij, plarumque lachrimantem aquas nobis clemens porrigit; quibus diluantur chirographi nostri, serua illam, vt pupillam oculi tui, donec spontè abeat; longè enim maior est huiusmodi compunctionis vis, quàm eius, quam studio, & labore nostro quæsiuimus*; ita Clymac. Quando ergo nihil laboramus cogitando, aut contemplando, & ex tunc flat aura suauis spiritus Sancti, nulla eam præcessit causa, sed solus Deus animam suę creaturæ ingreditur. licet non prætereundum, quod tum lachrimæ etiam aliquando ex causa, sicut reliquæ consolationes, prouenire queunt; quas, & inimicus, quandoque imitari poterit; & si tamen quando consolationis causa

datur

datur vterque spiritus bonus scilicet,& malus possit esse author,tendunt tamen ad diuersos fines, bonus siquidem id intendit, vt anima bona cogitatione, & operatione magis proficiat;malus autem,vt male agat, & misere pereat iuxta dicta in primo signo.

Circa hoc tamen signum,scilicet, quamuis iuxta modo dicta, quando consolatio sine vlla præuia causa nobis adest,à Deo immissa sit,nihilque fallaciæ subsit;tamen cum vigilantia, & discretione distinguendum est tempus consolationis præsens à proximo sequenti. Nam & si principium consolationis tunc fuerit à Deo, continuationis tamen in consolatione aliqua poterit esse causa,vel habitus ex præcedenti consolatione relictus,vel discursus mentis, vel immissio Angeli boni,& mali.Ea de causa,si quid sentiamus, deliberemus, solerti opus est discussione, priusquam detur consensus,vel mittatur in opus.

Quartò Gerson *in allegato tractat.de remedijs contra pusillanimitatem scrupulosorum, & deceptorias inimici consolationes notat* sequentem regulam, scilicet, quod omnia, ad quæ voluntas cum quodam impetu, & vehementia sine præuia deliberatione inclinatur,quantumcunque appareat bona, habeantur suspecta; quia communiter sunt motus sensualitatis, & passionum, quibus se hostis antiquus immiscet, ac proinde diligenter huiusmodi sunt examinanda, ne anguis in herba lateat: & hæc regula magis confirmatur ex eo,quod dicitur in Collationibus Patrum *collat. 1.c.21.nempè quod si quid agendum cogitatio nostra suggerit,omni scrupulo retractandum est,& æquali bratione iustissimè perpendendum,an plenum sit honestate communi:an timore Dei sit graue:si integrum sensu, si humana ostentatione, aut aliqua nouitatis,insolentiaque præsumptione non leui:si meriti eius pruduis inanis Cenodoxia(idest vana gloria)nō immiscuerit,vel arriserit gloria,& sic protinus, & ibidem quod suggestum est ad publica examina,idest Prophetarum actus,& testimonia conferendū,illorumque exemplis comprobandum: vt si integrum, & perfectum sit, ad hanc libram appensum suscipiatur : si verò imperfectum, atque falsum,nec ponderi prædicto consonum, omni conditione deuitetur.*

Idem,

Idem confirmat notabile, quod ex lib. B. Vincentij ordinis prædicatorum refert D. Antoninus d. cap. vnico §. 9. versiculo secundum, hisce verbis: si per reuelationem, vel sentimentum, delectationem, aut gustum, vel alium modum cor tuum moueatur ad aliquod opus, & maximè graue faciendum non sibi consuetum, de quo non habes certitudinem, an Deo placeat, sed cum ratione dubitas, contrahe moram, antequam perficias tale opus, donec diligenter inspicias omnes circumstantias; & cognoscas Deo placere: Vnde Origenes: ilaia virtus cunctatrix ante iudicat, quam incipiat, quid decorum, quid honestum sit: iniquitas autem omnia præcipitat. Non tamen iudices secundum tuam opinionem, cum de se non est clarum, sed secundum testimonium scripturæ, vel aliquod exemplar imitabile sanctorum: Dicitur signanter (imitabile) quia sancti aliqua fecerunt, quæ imitari non debemus, quamuis in eis fuerint bona, sed ea habere in admiratione, & reuerentia: & propterea dicit Hyeronimus, exempla paucorum communem legem facere non possunt 25. quæst. 2. c. non statim. Et est regula de reg. iuris in 6. Quæ à iure communi exorbitant, in consequentiam nostræ actionis non sunt trahenda. Sic D. Antoninus.

300 Quare (pluribus alijs omissis de ratione discernendi veras, & bonas consolationes à Deo, vel spiritu bono prouenientes à fallacibus à spiritu malo procedentibus) quãuis magni momenti sit, super quàm dici possit, huiusmodi consolationes spirituales, suauitutes, lachrimas, & cætera huiusmodi secretò custodire, & cum alijs quibusque si conuersemur, silentio præmere, ne fortè patefacta latrunculus insanis gloriæ diripiat, & euanescant, animaque arida, desolata, & donorum vacua derelinquatur; nihilominus semper expediet huiusmodi deuotionem sensibilem Prælato, vel magistro spirituali, seu discreto confessario manifestare: Huic enim non solum miseriæ nostræ, verum etiam consolationes, & dona, quamtumuis sublimia, pandenda sunt; vt nos in eorum estimatione, & vsu dirigat; & si quid illusionis, & deceptionis aduersarij latet, opportunè detegat. Et hanc omnium optimam rationem arbitrior deuiendi in cognitionem, consolationes sint, nec ne à Deo, & Angelo bono, aut à malo, & an tendant in bonum

num finem, vel in malum; Et idem faciendum, quando contingunt visiones, vel apparitiones Christi, vel B. Virginis, vel Sanctorum Angelorum, aut aliorum Sanctorum, vel reuelationes secretorum Dei, & similia: scilicet, huiusmodi visiones, seu apparitiones, & reuelationes, qui illas habuit, debet manifestare suo Prælato, aut magistro spirituali, vel alij prudenti viro, vt ab eo de veritate apparitionis, & an subsit Dæmonis fallacia, & illusio, doceatur, & in omnibus dirigatur.

Quibus signis, seu regulis visiones, & reuelationes veræ à falsis discerni queant.

301 SI quis autem petat, quà ratione, seu quibus signis, coniecturis, aut regulis discerni possint visiones, apparitiones, ac reuelationes veræ à falsis; de qua re *D. Antoninus 4. p. tit. 16. d. cap. vnico §. 8. & 9. Gerson. 1. p. tract. de probatione spirituum, & de monte contemplat: cap. vltimo: P. Binsfeldus tract. de tentationibus, & Iacobus Aluarez de vita spirituali tom. 3. lib. 5. par. 3. cap.* 10. Respondeo primò discernere visiones, & reuelationes versas à falsis spectare ad donum discretionis spirituum, vt dicit *D. Antoninus d.* §. 8. Quare, (vt dicit Gerson d. tract. 3. de probatione spirituum) regulas generales super hac re certas assignare non est, nisi eius, qui omnia nouit: cum verò per doctrinam volumus cognoscere in alienis personis, quarum corda videre non possumus, oportet per signa, & coniecturas procedere iuxta illud Christi Domini Math. 7. *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Et cum vnũ signum, & pauca non sufficiant, multa sunt considerãda, & cognoscẽda.

Primò igitur ad discernendum visionem, seu apparitionem, aut reuelationem spiritus boni, ab ea, quæ est spiritus mali; aduertendum, quod Angelus bonus in principio terret suo fulgore & pauidam reddit animam; *initium enim sapientiæ Timor Domini Eccl. cap.* 1. in medio verò consolatur; & confortat bono sermone, & inspiratione; in fine verò animam perfundit

 lætitia,

lætitia, vt apparet ex apparitione Angeli ad Pastores in Natiuitate Christi Domini, & ad mulieres, & ad Petrum ad monumentum Matth. 28. & Lucæ 24. quibus statim post terrorem dixit spiritus bonus: Nolite timere & gaudium annuncio vobis. Malus autem spiritus è contrario initio terret, in medio decipit fallaci promissione, in fine tristitia afficit subsecuta deceptione.

Præterea, & meliùs consideranda sunt sequentia, nempè cui fit visio, vel reuelatio; qualis sit, seu quid contineat; Et quid loquatur; Quare fieri dicatur; seu quis finis; & cui pro consilio, & directione aperiatur. Primò ergo loco consideretur, an persona suscipiens huiusmodi visiones, seu reuelationes sit boni, & discreti iudicij, & rationis naturalis; nàm læso cerebro perturbatur iudicium rationis, vt patet in freneticis, & ægrotis; qui vigilantes putant se talia videre; & si habeant huiusmodi læsas fantasias, non sunt magnoperè curandæ; sunt enim meræ phantasiæ, & illusiones Dæmonis; An sit persona nouitia in zelo fidei; quia nouitij feruor citò fallitur, si regente, & magistro spirituali caruerit; præsertim in adolescentibus, & fœminis, quarum ardor est nimis auidus, & ideò suspectus. Vndè hic adnotandum, solere nonnumquam Diabolum personis incipientibus cum aliquo feruore in locis solitarijs Deo inseruire (vt sunt nouitij in religione, vel virgines solitariæ) in cella apparere imprimis sub forma B. Virginis, aut aliquorum sanctorum, atque eorum oculis se subijcere; mulieres etiam ex sua natura sunt habiles ad recipiendas huiusmodi impressiones, & tentationes; sunt enim mollioris naturæ, curiosæ, vaniloquæ, loquaces, parum expertæ in sacris litteris, & facilè credunt. Quapropter cum huiusmodi visiones, aut reuelationes accidunt, contemnantur, & consilium à sanctis, & expertis in spiritualibus quęratur. Item circa personam, quæ visiones aut reuelationes habere dicitur, considerandum qualiter erudita, cum quibus, & qualiter conuersetur, & quibus assueta nimirum, an conuersetur in secreto, vel in publico, ab vita actiua, vel contemplatiua:

ua: an deuotione nimia; quam notam affert in vestimentis, & cæteris, aut si communem habeat conuersationem accommodam his, quibus conuiuit; oportet etiam considerare, si sit persona diues, an egena; in prima superbiam, vel secretam voluptatem, in altera fictionem timere quis facile poterit.

302 Maximè autem perpendendum est, an lateat interior superbia; quæ secundum magistros vitæ spiritualis, est subtile malum, ad quam in nobis excitandam à Dæmone similes apparitiones, vel reuelationes fiunt; Quare sancti Patres dicunt huiusmodi visiones non esse desiderandas, sed fugiendas; multumque in eis esse periculi: ita *S. Augustinus lib. 10. confess. cap. 24. & S. Bonauentura in 3. d. 9. quæst. 6.* & loquitur de quodam S. Patre, cui cum appareret Diabolus in specie Christi Domini, clausit oculos vtraque mente vociferans, se nolle videre Christum in hac vita: vnde Diabolus humilitate eius confusus statim euanuit. Et ex vitis, & actis Sanctorum Patrum certò constat Sathanam quandoque transfigurasse se in Angelum lucis, & in fine secutam deceptionem; vt contigit ei, cui reuelauit, quod illi nihil aliud deesset, quàm obedientia Abrahæ, vt proprium filium occideret &c. & de similibus alia sunt exempla in eisdem vitis, & actis Patrum. Ex quibus colligitur apparitiones istas non solùm non esse appetendas, neque postulandas, sed etiam, si accidant, humiliter fugiendas, rogandumque esse Dominum, ne nos his insuetis rationibus, sed medijs ordinarijs, & solidioribus, si ita suæ maiestati visum fuerit, nostram salutem promoueat; Et certissimum est desiderium apparitionum, raptuum, releuationum, & similium esse malum, periculosum, & omninò reijciendum: cum sit indicium occultæ superbiæ, aut saltem vanæ curiositatis, & aperiat ad tentandum aditum Dæmoni, cuius est superbos adoriri, & curiosas animas in errorem inducere: qui enim amat periculum, peribit in illo Eccl. 3.

303 Circa qualitatem, & finem visionum, seu reuelationum attendendum est; si vera sunt omnia etiam ad mi-

nimam propositionem, quia in spiritu veritatis falsitas non est; in spiritu autem mendaci possunt esse multę veritates, & vna falsitas, vbi anguis latitat. Propterea considerandum; an sit doctrina iuxta titulos à D. Iacobo in sua Epist. cap.3. positos, si pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione; si visiones hæ non excedant communem intelligendi modum, vel in scriptura positum, vel in ratione naturali, vel morali collocatum: Qui si non videretur illud frustra ascribi reuelationi. Quod si per eas suggeritur, aut proponitur aliquid nouum, & insolitum peragendum, quod antè non animaduersum, habendum etiam vt suspectum, & diligenter probandum, an sit ex Deo. Item circam finem attendendum, an excitent ad excutiendam tepiditatem; magis animent ad virtutum exercitium, ad amorem Dei, ad sui contemptum; an verò promoueant cordis exaltationem, sui complacentiam, & similia, sicuti dictum est de discretione consolationum in prima coniectura, siue regula.

304 Denique cum ad euitandam deceptionem omnem in his visionibus, & reuelationibus diximus esse aperiendas Prælato, seu magistro spirituali, confessarioue, aut alij viro prudenti pro consilio, & directione; circa hanc personam, cui hæ reuelationes manifestantur, aduertendum, quod sit persona discreta, & prudens, & in spiritualibus experta: & quoad eandem personam, vt manifestanti cōsulat, & non noceat, requiritur, vt verè habeat se prudenter, & cautissimè, & præsertim in principio consideret (vt pro discretione huiusmodi visionum docet Gerson) causam, seu finem, quare à persona manifestante fiat sibi communicatio talium visionum, & reuelationum, vtrum ad ostentationem, vel necessitatem, quæ ostentatio facile præsumi posset, si fieret scienter communicatio viro talium visionum, & rerum spiritualium inexperto, vtrum ad dandum, vel ad recipiendum consilium. Quod si tantummodo videatur quærere consilium, ne fallatur; vi-

dendum

dendum est, si se paratum demonstret obedire consilio, alioqui iam de curatione vix spes erit, quia vt dicit Clymacus, non iam eget Dæmone tentante se, cum factus sit sibi Dæmon: Spiritus enim Sanctus 1.Cor.14. non est dissensionis, sed pacis, & vnionis; Et si persona communicans sit mulieri, præcipuè considerandum est, qualiter cum suis confessoribus, & instructoribus conuersetur: si collocutionibus intendit continuis sub prætextu nunc crebræ confessionis, nunc prolixæ narrationis visionum suauium, nunc alterius cuiuslibet confabulationis; subiungit idem Gerson his verbis (*expertis crede nominatim Augustino, & S. Bonauentura, vix est altera pestis, vel efficacior ad nocendum, vel insanabilior. Quod si nihil aliud detrimenti, nisi temporis pretiosi, sanctissimam hanc consumptionem abundè Diabolo satis esse. Habent aliud, scitote, verbi gratia insanabilem videndi, loquendique pruriginem; proindè non admirandum, si huiusmodi ad fabulas conuertantur, & à veritate auertantur. Sunt ergo mulieres curiosæ, de quibus S.Paulus ait Tim.5. semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*. Caueat itaque (quod est omninò in praxi seruandum) quisquis auditor, & consultor huiusmodi personarum visiones, aut reuelationes sibi factas narrantium, ne ijs facile assensum præbeat laudando, vel admirando, quasi aliquam sanctitatem habeant, sed potiùs eas reprehendat, & duriùs increpet, quod ita exaltetur cor earum, & ambulent in mirabilibus super se, quasi ipsæ dignæ sint, vt Deus eis beneficia singularia supra communem modum, quo hominibus succurrit, conferat; suadeatque his, cum sapiant omnino superbiam quæ periculosissima est, non esse facilè fidem adhibendam, ac proinde tales visiones, & reuelationes non esse desiderandas, sed contemnendas, etiam cum occurrunt, iuxta sententiam Sanctorum, & à quibus Sancti liberari malunt, quam ijsdem frui; vnde cum alicui contingunt, dicat humiliter cũ Sancto Petro Lucæ 5. *exi à me Domine, quia homo peccator sum.*

305 Ex quibus infertur parum esse prudentes, & magnam præbere occasionem ruinæ multis personis prçsertim mulieribus; & quandoque curiosæ iuuentuti; qui audiunt confessiones maximè mulierum, & aliquando iuuenum incipientium, si assensum præbeant talium personam reuelationibus, & visionibus; ac deinde referunt in publico, vel in concionibus,& exhortationibus,etiã nõ nominatis personis.Hi enim confessarij existimant esse veras visiones,& reuelationes;referuntque tanquam magnæ pietatis indicia, cum tamen vt plurimum sint phantasmata, & periculosæ Dæmonis tentationes: & ex tali reuelatione nascitur, quod personæ huiusmodi, quibus contigerunt talia ludibria, efferantur animo, quando audiunt visiones referri, quæ ipsis acciderunt; & est illis magna occasio superbiæ, & ruinæ. Et præterea,cum alij auditores audiunt huiusmodi,tanquam signa sanctitatis nunciari,desiderant,& sibi similia contingere; quæ est periculosissima deceptionis muscipula; quare cum maiore fructu, & ratione tales visiones reticentur, quam narrantur. Debent igitur Magistri spirituales,& cófessarij benignè, ac beneuolè audire sibi communicãtes secretas visiones,aut reuelationes habitas; sed non statim approbare, nec laudare, vel alijs manifestare. Quemadmodum etiam Nouitij in Religionibus, alijque pietatis studiosi debent suis patribus spiritualibus, & visiones,& suas cogitationes,& tẽtationes omnes pro consilio, & directione aperire, si volunt periculum deceptionis, & ruinæ euadere, & mediocrem in virtutis progressu stabilitatem assequi; Hac de causa nouitij,vel alij pietatis studiosi, qui tentantur v. g. frequenti visione, seu apparitione B. Virginis,vel alterius Sancti, aperiant huiusmodi phantasmata suo patri spirituali, & si postquam is admonuit eos constantiæ,periculi,& deceptionis, dixitque vt contẽnant, & nihili faciant talem tentationem, sed orent Deum, vel aliud remedium dedit,iterùm aliquod innouetur circa huiusmodi monstrum, iterum significetur patri spirituali, vt ipse cognoscat; quia potest aliquando plus mali sub vna specie tentationis latere, quam sub alia.

Si

Si alicui oranti se repræsentet imago Christi, vel Beatissimæ Virginis, vel alicuius Sancti, an debeat exhiberi congrua adoratio, & reuerentia.

306 EX dictis quoque inferri potest, quid respondendum ad illam quæstionem, si alicui, dum orationi vacat, appareat figura repræsentans Christum, vel B. Virginem Mariam, vel aliquem ex Sanctis, aut Angelis, an debeat congrua adoratione, & cultu reuereri; an verò excusetur ab omni culpa, si non adoret. Iacobus Aluarez *dict. capit.* 10. *versic. sed quia eas*, ait, quod iste Christum sibi apparentem, vel B. Virginem, vel Sanctum reuerenter, & deuotè suscipiat, & congrua adoratione veneretur; nam quamuis ille esset Diabolus, nullum est in hac adoratione periculum, ex quo ipse non Diabolum adorat, nec veneratur, sed Christi, & Sanctorum imaginem sibi ostensam: quæ adoratio non in Diabolum fertur, sed in Christum repræsentatum terminatur. D. Bonauentura in 3. d. 9. citata quæst. 6. in conclusione, vt talis adoratio sit licita, requirit, vt conditio actualis sit in mente concepta, si sit Christus; tunc enim sic (inquit) non adorat ipsum luciferum, si fortè apparet in illa forma Christi, sed magis Christum; quia non stat adoratio nisi stante conditione, & ad eum refertur adoratio, ad quam refertur adorationis implicatio: negat verò S. Bonauentura sufficere conditionem habitualem ad vitandum peccatum idololatriæ respectu talis apparitionis, seu transfigurationis Dæmonis in formam Christi, licet talis conditio habitualis, inquit, sufficiat respectu Sacramenti Altaris, licet Hostia non consecrata à Sacerdote ostendatur. Nam, subdit, talis transfiguratio est insolita, & ideo non debet ad eam præcipitanter sequi adoratio, sed cum maturitate, & præuia oratione; consecratio autem Hostiæ est consueta, ideoque sufficit, quod adorans in habitu hanc habeat conditionem, videlicet, si consecratio debito

modo facta est; ac proinde pauci, aut nulli fideles in hac adoratione peccant: cum omnes accedant cum conditione ista. Ita Sanctus Bonauentura: Sanchez etiam de Matrimon. lib. 2. disput. 41. num. 53. ad. 3. Primæ sententiæ, & Ariaga 1. 2. disp. 26. num. 13. aiunt in tali casu negandam adorationem ob idololatriæ periculum, quoties non constat positiuè, sed dubitari potest esse Dæmonis apparitiones.

Cæterum admisso, quod non peccaret adorando, eo quod adoratio terminetur in Christum, vel Sanctum repræsentatum, licet Diabolus ipse talem signum assumpsisset, nihilominus certum est excusari ab omni culpa, si non adoraret. Ita docent *Alexander Alensis 3. par. quæst. 30. memb. 3. artic. 1. §. 3, S. Bonauentura loco citato, & Gabriel in Canon. Missæ lect.* 50. Ex quibus etiam colligitur meliùs fore non statim, & minimè præmissa maturitate, & debita inuestigatione veritatis apparitionis adorare, idque ob periculum non solum committendi idololatriam saltem materialem, cum Christus non soleat huiusmodi apparitiones facere sine vrgenti causa, & magna necessitate, & proinde dum de huiusmodi vrgenti causa, vel magna necessitate positiuè non constat, potest rectè præsumi potiùs, vel valdè dubitari esse Dæmonis apparitiones iuxta dicta in titulo 1. Moral. Var. numer. 9030. Sed etiam nè quis afficiatur talibus visionibus cum periculo superbiæ, & deceptionis. Quod confirmatur exemplo illius Sancti Patris, de quo supra, & relato à Sancto Bonauentura, cui cum apparuisset Diabolus in specie Christi, clausis oculis, dixit se in hac vita nolle Christum videre. Homo igitur in tali casu iuxta D. Bonauenturam, & alios habet simplex adiutorium, seu remedium, per quod potest errorem euitare. Primum, est præmonitio Sacræ Scripturæ, quæ nobis significat, *quod Angelus sathanæ transfigurat se in Angelum Lucis 2. ad Corinth.* 11. *Quod multi venient in nomine Christi dicentes* Ego sum *Christus, & seducent multos Matth.* 24. Secundum, est remedium orationis inter-

næ,

næ, qua in necessitatibus, difficultatibus, & tentationibus ad Deum debet homo recurrere, vt eum adiuuet, & cor eius illuminet: Vbique enim in sacris litteris iubemur ad Deum confugere. Tertium est suspensio actus, seu credulitatis, scilicet non statim præbere consensum, quia non debet homo omni spiritui credere, sed probare spiritum, si ex Deo est. Et huius rei exempla non desunt; imprimis de Beatissima Virgine, quæ cum ab Angelo salutaretur, turbata est in sermone Angeli, & cogitabat qualis esset ista salutatio: Item de Samuele 1. Reg. 3. Item de S. Luciano Præsbitero, qui reuelationem sibi veram factam per Gamalielem S. Pauli discipulum non statim acceptauit, non credidit, sed suspendit, donec præmissa oratione visio tertiò sibi manifestaretur; Non enim in his rebus oportet facilè credere; & de his, vt inquit D. Bonauentura, verum est illud Eccles. 19. *Qui facilè credit, leuis est corde*, & facilè decipitur. Præterquam quod, quando Deus aliquid vult per visiones reuelare, talia dat signa, & documenta, vt facilè cognoscatur esse Diuina reuelatio; Exempla sunt in scripturis de Beata Virgine, vt iam dictum est, de visione facta ad pastores in Christi Natiuitate, de Visione facta apud monumentum Mariæ Magdalenæ, & de alijs, & de Samuele loco citato. Quare sicut huiusmodi visiones insolitæ non sunt desiderandæ, vt supra dictum est; ita facilè non debent amplecti, & approbari, nisi quis velit se exponere periculo deceptionis, & erroris cum magno animæ suæ detrimento, vt supra explicatum est.

307 Id quod quisque, cui tales visiones contingerent, (siue fuerint veræ, siue falsæ) facere debet, est æmulari vitam cœlestem, & ita viuere, vt mundo mortuus, Deo vero viuus sit, & appareat, & per omnimodam sui abnegationem magis, ac magis ad cœlestia dona se disponat. Et de his satis. Alia tam de huiusmodi visionibus, quam de consolationibus videantur, si lubet, apud præallegatos

Docto-

Doctores, & alios præsertim apud Granutensem in tract. de oratione, & deuotione, & Iacobum Aluarez dicto tom. 3. de vita spirituali.

SVMMARIVM §. VNDECIMI.

§. VN-

§. VNDECIMVS.

Remedia scrupulorum circa Dei praescientiam, praedestinationem, & reprobationem, & motus, seu tentationes desperationis, ac suggestionis quid quis in tali, vel tali occasione faceret, si hoc vel illud succederet.

ALios inquietant scrupuli, seu cogitationes diuinæ præscientiæ, & prædestinationis; timent enim, vel dubitant, & sæpe disputant, an sint præsciti, & reprobi, an verò prædestinati, vnde vehementer affliguntur. Hic scrupulus certè est grauissimus, quo agitur de summa rei, & non raró oritur ex astutia Dæmonis instigantis fidelem ad occupandum se curiosè, & incautè circa prædestinationem, reprobationem, ac præscientiam Dei discurendo hoc pacto: Deus decreuit, & scit quid tandem de salute, vel damnatione mea erit; cum ergo voluntati eius nemo resistere possit, & ipse immutabilis, & eius præscientia infallibilis sit, quidquid faciam, & siue bene, siue male mea libertate vtar, damnabor, si Deus scit me damnandum; salutem æternam consequar, si id scit Deus, & me prædestinauit: finis autem Diaboli ad huiusmodi cogitationem, & discursum fideles instigantis est, vt si cogitent se esse præscitos, & reprobos, ruant in desperationem salutis, aut in profundum peccatorum, se ad omnia laxando, vel præcipitando; si verò cogitent se esse de numero prædestinatorum, cadant in superbiam, & teporem. Contra huiusmodi scrupulos præscribuntur sequentia remedia, de quibus latè *Gerson tract. de diuersis Diab. tentat. alpha. 70. lit. Q. & de medit. spirit. alph. 75. & de consol. theolog.*

308 Primum, & præsentissimum huius illusionis, seu tentationis remedium est non curare de istis cogitationibus, sed illas abijcere, argumentisque Diaboli respondere non dispu-

disputatione, & discursu, sed solo contemptu, & conuersione mentis ad alia cogitanda, & agenda; sicut supra dictum est, simile remedium adhibendum esse contra scrupulos de cogitationibus contra fidem; & præcipuè in similibus tentationibus contingentibus in hora mortis tanquam valdè periculosa timeatur quælibet disputatio cum Diabolo, & discursus de his; sed tunc homo fortiter permaneat in fide, & in spe, in qua, dum esset sanus, toto tempore vitæ permansit, respondeatque tentationi, tunc non esse tali disputationi locum.

Secundum remedium est non se ipsum, sed in omnibus diuinum beneplacitum quærere, & simpliciter se committere voluntati, ac prouidentiæ Dei: ita refert Thomas de Kempis quendam in oratione prostratum, & dicentem, *ò si scirem, quod adhuc perseueraturus essem*, audisse diuinum intus responsum; *Quid si hoc scires, quid facere velles? fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus* eris; moxque consolatum, & confortatum diuinæ se commisisse voluntati, & cessasse anxiam fluctuationé. Imò (quod perfecta charitas erga Deum, & etiam se ipsum postulat) tali tentatione pulsatus dicere debet, & *si scirem me non perseueraturum, & Deum me omninò positiuè reprobasse, & ita fore damnandum, adhuc vellem num* (vt verè teneor, & debeo) *amare, & laudare Deum, illi seruire, & obedire præcipienti propter suam excellentiam*, & magnificentiam, & misericordiam in beneficijs *collatis, & multò magis vellem amare, & laudare, quia non liceret in æternum, & quia etiam ita faciendo, & benè nunc viuendo, minus in Inferno, vel alibi cruciabor, quàm si male egerim.*

Tertium remedium repellens infestationem prædicti scrupuli est, agnoscere immensam Dei bonitatem, & amorem erga nos, & considerare, quod ipse dixit, se non velle mortem peccatoris, neque delectari in eius perditione, sed vult, quantũ est ex se, omnes homines saluos fieri; Vnde ait D. Chrisost. *Deus quasi dolet, cum hominem propter peccata damnare debet secundum iustitiam suam, quasi coactus;*

coactus ; Et concordat Glosa super illud Isaiæ 1. Heu vendicabor de inimicis meis , dicens , vt pater pius , & punit, & dolet,quia punire nollet . Quare gaudere debemus,quod salutem animæ in manu illius habeamus, qui nos plusquam nos nosmetipsos, diligit, à cuius manu nemo nos rapiet,modò nos velimus.

Quartum remedium ad contemnendũ scrupulos,& tẽtationem pręscientiæ,& prædestinationis est cogitare certũ & nobis,& Diabolo incognitũ esse, an nos scimus prædestinati,vel reprobati; Dei consiliũ quis cognoscit? Dũ in hac vita sumus, sententia non est prolata, quia post dissolutionẽ animæ,& corporis homo recipiet 2.*Cor.*5.quæ gessit in corpore,siue bonum,siue malũ; non debet ergo homo esse curiosus in inquisitione de prędestinatione,vel reprobatione,sed diligens in obseruatione mandatorũ Dei, & magnam habere fiduciam, quod sit de saluandorum numero, si diligenter mandata Dei obseruet: Attendat quid Apostolus dicat ad Rom.11. *O altitudo diuitiarum sapientia & scientia est; quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? sape in* simplicitate, & humilitate, & noli scrutari maiestatem , si non vis opprimi à Gloria: Dilige Deum, & mandata eius obserua ; & si aliquando de reproborum consortio fuisti,nunc eris de numero sanctorum. Consideret ergo homo scrupulosus circa suam salutem, vel damnationem,nos in hac vita non posse certò scire,quid tandem sit futurũ;& tamen propter hanc ignorantiam non debere nos cessare ab operibus bonis, & spe gloriæ,sicut per talem ignorantiam non deobligamur ab obseruatione mandatorum;vita enim bona signum,& argumentum est boni exitus, & salutis ; & rarò aliter accidit secundum D. Hieronimum in suo testamento ; & docet Angestus in moralibus c.15. bonã vitam, & humilitatẽ id promereri à Deo, è contra malam vitam. Et quod ob incertitudinem salutis, & Dei præscientiam , & prædestinationem,aut reprobationẽ,quę falli non potest,nõ sit cessãdum ob operibus bonis,& obseruatione mandatorũ Dei, explicatur,& illustratur exẽplis;Nam infirmus, si aduocet medi-

medicum, & medicinam sumat; & Agricola, si seminet, nescit, an sanitatem consequetur, vel fructum seminis. & norunt Deum certò scire, quid futurum sit, hocque infallibiliter, futurum, quod Deus nouit; & tamen propter hanc incertitudinem respectu sui & certitudinem respectu Dei infirmus non cessat à sumptione medicamentorum, nec Agricola a sua seminatione, & agricultura: quia hæc sunt media ad tales effectus ordinata; ac proinde stultè aliter faceret, dicens Deus scit &c. ergo frustra sum medicamēta, & terram excolo, & semino: ita ergo quoad ęternam salutem philosophandum, seu potiùs theologizandum; licet homini incertum, scientiæ autem Dei certum sit, aliquem esse saluandum, vel damnandum, non debet tamen, si agnoscat se esse spiritualiter infirmum, nempè in statu peccati, abstinere à medicina pœnitentiæ, & siue peccator, & siue iustus non debet cessare à spirituali seminatione, scilicet, ab operibus bonis, propter quæ tantum sperari potest fructus æternæ salutis & propter illorum defectum eiusdem fructus salutis æternæ priuatio timeri. *Nam qui parcè seminet parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Nouit etiam Diabolus, eum, quem Deus prędestinauit, & præsciuit saluandum, certò, & infallibiliter æternam salutem consecuturum, & quem Deus in massa perditionis relinquit, & reprobauit, certò fore damnandum; & nihilominus non cessat omnes, & semper tentare & ad mala opera facienda, Deique & Ecclesiæ præcepta transgredienda instigare; quia etiam inimicus benè nouit neminem saluādum, nisi medijs bonis operibus, & obseruatione mandatorum, & neminem fore damnandum, nisi propter mala opera, & mandatorum transgressionem; ergo neque nos ob infallibilitatem prædestinationis, præscientiæ, & reprobationis debemus, quantumcumque ipse Callidus Hostis nos tentet, cessare ab operibus bonis, virtutum exercitio, & præceptorum obseruatione. Quare.

Quintùm, & vltimum remedium ad præfatum scrupulum pellendum, & mentis hilaritatem, & alacritatem ad

opera

opera bona exercenda est; considerare prædestinationem,& vltimam eius effectum scilicet gloriam,nos in nostra habere potestate,& à nostra etiam sola potestate dependere damnationem; quia illa est promissa; & certò conferenda benè agentibus cum perseuerantia; illa verò comminata malè agentibus. Statuat igitur quisque apud semetipsum ab omni peccato abstinere; & diuinam legem custodire;& si hoc fecerit,sciat se esse saluandum.

309 Quod si Dæmon obijciat difficultatem mandatorum Dei obseruandorum, mendaci obijcienda est lex illa saluatoris consolatione plena *Matth.* 11.*venite ad me omnes,qui laboratis,& onerati estis &c. iugum enim meum suaue est,& onus meum* leue; si enim solùm attendamus vires nostras, mandata Dei difficilia sunt,imò impossibilia;at si diuinum auxilium intueamur, nihil difficultatis occurrit. omnia (ait Apostolos ad Philip.)*possum in eo,qui me confortat*. Vnde fallit inimicus,cum difficultatem nobis proponit,non etiam demonstrando gratiam Dei; Charitati nihil difficile est. *Hac autem est charitas Dei* 1.*Ioan.* 5. *vt mandata eius custodiamus,& mandata eius grauia non sunt*. Quod etiam confirmant exempla, & innumerabilia facta eorum, qui legem obseruauerunt; imò plura perfecerunt,quam Deus præceperit; & lege statuerit; Recogitet quis Apostolorum supererogationis opera, martirum victorias, confessorum mirabilem conuersationem, virginum castitatem, & in subiuganda carne multorum rigorem; & videbit nihil esse difficile amanti Deum, & propriam salutem. Quisquis legem Dei difficilem, & præcepta aspera conqueritur,nedū intellexit,quid sit hoc nomen Iesus. Quid enim nisi Saluator,vt saluet populum suum à peccatis eorum; quam ob causam è cœlo in mundum venit, nisi vt nostram salutem operetur?ob nostram salutem venit,ob eandem mortuus in Cruce,resurrexit,ascendit ad Cœlos,Spiritus Sancti gratiam misit, & in corda hominum diffudit, omnia beneficia contulit, vt vias asperas & difficiles efficeret suaues, & leues: id quod Esaias cap. 40. de eius aduentu vaticinatus est, *omnis vallis exaltabitur,*

bitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Via verò vitiorum è contra sola est verè difficilis, cum de ea scriptum sit; *Per ambulauimus vias difficiles, & laxati sumus in via iniquitatis Sap. 5.* Difficile est in mundo esse vinctum catenis, & funibus; importabile vnius vexari tyranide; laboriosum graue onus super humeros portare: At peccata sunt vincula, & funes, quibus impius constringitur, & ligatur, eorum malo homo subijcitur crudelissimo tyranno Dæmoni; & grauissimum pondus, quod ipsum ad inferos demergit, fert; optimè ergo quis suggerenti difficultatem mandatorum Dei obijciere potest miserrimam, & Egyptiacam seruitutem Pharaonis infernalis in via vitiorum.

Qua ratione occurratur tentationibus desperationis.

310 SEd ex modo dictis colligitur etiam remedium contra scrupulos, & tentationes desperationis, quibus pusillanimes, & pauidi sæpe tentantur, & vexantur. ingerit enim sæpe Dæmon pusillanimibus, & timidis ingentem timorem, vt trepidét, vbi non est timor, & inducat ad animi deiectionem & tandem ad desperationem; & quandoque etiam hostis fallax Dei misericordiam, & benignitatem infinitam falsis rationibus obtenebrare tentat, obijciendo homini præsertim timido, & pusillanimi sarcinam suorum peccatorum, quæ irremissibilia fore præ multitudine, magnitudine, & obscænitate prætendit, vt indè homo summa tristitia, & dolore tortus in baratrum desperationis amissa spe veniæ se immergat.

Contra huiusmodi scrupulum, seu tentationem est, Primò remedium vniuersale contra scrupulum, & tentationem circa prædestinationem, præscientiam, & reprobationem, & contra alios scrupulos assignatum; scilicet cōsideratio immēsæ, & inexhaustæ Dei misericordiæ, & in ea humilis, ac firma spes, seu fiducia. Quæ Dei misericordia, licet in omnibus eius operibus immisceatur, & appareat, singulariter tamen elucet in remissione peccatorum, quan-

quantumuis grauium: quam propterea remissionem toties in Sanctis literis idem Deus promisit benigne à se peccatores inuitans, & solans *Ezech.*18. & 33. *Nunquid voluntatis mea est mors impij, dicit Dominus Deus: & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat: & paulo post, quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem peccatoris, & reuertimini, & viuite, & nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur: & iterum, si autem dixero, impio morte morieris &c. non imputabuntur ei. Et efficacius Christus in Euangelio verbis illis Matth.*11. *supra allegatis: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estitis, & ego reficiam vos.* Ex quibus Theologi deducunt tanquam certissimam rem, nemini in hac vita ob vlla peccata denegari auxilium sufficiens ad eorum remissionem, ac vitam æternam; si quidem frustra Deus omnes vocaret, omnibusque remissionem peccatorum promisisset; si omnes venire, & omnes gratiam remissiuam peccati obtinere non possent, scilicet defectu auxilij sufficientis. Quare damnata est vox desperabundi *Cain. Gen.*4. *maior est inquitas mea, quàm vt veniam merear.*

Neq; huius remedij efficcacitati obstat, quod Matth.12. & Marc.3. dicatur irremissibile peccatum blasphemiæ in Spiritum Sanctum: quia id ideò, & eatenus verum est quatenus peccator sibi hunc misericordiæ fontem obstruit; & infirmus reijcit hanc medicinam, resistendo ex obstinata malitia Spiritui Sancto, eiusque Sanctificationi, seu medijs ad Santificationem tendentibus; ex quo magis ostenditur efficacia, & necessitas huius remedij: Quamquam neque eiusmodi peccata sint irremisibilia absolutè, sed moraliter ægrè remissibilia iuxta communem, & certam theologorum sententiam. Si ergo Deus ex infinita sua misericordia promittit nobis quantumcumque peccatoribus remissionem peccatorum, si egerimus pœnitentiam, ad quam habendam nunquam auxilium sufficiens denegat; mendax procul dubio est malus spiritus quocunque colore asserere nitens, & tentans non remittenda nobis peccata.

Verùm, vt huius remedij vis magis elucescat, illudque

efficacius in praxi adhibeatur, annotanda hic existimaui ea, quæ de hoc remedio non minus solidè, quam piè scripsit ven: Blosius in consolatione pusillan. cap.17. *nulla (inquit §.2.) mæroris magnitudo, nulla angustiarum acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla scelerum enormitas te ad desperationem, nimiamque pusillanimitatem adducat. Quantumcumque peccaueris; semper Dei misericordia in infinitum excedit tuas iniquitates: Quantumcumque infirmus sis, semper illius benignitas adiuuare parata est tuam fragilitatem. Et §.3. Quantumuis magni peccatores, & imperfecti homines simus; quare non cum humili plenaque fiducia ad Deum conuertimus, qui est abyssus inexausta pietatis; cuius natura bonitas est, cui proprium est misereri semper, & parcere. Et §.4. ex Psalmis. Apud eum propitiatio, & copiosa redemptio est. Non iam secundum peccata nostra facit nobis; neque secundum iniquitates nostras retribuit vobis: quoniam secundum altitudinem Cæli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se: & quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras: & quomodo miseretur pater filiorum, miseretur dominus timentibus se. Denique §.5. ex D. Augustino in Psal.*102. *misericors, & miserator Dominus, longanimis, & multum misericors in his, quibus veniam dedit, misericors est, in his, quibus non dedit adhuc, longanimis est, non damnans, sed expectans, atque pia expectatione clamans; conuertimini ad me, & conuertar ad vos & cõcludit, omnipotenti medico nil est insanabile.* sanè igitur iniuriam tantæ Dei bonitati, ac misericordiæ facit, qui quantumuis magnus peccator, non magnopere in ea cõfidit, cum qua si comparentur omnia eius, imò totius Mundi peccata, habent se erga illam, vt gutta aquæ erga vniuersum mare.

Secundum remedium ex dictis immediatè ante præcedentem numerum est, scilicet, excutere timorem à Dæmone incussum ea consideratione, quod pœnitentia, & obseruatio mandatorum Dei non est ita difficilis, sicut inimicus tentat persuadere; & quod quanta fecit, & passus est Dominus Iesus, fecit, & passus est, vt nostram operaretur salutem. Igitur Hosti desperationem cali-

calidè & fallacibus argumentis persuadenti, opponenda est vita, & mors, & passio Domini Nostri Iesu Christi. Et certè cuilibet peccatori pro magna consolatione sunt illa verba 1. Ioan. 1. & *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, si confiteamur peccata nostra, & ipsa est propitiatio non solùm pro peccatis nostris, sed & totius mundi*. Confugiat ergo quisque ad Crucis misterium, si Diabolus desperationis adducat metum.

Tertiò ad pellendum scrupulum circa desperationem, quoad illius confessionem, aduertendum, quod accidit quandoque vt aliqui per cordis pusillanimitatem, putant se desperare, cum tamen non desperent: Sentiunt enim motus desperationis per pusillanimitatem cordis, quæ efficit, quod non possibile existiment actus virtutis consequi, vel opus etsi viribus suis proportionatum perficere, idque ex timore inordinato, & immoderato, quo agitantur & quando sentiunt motus in huiusmodi rebus desperationis, propter pusillanimitatem hunc sensum esse consensum putant. Sed quantumcumque sentiant, etiamsi quasi operiantur hac tentatione; quamdiù re contradicunt, nec consensentiunt, nec charitatem amittunt. *Gerson tract. de pusillanimitate* adfert similitudinem ignis, qui in die ardet, noctè operitur cineribus, a quibus ita extinguitur, vt tamen manè scintilla inueniatur, quæ dùm quæritur, inuenitur, & de eadem ignis immensus incendi potest: eadem est ratio de scintilla Charitatis, si intentio tamen manet in ipso, vt mens adhæreat Deo, & nullatenus consentire velit peccato mortali, remanet charitas, quæ iterum potest accendi; cum Dæmon suggerit homini, quid faceret, si hoc vel illud ei succederet quid faciendum.

311 Denique ex dictis etiam infertur remedium contra scrupulum, seu tentationem, qua Dæmon aliquando infestat timidos & pusillanimes interrogando, seu suggerendo, quid in hac vel illa occasione, siue si hoc, vel illud succederet, facerent.

Contra enim hanc tentationem remedium primo est

talem interrogationem, seu suggestionem omninò contemnere (sicut dictum est de cogitationibus, & scrupulis de prædestinatione, & præscientia Dei) opponendo illud, quod sufficit diei malitia sua. Secundò ex præfata consideratione infinitæ, & immensæ misericordiæ Dei callido hosti respondere debet; quod idemmet Deus in occasionibus nobis gratiam præbebit vt illi fideliter seruiamus. Hęc in gratiam scrupulosorum ex doctrina scholastica, & ex documentis traditis ascribentibus de rebus ad vitam spiritualem spectantibus collecta. Quæ tamen illis parum proderunt, nisi curent Patrem spiritualem exercitatum habere, & statuant eius consilio in directione salutis omnino acquiescere, & obedire: si enim proprium sensum sequi voluerint non committendo se se prudentis viri gubernationi, vel illius consilio, & directioni non acquiescendo, nunquam ab illa spirituali infirmitate curabuntur ad instar ægroti desperati.

F I N I S.

Ad Laudem Sanctissimæ Trinitatis, Beatissimæ Virginis, & omnium Sanctorum.

REPER-

REPERTORIVM OMNIVM RERVM NOTABILIVM,

Quæ in Paragraphis huius Tractatus Comprehenduntur.

A

Actus Impudici.

Aduertentia, Cognitio, Conſideratio, Deliberatio.

Agere.

Amplexus.

Apparitio.

Huius-

Cer-

Con-

Desi-

An

Tutius

I

Ieiunium.

Illusiones nocturnæ.

Imaginatio.

Inaduertentia.

Intentio.

Interpretatio.

Ira, iracundia.

Iudicium temerarium.

rere

Peccatum veniale.

Peccatum mortale.

Peccandi Periculum.

Tutius



Obli-

Cau-

FINIS.



